Joh. Helfrici Jungken Chymia experimentalis. Sive, naturalis philosophia mechanica: ubi prior pars generosiorum remediorum fabricam ex triplici regno cum omnibus manipulationibus fideliter exhibet. Pars alter eadem medicamenta, inter alia, ad quoscunque morbos generaliter adaptare docet. Adjectis monitis medicis affectibus puerorum concernentibus. Nec non experimentis rerum naturalium principa commentarii, loco illustrantibus / [Johann Helfrich Jüngken].

Contributors

Jüngken, Johann Helfrich, 1648-1726.

Publication/Creation

Francofurti ad Moenum : Apud Johannem Maximilianum à Sande, 1701.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/skqh6zfe

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

30717/B

L XXXIV. JUENG-KEN

DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 768
COLLECTION


IOHANN: HELFRICI
IUNKENS
CHYMIA
EXPERIMEN
TALIS.
Joh. Stridbeck, fecit



70512
JUENGKEN

JOH. HELFFRICI JÜNGKEN, M. D.
Physici Francofurtensis

CHYMIA EXPERIMENTALIS.

Sive, Naturalis Philosophia Mechanica:

Ubi

PRIOR PARS

Generosiorum Remediorum fabricam ex Triplici Regno cum omnibus manipulationibus, fideliter exhibet.

PARS ALTERA

Eâdem Medicamenta, inter alia, ad quoscunque morbos generaliter adaptare docet.

Adjectis

MONITIS MEDICIS

Affectus Puerorum concernentibus.

Nec non

EXPERIMENTIS

Rerum Naturalium Principia, Commentarii loco, illustrantibus.

EDITIO Prioribus longè auctior.



Francofurti ad Mœnum,
Apud JOHANNEM MAXIMILIANUM à SANDE,
Anno MDCCI.

CHYMIA

EXPERIMENTALIS.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



Illustrißimo atque Excellentißimo Domino

DOMINO

FRIDERICO

à BINDER.

Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliario

Imperiali Aulico, dignissimo:

Pro tempore

IN CAUSA

Serenißimæ

DUCISSÆ AURELIANENSIS

Contra

Serenißimum

ELECTOREM PALATINUM.

Plenipotentiario Cæsareo, gravissimo

Mecænati & Patrono

ad tumulum usque colendissimo

Illu-

Illuſtriſime Excellentiſime Vir

QUantam lucem Rerum Naturalium explicationi, ipſique arti Medicæ ſuffundat, *Ocularis Chymiæ contemplatio*, nemini ignotum eſſe arbitror, nec quenquam, niſi veritatem omnino deteſtetur, negaturum confido:

Peccant in hoc *Galenici*, quod *omni Chymica experientia ejurata*, ſuis rationibus à poſteriori deſumtis, admodum frivolis, naturæ phœnomena metiri, ac explicare conantur:

Peccant *Empirici*, dum hoc vitium effugientes *in contrarium ruunt*, quippe *omnem rationis deſpondentes uſum*, in obiter ſaltem obſervatâ experientiâ, acquieſcunt, absque ullo cauſarum ac circumſtantiarum habito reſpectu:

Felicisſimum è contra *modernum eſt Seculum*, cum, Philoſophia experimentali ſuffulti, Naturæ arenam intraverimus, ubi *Experientia & Ratio amicè conſpirant*. Optimè hinc traditur Philoſophia hæc

Expe-

Experimentalis per *axiomata*, quæ *condita & confirmata* ſunt variis *chymico igne* erutis phœnomenis, atq; *principia habet* non logiſmis parta, ſed quæ per Naturam ſunt cognita & *per ignem conſpicua*, prout per benè loquitur, noſter per ignem Philoſophus van HELMONT, *in Tr. Pharmacop. & Diſpenſatorio moderno*; Idem eſt qui aſſerit, *non ſufficere libros legere, ſed inſuper emere carbones & vaſa, vigilatasq; ex ordine impendere noctes*, quo particulares emergant experientiæ, quæ poſtmodum divino rationis radio excoctæ, axiomata conſtituere queant.

Ratione hâc ſuccinctus, hanc meam conſcripſi Chymiam Experimentalem, quæ ſi non in omnibus cujusvis delicato reſpondeat ſenſui, veniam facile impetraturum me confido, ab iis, quibus materiæ gravitas, cognita eſt.

Quod Vero Tibi Excellentisſimè Vir hunc meum laborem conſecrare auſim, humillima mea obſervantia juſſit, etenim cum nulli vitio fuerit, colore Deos quoquo modo poſſet, non ſpero Te Illuſtriſſime Vir, audaciam meam crimini daturum; Etenim quotiescunq; prima illa temporis momenta recordor, quibus mihi anſa data fuit, tuum captandi favorem, toties de felicitate mea non poſſum non mihi

 gratu-

gratulari, qui favoris Tui ſplendorem erga me, merito meo nullo, ſemper ſenſi benigniſſimum.

Non **Tibi Illuſtriſime Vir** hic adulari audeo, ſermonesq; offerre phaleratos, quibus nec Tu delectaris, nec ego ſtudeo, ſaltem ſincere hic conteſtor me pectore gratiſſimo & devinctiſſimo, animoq; devoto, Tuorum beneficiorum memoriam undiq; mecum circumlaturum eſſe ad tumulum, & quanquam **Vir Illuſtriſime**, nil habeam, quod debitæ meæ erga Te gratitudinis ac ſtudii ſymbolum eſſe poſſit ſufficiens, permittas tamen Chymiam hanc Experimentalem, à me olim congeſtam, nunc auctiorem redditam, **Per Illuſtri Tuo Nomini** dici & inſcribi; ne vel nullum extet apud poſteros ſummæ meæ erga Te obſervantiæ pignus.

Deum precor T. O. M. ut **Tibi Excellentiſſimè Vir**, viridem continuet ſenectam, & ſeros in annos ſalvum & incolumem conſervet, utq; ſerus in cœlum redeas, ex corde fovet

Illuſtriſimæ Tuæ Excellentiæ

humillimus

Joh. Helffrich Jungken, M. D.
Phyſicus Francofurtenſis.

CHYMIÆ

Sive

NATURALIS PHILOSOPHIÆ PROLEGOMENA.

Ubi

In genere Tam Extrinseca, quam & Intrinsecum illud rerum Naturalium unicum principium considerantur.

ETenim cum omne *Finitum* sit *Imperfectum* intellectus requies in eo haud moratur, sed ad *Infinitum, Ipsum Deum T. O. M.* ceu ad suum regreditur centrum, ut in eo Requiem inveniat Infinitam.

Meritò ergo nos hic simul *Intrinseca* solemus trutinari *Rerum Naturalium Primordia*, ita ex sacris docti; *Creaturarum* nimirum omnium *Authenticum Principium*, & unicum Authorem ipsum *esse verum Deum.*

Atque inde apparet Res omnes sensibiles pro Esse suo habere quid invisibilis, à quo suum duxerunt initium, Divinum namque *Verbum* FIAT illas produxit; ac per visibile jam Effectus & operationes exercet.

Quemadmodum enim ipsam Lucem concentratam Solem naturalibus omnibus se communicare rebus, cumque istis jam intimè copulatum, motum & esse tribuere corporeum cernimus, hæc ipsa

verò *Lux corporalis* universalis motor, *Deum habuerit creatorem* suum veluti *incorporeum motorem* per Divinum saltem verbum FIAT: Hinc Deum O. M. verum constituere Universi hujus, cum suis omnibus contentis principium Internum & spirituale, semper activum, præter dicti Universi admirandam structuram cum suis tot & tantis phœnomenis, effectibus, variationibus &c. ipse nos erudiunt Sacræ paginæ.

Opificium etenim Opificem semper monstrare & indigitare solet.

Constituit ergo hoc Universum scientiæ omnis causam secundariam, quoniam nonnisi in indumento sive in externis saltem nobis cedit contemplationem.

Manus enim Domini qui formaverunt, sustinent, ut sibi ipsis se commonstrent.

Nos ergò *in Naturalibus* hic *externa solum trutinamus rerum initia & constitutiva*, in quibus ob oculos ponendis omnis sollcitudo nostra occupata est & manet.

Concipimus enim *numerum ex suis partibus*, *pondus ex sua profunditate & summitate*, *mensuram verò ex determinata extensione*, res reliquas *naturales* ex *admiranda textura*, *proportione*, *situ*, *motu*, & innumeris similibus.

Et hisce stupescimus concordiam superioris & Inferioris Spiritus & Corporis, Finiti & Infiniti.

Cum ideò constet Extremitatem non esse sine medio, nec sine partibus utrumque, hinc mundum Corporeum esse apparet, absque hoc enim non potuissent uniri partes.

Omnes verò partes binario colligimus Numero.

FORMA & MATERIA.

Formâ vel *Extrinsecâ*, vel *Intrinsecâ*.

Intrinseca rerum Forma in semine cujusque rei naturalis specifico, ex particulis Divinitus inditis per Verbum Divinum FIAT, & in actum deductis, per generale Divinum mandatum, CRESCITE

SCITE ET MULTIPLICAMINI, consistit. Sic omne creatum ex triplici Regno propria & specifica facultate pollet, & reproductionis ratione in suo acquiescit centro, quotque corporum genera, tot specificæ proprietates, ope seminis invisibilis, & specifici, captum nostrum exsuperantis, emergunt; Particulas enim corporeas, etiam millies mille variatas & figuratas, magnam & multivariam hanc differentiam producere posse, minimè est credibile; cùm omnia corpora naturalia in sua ultima resolutione in pauca redigantur residua, à multis propterea pro Principiis proximioribus constitutivis credita, v. g. in *Sal*, *Sulfur*, *Mercurium*, *Terram*, *&c.* hæc verò omnia ultimò in unicam *Aquam*, cum tamen infiniræ corporum Formæ à primo rerum conditore creatæ extent.

Hinc veritate niti assertum, scil. *Rerum omnium Formam Intrinsecam, Divini quid redolere*: præter alios, assentientem habemus *Helmontem* de ortu formarum, ubi inquit: *Deus est vera, perfecta, & actualiter omnis omnium Essentia, & Terra licet potestatem germinandi & fœcundandi semina receperit, extra cœli, seminis, aut alterius causæ interventum; non tamen est productiva sive effectiva Formarum.*

Sed Deus ad generationem Entis concurrit ut causa universalis, independens, totalis, Essentialis, & efficienter efficiens. Hinc Forma, sicuti est rei quoddam velut lumen, & istius luminis apex: ita nemo Formas rerum patrat, nisi Pater luminum, qui omnia dat omnibus, nec longè abest ab unoquoque creato. Est & hodie rerum immediatum principium, ubique præsens, operans omnem omnium perfectionem. Ideoque quicquid est uspiam Essentialiter, id totum, quantum est, potest, scit, atque habet, Deo debet.

Externa verò rerum omnium *Forma & Facies*, constat ex *variè figuratis & variatis particulis*, Lucis & Tenebrarum, s. Spiritus & Corporis, hoc est, *Acidi & Alkali*, motore & rectore, principio & extremo, per aquam combinatis & unitis.

Materia verò *universalis & prima*, sola & unica est *Aqua*, subtili suo terreo imprægnata, ut clarè patet ex Sacris ubi legimus, ipsum Deum Firmamentum in harum medio locasse.

Omnis verò Eſſentia, quæ mediantibus his ab Eſſe Univerſali prodit, in unitate conſiſtit.

Non datur verò Eſſe ſine proprietatibus Eſſentialibus, ut nec agens ſine organo & medio: Et quoniam cauſa Efficiens eſt interna, & de Eſſentia cauſati, ideo unum & idem non poteſt conſtitui à cauſis ſpecie diverſis: multo minus toto Prædicamento diverſis: hinc calor producit calorem: *juxta Helmontem de ortu Formarum.*

Senſibilitas ex particularum activarum motu & diſpoſitione dignoſcitur, quarum vita dependet à Forma, progreſſus vero à virtute ſpecificâ, Divinitus conceſsâ, ſive motu innato. Tempus verò dependet ab inviolabili & conſtante revolutione naturali, quâ exſolutâ, in ſua principia redit, quia fuit finitum.

Principia itaque hæc ſuam unitatem ſubeunt, unde etiam Univerſalia vocantur, vel lapis Siſyphi. Veluti enim punctum multiplicatum producunt lineam, & iſta utroque extremo ſibi unita circulum, & quod inſequitur: Ex linea verò ſuperficies, profunditas, & ſummitas ſcaturit, quæ tria ſunt indiviſibilia, quibus ſi adjeceris centrum, producitur Triangulum, ſive tres lineæ æquidiſtantes. Sed hæ figuræ non patent niſi ratione accidentis externi.

Unitas hæc, *ſi extrorſum protendatur*, ſe multiplicat, & aſſumit pro ſociis, *paritatem*, & *imparitatem*. Primo eſt *Unitas & Binitas*, hæc combinata *parturiunt Quaternionem*: ſecundo eſt *Trinitas*, *Quinitatis nutrix*, hæc ſi combinabis vides *Denarium*, quibus accidentaliter omnis rei innititur perfectio.

Cubus producitur à puncto indiviſibili, per extenſionem ſuiipſius ut ſeipſum extendat, & diviſibilem reddat, in longum & latum, ſcilicet in lineam & ſuperficiem. *Punctum* enim *ſemper exiſtit interius, & creſcit verſus exterius*, vel per lineas diagonales, vel perpendiculares, &c. utpote extremum quid ſui motus. Interius hoc, & Extremum, pariter monſtrant, aſcenſum eſſe lentum, ſed deſcenſum ſubitum, & eo magis, quo magis à ſuo centro recedit corpus.

Cubus item iſte, *qui ex unitate procedit, imitatur circulum* in immenſi-

menſitate, ſed ſaltem angulis eum tangit, quia medius eſt inter immenſum & ſimplex, & quo magis ab iſtis recedit, eò immenſior & major evadit, perpetuo tamen conſiſtit inter limites inconſtantiæ, nimirum ratione Quadrati, utpote finiti in ſua quantitate, quæ tamen ſequitur propenſa, unio quò aptè redeant ad punctum, & id ſubeant ex quo iverant.

Ita videmus progreſſum naturæ, ab initio ſcil. per medium, ad extremum circuli: Convenit enim Enti, cum ſuo Eſſe, ut aliquid agat, & operetur, in ſui propagationem.

Quoniam itaque *corpus ſuam originem debet unitati creatæ*, mediante tamen diſtinctione naturali in plus & minus, vel ſecundum rarum & compactum, & alia accidentia ſenſibilia, hinc ſe iterum reſolvit in ſuam unitatem: Et cum hujus gratia ſenſibile factum fuerit, multiplicat ſe extrorſum, per ſeipſum, ſeque iterum deſtruit, cum id quod fuit deſinit eſſe.

Ut verò ſenſilis evadat eadem unitas, per gradus tendit à ſimplici ad compoſitum corpus: Cum verò hoc compoſitum corpus à ſeipſo parum virtutis obtineret, *creatum fuit à Deo ſemen ſpecificum & interna cujusque rei Eſſentia ſive Forma.* Et hinc patet creaturam ad generationem nihil tribuere ex ſe, cum *animal non generet animal, ſed ſaltem ſemen ad animal*, propterea etiam non generet ejus formam.

Et cum nihil ſemetipſum diſponat aut moveat, niſi adſit ſemen: hinc neceſſe eſt quicquid generetur, id habere intus diſpoſitorem, qui in aurâ molli, ſalſa, lutoſa, &c. ſedeat. Et quia *Creatio* reſpicit & dicit habitudinem ad rem exiſtentem in perfectione, rei verò perfectio ſit ſua cujusque interna & Eſſentialis Forma, ergò ejus immediata origo non aliunde quam ex creatione eſſe poteſt: atque ideo *ex unico rerum Creatore ineffabili*, ut pluribus *Helmont. de ortu Formarum* perbellè differit.

Unitis verò Principiis prodit Eſſentia, quæ ſi induta fuerit ſuâ quantitate evadit Exiſtentia ſive ſenſibilitas accidentium: Et in his duobus Eſſentia & exiſtentia unitis habes Formam ſpecificam.

Omne jam Axioma eſt, *vel de Eſſe, vel de non Eſſe.*

Eſſe, vel creatum eſt, vel increatum. Creatum eſſe, eſt fluxus à non Eſſe, ad Eſſe, per increatum tendens ad ſimplicem motum, vel ſenſibilitatem, hoc eſt, vel *ſpiritualem*, vel *corporalem*, & ex his vel *ſurſum*, vel *deorſum.*

Primum haud laſſatur: *Alterum* requiem amat. *Primum* etiam non impeditum ſemper durat: *Alterum* vero accidentibus gravatum, cum ipſis aliquandiu diſgregatur.

Primum comitatur Eſſentia, vel ſimplicitas infiniti: *ſecundum* verò Exiſtentia, & ſenſibilitas.

Primum habet extenſionem totius in toto: *ſecundum* verò ſolum per ſucceſſionem ſuarum partium.

Primum ſibiipſi in ſeipſo apparuit abſque diſtinctione: *ſecundum* verò per gradualem additionem accidentium.

Primum omnia facit & operatur abſque ſenſuum organis, atque quodvis connovit, nec niſi ſibi placet: Contrarium huic eſt *alterum*, quod ſenſibile eſt, ſecus quam primum, quod non apparet, niſi ductoris voluntate.

Et hoc modo increatum dicitur, ac demonſtatur, per non Eſſe, ad Eſſe: non verò naturâ ſuâ, ſed ſolùm per ſuam creaturam, & gradus corporeos, vel ſpirituales. *Ut enim Deus ipſe cognoſceretur, effecit quendam motum*, qui tamen cum non ſufficeret, ab eodem *adjicitur ſubſtantia Angelica*, quæ omnes res intelligit, & ſic Authorem connotat. Unde homo unitus cum Angelo, novit ſenſibiliter Deum; & cum Angelus proprius ſit infinito, nihil habet de corpore.

Anima verò non agit, niſi per ſenſus, & reliqua organa corporis, hinc corpus ſequitur quo ſi exſolvitur, ferè angelis ſe confert.

Sed quoniam ad particulas, ſive Principia, utpote partes contrariantes concretum conſtituentes, planius explicanda, terminis opus eſſe videmus, paucis eos percurramus.

In genere horum ſunt duo, *Forma* & *Materia.* Ortum Formarum audivimus. Reſtat *Materiale Principium*, ex quo omne concretum primordium ac incrementum, duxit. Hoc varium à mul-

tis

tis creditur, v. g. *Sal*, *Sulphur*, *Mercurius*, *Aqua*, *Terra*, *&c.* quatenus compoſitum conſtituunt. Sed *hæc tam ante*, *quam poſt ſeparationem conſiderari merentur*, & vel remotè vel proximè.

SAL *ante ſeparationem* conſideratum, dat ſubſtantiam ſolidam, & compactam, ac efficit omnes varietates, regitur humiditate, & frigore denſatur.

SULFUR regitur à particulis acidis, ramoſis, & hamatis, ſed flexilibus, hinc corpus reddit fluxile, & extenſile.

MERCURIUS propriè ſic dictus, ob particularum ſibi preſſius incumbentium lævitatem, & celerrimum, in ſe tamen debiliorem motum, humididatemque Metallinam, ſemper eſt in fluore, unde nequit comburi: à poſteriori celeritatem oſtendit volubilitas, debiliorem motum ponderoſitas, humiditatem Metallinam incombuſtibilitas.

AQUA nutrit.

TERRA augmentat.

Itaque videmus effectum unionis Formæ, & Materiæ, ex quibus conjunctis Eſſentia conſtat.

Exiſtentia vero eſt ultima eorundem unio, pro ſenſibus facta, hoc eſt, ratione accidentium, quæ ſunt effluxus externi, producti à formis ſubſtantialibus, ut folia à plantis, & (ut volunt Ariſtotelici) qualitates ab Elementis, Varietas externa, oritur ſolùm à particulis paſſivis, diversè compoſitis, & figura extrinſeca.

Individuum exiſtentiam corporis demonſtrat: Forma vero particularis detegit Eſſentiam internam, & virtus pluribus communis indicat genus, velut actus potentiam, quæ Chaos dicitur, ſeu univerſum abſque diſtinctione. Chaos enim nihil aliud eſt quam Eſſentia univerſalis, ſibi ubique ſimilis.

Subſtantiæ verò corporeæ, non niſi ratione accidentium ſenſibiles ſunt, ſubtiles nimirum per activarum, ſolidæ verò per paſſivarum particularum variatas diſpoſitiones.

Senſibiles verò fiunt iſtæ particulæ ex combinatione bina, nimirum ex ☿ plus, vel minus; ☿ ſurſum, & deorſum; ☿ intus, & extus, &c.

Sic

Sic *ex particulis acidis* mentaliter figura plus rotundis, & ſenſualiter mole magis exilibus, celeriter motis, *ex mente Gaſſendi fit Ignis*: Sed hæc ex effectu tantùm dignoſcibilia ſunt, quia à priori demonſtrari nequeunt.

Ex particulis verò *minus acidis extenſis*, & in circumferentia leniter motis, *conſtat aër*, ſi verò hæ plus acutæ à circumferentia ad centrum contendant, *oritur frigus*, & *contra calidum*, ſi eædem à centro ſurſum, plus, vel minus, exſiliunt & dilatantur.

Non verò percipiuntur particularum harum actiones, niſi ex ſubjecto earum tacto, ſunt enim quaſi ſpirituales, effectrices, motrices.

Paſſivæ verò ut magis materiales, omnibus ſenſibus communes ſunt, propter activas & formales, quæ in ipſis reſident, ſunt enim illæ veluti matrices, & nutrices.

Activarum particularum effectus, à *Galenicis* nomine Qualitatum inſigniri ſolent, falsè perſuaſis, has eſſe veras conſtitutivas morborum cauſas: ſed longè eos errare, leges apud *VVilhelmum ten Rhyne, ubi ex Helmontis mente in meditationibus de Veteri Medicina* p. 75. 76. *Quaternaria*, inquit, *cantilena Elementorum*, & *quatuor complexionum*, *quatuor humorum*, *quatuor primarum qualitatum poſitiones*, *& conjugationes*, *tanquam infauſtum ſidus poſt ſe trahit*, & Medicinæ, & pluribus rebus Mechanicis ſterilitatem adferens.

Hæ quippe à rebus abſtractæ modales qualitates, principiis conſtitutivis adveniunt, ab objecti appropriatione tantum ortæ, & tum *Qualia*, *non Qualitates nuncupandæ ſunt*; Qualitates enim, quas enucleare Metaphyſici, non Phyſici eſt, in natura nunquam cauſarum vices ſupplent.

Et ſi de Qualibus quæſtio ſit; non calidum, non frigidum in ſubſtantia habendum cenſet *Anaximenes* apud *Plutarchum*. Sed *nos Hippocrati*, amarum, ſalſum, acidum &c. perveſtiganti, potius *adſtipulamur*. Hæc verò nota in effectu, ignota verò in cauſa ſunt, niſi per ſchematiſmos ſive figuras explicentur. En Rhodus, hic ſalta? *Diſtinguant ſemel ſcholæ amarum in opio*, *ab illo in mandragora*, *in hyoſciamo*, *in vitriolo*; quæ cum anodyna ſint, frigida appellant,

cum

cum tamen amara ipſis notabiliter caleant: ut id inter Scholaſticos confitetur *Matthiolus*; Qui quamvis, inquit, opium quarto exceſſu frigidum ſtatuatur, tamen, ſi ex ſapore, & effectu, rerum temperamenta & Qualitates cognoſcuntur, opium noſtri uſus, non modò guſtu amarum percipitur, ſed etiam acre, adeò ut paulum in ore detentum, linguam & palatum exulceret, unde haud dubiè colligi poſſe putatim, calidiſſimas illi ineſſe qualitates. Cujus rei fidem augere poteſt ea, quæ inde prodit, odoris gravitas. Odorem enim cum guſtu maximum habere conſortium jam diximus.

Atque ita *calidum*, *frigidum*, &c. *ex efficientium cauſarum claſſe proſcribimus*, omnemque eorum præſtantiam in eo collocamus, quod à συμπάρεξειν dicantur. *Nam à ſolo calido homines non febricitant*, ſed idem & calidum eſt & amarum. Hâc viâ nervoſius Quaterniones proſlixit *Magnus Hippocrates*, quam ut Tractatui de Veteri Medicina, Hippocraticum genium verè ſapienti, vel jota adderemus: Ibi enim docemur exactam certitudinem ex corporis ſenſu deſumere, quoniam ille artem efficit. *Hæc ille.*

Ex quibus clare patet, *ſenſibilitatem corporum non in fictis qualitatibus*, ſed *in particulatum variata diſpoſitione, & motu conſiſtere.*

Sed hæc ante ſeparationem conſiderata ſunto.

Quoniam verò *Chymia in corporalibus rerum principiis*, ſive particulis ab invicem ſeparandis, potius occupata eſt, ad ea faciamus progreſſum. Sunt vero hæc, ut jam dictum ante, *Sal*, *Sulfur*, *Mercurius*, *Aqua*, *Terra.*

Principium ſive *PARTICULÆ SALINÆ duplices ſunt*, *ACIDÆ*, & *ALCALINÆ* & ambo vel *fixæ* vel *volatiles.*

Alcalinæ fixæ ſunt ſolidæ, ponderoſæ, oblongæ & rectæ, inflexiles tamen & rigidæ, varios hinc poros efficientes, qui tum facile rurſus, ceu vacui acidum quodvis recipiunt, & cum eo mediante humido, varias & innumeras ſpecies, imò omnia corpora naturalia, ex variè variata mixtione conſtituunt: nec etiam lucem utpote acidum ſubtiliſſimum veluti in Phoſphoris conſpicuum, excludentes.

Fiunt verò, & ſeparantur particulæ hæ Alcalinæ, ex triplici regno, Fixæ verò ex Vegetabili, & etiam Minerali, Volatiles verò ex Animali potiſſimum.

Mechanica earundem ſeparatio & elaboratio fit combuſtione, ſive calcinatione, & ex mente *Carteſii* in hunc modum ſe habet:

Præſupponatur corpus anguloſum, ſive poris anguloſis præditum: Ignis hujus poros ſubiens & particulas circumrotans, angulos illos mutua attritione abradit, quicquid in hâc mutua confricatione abraditur, illud eſt anguloſum minutiſſimorum ramentorum inſtar, & ſpecie fumi aſcendit, & coagulatur, vel in corpus ſiccum vel in aquam, ſeu ſpiritum acidum. Ita abraſis angulis corpora fiunt globoſa, glabra & lævia, quæ diutius igne fortiori circumacta Oleum conſtituunt. Videmus enim corpora plana & lævia, continuo motu magis magisque complanari & lævigari, quicquid igitur in illo motu abraditur læve, molle, glabrum, id eſt Oleum: Idque tam diu durat, donec globuli ita ſint abraſi ut ex figura globuloſa in cylindricam, teretem, & oblongam, vel etiam cubicam pyramidalem, aut aliam irregularem tranſeant figuram, tum enim amplius ita rotari non poſſunt, ſed ob longitudinem ſuam, & irregularitatem mutuo ſibi incumbunt, ac Alcalia fixa ſive cineres conſtituunt: quæ tandem fortiſſimo igne, acido ex flamma ſeu igne vel arena, aut ſilice reattracto vitrificantur, hincque ob ſubtiliſſimum illud, & ex luce enatum acidum, fiunt pellucida, & quo purius eſt Alcali, hoc ex luce enatum acidum apprehendens, eò pellucidiora fiunt corpora vitrea.

Hoc experimento conſtare videmus, *ſalia, corporibus ſaltem potentia paſſiva ineſſe*, & per artem, ignis ſaltem ope ab invicem ſeparari; cui aſſertioni *aſſentientem videmus Helmontem*, in tractatu Blas humanum, ubi inquit: Alcali non generatur in cinere ab igne efficienter, quanquam effectivè inde procedat, nam officium ignis eſt quidem accendere, conſumere, & ſeparare, non tamen quippiam producere. Cum non ſit dives ſemine, ipſe deſtructor ſeminum ignis. Dum ergò Alcali fixum fit ex ſale antea volatili, non eſt productio rei nova, ſed rei alteratio ſaltem.

Alcali

Alcali enim materialiter quidem erat in concreto ante crematione, veruntamen, *dum ignis tollit Mercurium*, & *ſulfur*, *ſal* tanquam principium magis ſubſiſtens in liquidatione concrementionis, *arripit ſibi vicinam ſulfuris*, *ſive pinguedinis partem*, eamque, dum ab ignis tortura non ſat valet tueri, partim ſub larvâ Gas ſimul avolat, atque empyreumatis odorem acquirit, partimque apprehenſo ſulfuri colliquando incorporatur, ut fiat verus carbo.

Patet hinc, *nullum Vegetabile largiri ſal fixum cujuscunque ſit generis, niſi comburatur actuali igne*, & à contrariis, ſive adhærentibus particulis ſeparetur. Unde poſtea varios nanciſcitur poros, & vacuum fit corpus virtutibus per ſe deſtitutum, ſicuti ingenioſiſſimus *VVilhelmus ten Rhyne de ſalium figuris verè* diſſerit p. 315. Innumera inquit & fermè auſim dicere, ſingula in hanc veritatem (ſolis acidis acumen competere,) conſpirant experimenta; quæ quoque ex contrariorum juxtapoſitione magis eluceſcunt; ubi *omnia calcinata* (vera *Alcalia*) *figuris notabilibus carere* docet ἐμπειρία.

Alcalium etenim *non eſt agere*, ſed pati, ſeu recipere.

Non lubet hic Belgico indulgere luſui, Alcali quaſi totum vacuum, *al Kael* vocitando; *Tartarum* omnia abſorbenti *inferno comparando*, ſufficit *Alkali per ſe virtute deſtitui* conſpicuis figuris privum, *nec agere* quatenus corpus, *ſed quatenus figuratum ab acido*, ſicuti idem ingeniosè plus explicat p. 79. ubi ſaporum cauſas & differentias ita deſcribit: Sed *quomodo*, inquit, *ad fibrillas linguæ nerveas penetrant corporum ſalia?* Primo cibus (nam potus ſpontè quæ habet ſalia, dimittit,) maſticatur ut convenienti menſtruo, ſalivâ, ſal eliciatur; ac cum acida tantùm exſerant figuratas ſcheſes, illæ lingualis ſerici interſtitia intrant, ut nerveas papillas vellicent. Quæ vero Alcalina ſunt, à ſubacida ſaliva acuuntur, ut dictas fimbrias expeditius feriant. Si enim aromata in natali ſolo ardentiore Sole aduſta & Alcalino ſale ſcatentia ſalivâ diſſolvantur, linguam ardoris ſenſu mordent, quòd celerior ipſis à Sole adfricatus ſit motus:

Solis enim in ſaporibus tanta eſt energia, ut hos plane quandoque immutet, ut ex fructuum maturatione abundè colligitur. Jam depravatur guſtus vel variorum Qualium in ſaliva vitio, vel ſapidorum corporum vitio; Sal enim vel majori minorive ſui cum aquâ aut terrâ, combinatione, vel ſui ipſius exaſperatione, deliquiove exceſſu, vel defectu, agilitate, aut tarditate guſtum variat.

Ex his ferè liquet, *Plantarum Alkalia, nec ſpecie differre, nec diverſas operationes obtinere*, ſed omnia tanquam vacua, acidis delectari vel contrariari, ut tertium quid producatur. Cui item aſſentientem habemus *Boylæum in Paradox. Chymic.* p. 154. ut & *Helmontem.*

Si verò *in Minerali Regno particularum ab invicem ſeparatio inſtitui debeat*, curiosè obſervandum, ut circulatio ignis ſine impedimento fiat, ubi *ſeduló cavendum, ne corpora confluant*, quam primum enim fluxu conjunguntur, non poſſunt abradi mutua attritione anguli, & conſequenter non ſeparari acidum & Alcali, quia cohæſio partium impedit abraſionem. Hinc aliquid heterogenei vel influxilis addi debet, ad prohibendum confluxum, & promovendam abraſionem.

Hiſce conſtat, omne *Alcali* in genere *eſſe particulas*, mediante calcinatione ultimo productas; alias autem & vel *occultas*, vel *manifeſtas*, vel *odoriferas*, ut volatiles, vel *inodoras*, ut *fixiores*, vel *lixivioſas*, vel *urinoſas* vel *benignas*, ut omnia medicamina, tam fixis quam volatilibus particulis conſtantia, vel *malignas* ut Venena.

Omnium tamen generalis proprietas conſiſtit in efferveſcentia cum acidis, vel apertè vel occultè.

Acidæ particulæ ſunt corpuſcula luminoſa, è Sole pronata, ſubtiliſſima, hinc penetrantiſſima, Alcalia fermentantia, & moventia, vel excitantia:

Eſt itaque Acidum motor & agens, Alcali verò, ut dictum, patiens vel fœmina omnibus ſe fideliter accommodans, ut confirmat ſupra citatus *Wilhelmus ten Rhyne.* Hæc ambo mediante humido juncta fœcunditatem omnibus rebus vivificam largiuntur: Ex harum

harum etenim particularum, figura & variata textura, *præsuppoſito tamen univerſali movente, quia corpora mathematica non agunt per ſe, ſicuti nec mechanica*, omnes exſurgunt diverſæ magnitudines, & corpora compoſita, mediante tamen aqua, cujus pori tales ſunt, ut acidum & Alcali ex texturæ & figuræ proportione, certo modo ſibi adhærere, & mutuo amplexu ſe apprehendere facile queant. Hujus enim particulæ flexiles ſemper in motu, eorum in ſe actionem facile promovent, ut unum in alterum impingant, nam hoc agit in illud, & illud viciſſim, hoc trudit, illud trahit, idque tamdiu, donec diuturnâ actione & paſſione unita, ſibi firmiſſimè adhæreant, & ita figuræ & texturæ mutatione, in corpus variè variatum, ratione aliarum item particularum unà variè concurrentium, abeant, quæ tandem denuò rurſus ſeparata, mortis auctores exiſtunt.

Eſt verò *Acidum triplex*, *Minerale*, *Vegetabile*, *& Animale*, & vel fixum, vel volatile. Fixiſſimum omnium in Metallis, minus verò fixum in mineralibus & reliquis.

Volatile ex omnibus fit, efficacius tamen ex Mineralibus.

Eſt item Acidum vel manifeſtum, vel occultum, & differt vel ratione ætatis, alimenti, ſexus, & vel ſanorum, vel ægrotorum, ſicuti etiam diverſam obtinet naturam ratione gradus, in ventriculo, in liene, in hoc vel illo ſubjecto, &c.

Hæc de ſalibus in ſpecie conſideratis.

In genere verò *conſideratur ſal quatenus eſt compoſitum*, ut ſal culinarium, marinum, &c. quæ ex acido & Alcali combinata ſunt, & ſaltem differunt ratione plus vel minus, & hoc ratione particularum variè figuratarum, ut aliquoties ſupra citatus ingenioſiſſimus *Wilhelmus ten Rhyne*, acute confirmat, quando p. 294. narrat, ſe in ſalinarum figurarum exiſtentiam inquirendo, recepiſſe aquæ communis uncias quatuor, & ſalis communis unciis binis ſaturaſſe, deinde adjeciſſe dimidium aluminis, tantundem nitri, idemque ſalis ammoniaci pondus, nec à juſta diſſolutorum menſura auctum fuiſſe aquæ volumen. Tum cogitavi, inquit, & aquæ ingentia, ex cylindro-

rum incumbentia, esse interstitia, in quibus per aquæ lubricitatem, ita minutim defricatæ salium laminæ absconduntur, ut non nisi aquæ evaporatione, vel salium præcipitatione iterum prodeant.

Cogitavi & salibus diversis diversas esse particulas, non magnitudine solum, sed etiam figura differentes. Video enim vel basin unius prismate alterius esse latiorem, vel prisma istius basi alterius esse acutius, & viciſſim. Conjiciebam quidem alterum altero plus vel minus Alcali secumve obtinere; sed dum ipsa arripio salia, in singulis dmmodo integris salis communis granis cubum seu quadrangulare schema contueor, cujus basis prismate quadruplo circiter latior est.

Cæterum sal cibarium esse non posset, sed ne gustus organon nimis altè perforet, prohibet id cubica schesis, cujus latera, & ab obtusiore prismate in latiorem basin proxima terminatio, facilem renuunt introitum. Nam *quo Poloni* &c. pro cibario utuntur sale, *sal gemmæ linguam nimiopere pungit.*

Videmus hinc perquam clarè, *Salium* ac eorundem spirituum *effectus, non à fictis Qualitatibus*, utpote calore, vel frigore dependere; *sed figuris eorum plus vel minus acutis adscribi debere*: ubi tamen illibatæ acidorum scheses activorum operationes solùm perficere, facilè pemonstrari potest; non modo in simplicibus, ut si *spiritum Nitri, Salis Vitrioli, &c.* tanquam acidum, *sali Tartari &c.* utpote Alcali, affundamus, videmus cujuslibet acidi nativa resurgere spicula: sed etiam in compositis eædem figuræ, earumque vires emicant.

Vulgo notum est *aquam fortem solvere Lunam*, *Regiam* verò *Solem*; *ratio ex schematismis patet.* Si enim prioris solutionis menstruum per Alcalia in sua sistatur schemata, emergunt seorsim & Vitrioli & Nitri figuræ: Si posterioris armoniaci quoque salis scheses elucent, quod quia acutioribus cuspidibus instruitur, solidissimam Solis massam facile solvit. Sic etiam Nitri pyramides maximam aquæ forti impertiunt vim, ut etiam hujus spiritus validas calculi radices, & fera ferri corpora dissolvere queat, ubi aliis spiritibus acidis via præcluditur.

Videmus

Videmus porrò *Alcalia notabilibus carere figuris*, nec ea inter se multum distare, nisi fixitate, vel volatilitate : Si enim acidus commisceatur spiritus, non sua, sed spiritus prodeunt schemata, & ut dictum, sola in Alcalinis diversitas est, ratione fixitatis, & copiæ, quæ enim volatilia, citò avolant, quæ verò fixa, urgentiori igne uri debent, antequam salia ex iis emergant, & mera fiant Alcalia.

Docemur item, *ex acido & Alcali omne sal compositum, enasci*, vel purum vel impurum, prout alterum altero plus vel minus, alcali acidi vel fecum adjunctum habet. Sic *sal gemmæ*, utpote plus defecatum, *figuras magis aculeatas obtinet*, secus quam reliqua, quæ fecibus onerata, multo debiliora existunt. Sequiturque inde, quod quo purius Acidum, Alcali apprehendens, itidem fecibus destitutum, eò purius emergere exinde compositum sal, ut conspicuum nobis præbet exemplum *Tartarus Vitriolatus*, & reliqua, quæ cnixa ab aliis vocantur salia.

SULPHUR constat ex particulis ramosis, hamatis, flexilibus tamen, ac lamellulatis, hinque tenaciter admodum sibi adhærentibus, quoniam à salibus continuato Solis æstu rectificatis, & ita intimè cum corporibus combinatis, sulphur ortum traxisse videtur.

Acido enim sulphur imbui, docet ejus resolutio, si enim sub campana comburatur, adest Acidum.

Hoc *Acidum sulphuri* κατ' ἐξοχήν *nomen conciliavit*, quoniam pestis alexipharmacum certum est : ex quâ etiam causa Hippocrates loca pestifero contagio inquinata, sulfure suffiri jussit, & hinc sylvas etiam combussit, ut acido ex lignorum oleis pullulascente, pestem abigeret.

Hoc experimur *in pulvere pyrio*, quòd *pestis tempore cum levamine iteratò incenditur* : cum acres spiritus malignitatis invectores, Acido domentur, & figantur ut observatum fuit in Legione *Neapolitana*, quæ *integra peste* periisse perhibetur, *excepta unâ Germanorum cohorte*, quæ indusia ad fugandos pediculos hoc pulvere tinxerat.

Sed hæc *de sulfure nostro communi* in specie dicta sunt, licet in genere

genere Principium ſulfureum per hoc explicari poſſit, cum *particulæ ſulfureæ ferè nil aliud* ſint, *quam ſalinæ*, longiori Solis æſtu perfectæ, & digeſtæ, ut in Metallis & Mineralibus principaliter obſervandum, ubi ſalinæ particulæ planè immutatæ deprehenduntur in ſulfur, quod de facili poſtea ſalinis menſtruis ceu ſimilibus & amicis patet.

Solare tamen ſulfur reliquis Metallorum ſulfuribus *elaboratius eſt*, ut patet ex reſolutione, ubi ſubtiliſſimis particulis menſtruum conſtare debet, ad ejus compagem reſolvendam: reliquorum verò Metallorum ſulfur magis indigeſtum eſt, atque rudioribus hamis congeſtum, unde eorum particulæ tam arctè ſibi non incumbunt, etiamque hinc minus ponderant: *Minus* verò omnium perfectæ, & elaboratæ, ac *hamatæ deprehenduntur Oleorum particulæ ſulfureæ*, quæ ob id nondum coagulari potuerunt, licet ob ramoſas particulas ſe multò implicantes, leviſſimè congelentur, ut *conſpicuum eſt in Oleo aniſi*, ſi paulum frigori exponatur.

Quod *putredinis* ſit *domitor ſulfur*, unicè *principio ſalino adſcribendum* duco, quod concentrat ſpiritus ſive particulas ab invicem ſeceſſum facientes: quod verò facillimè omnia flammam concipiant ſulfurea, acido item tribuendum judico in flamma ſeu igne contento, quod per modum efferveſcentiæ ſulfur, Alcali ſuo combinatum accendit, & cum eo citam init copulationem, utpote cum amico, à quo activo Solis motu fere erat avulſum, & in aliud ens quaſi converſum:

Hoc videmus *ſi vulgarè ſulfur incendatur*, tunc enim ſubtiliſſimam *flammam concomitari odorem aquæ forti vix cedentem* perſentiſcimus: quem ſi campana receperimus, acidum Spiritum habemus, qui valde attenuatus, flammam fovet, & partibus combuſtis acidum imprimit.

Colores item & *tincturas ſulfuri primariò damus*, cum iiſdem mutandis maximè ſit appropriatum, non tamen alia corpora à colorum productione arcentes. Hujus etenim particulæ diverſis extenſionum, contractionumque formis ſubjacent, quibus *interveniens luminis*

luminis ictus, pro partium positura colores variat: quò verò sulfur est compactius, eò color rubicundior, in flavum, subflavum, albidum, &c. declinans.

Accuratè verò *colorum differentias metiri*, æquè ac in odoribus *difficile, nisi per figuratorum schematum situm determinemus*, ubi tenuia & acuminatiora defricata ad odoratum, crassiora vero & condensatiora obtusiora ad gustum referuntur.

Sulfur enim à sale non nisi particularum tenuitate, & crassitie, rarefactione, & condensatione, acumine, & obliteratione, adfricatione, & defricatione differt. Sic aliâ particularum positurâ compinguntur delectabiles, quam qui non delectant colores. Et sic de cæteris.

MERCURII nomen vel generale est, vel speciale: in genere analogicè ita vocatur, ob convenientiam quam habet cum Planeta cœlesti, ratione mutabilitatis. Et ex hac causa *omnes particulæ inconstantes, leves, mobiles, fugitivæ, & spirituosæ, Mercuriales* vocantur, omnibus se associantes corporibus.

In specie Mercurii nomen obtinuit argentum vivum, tanquam minerale, *constans* particulis lubricis, *semper mobilibus*, acidis tamen, *siccis, & intensè volatilibus*, simul corrosivis, durissima etiam permeantibus.

AQUA constat ex particulis cylindricè rotundis, hinc lucidis, lubricis, fluidis, flexilibus, volubilibus, unde etiam in hac, quam in Oleo, facilior partium diffluxus; & quia *Oleum ramosis complicatum est particulis*, magis opacum est.

Anguillares non possunt esse figuræ aqueæ, quia tum se aliis implicarent, ac tenaciter adhærerent, nec ita fluidæ forent, ac difficilimè in vapores migrarent, ut in oleosis conspicuum.

TERRA ex particulis rigidis, & fibrosis constat.

Atque hæc sunt rerum naturalium Principia constitutiva, ex quibus in operationibus chymicis sequentia emergunt, utpote:

ESSENTIÆ sive *Tincturæ*, quæ *sunt liquores sulfurei*, maximè subtiles.

OLEUM est *liquor aqueus sulfureus*, minue attenuatus, ex particulis ramosis, mollioribus tamen, ac flexilibus, sphæricisque combinatus.

SPIRITUS volatilis, est humiditas aërea sive mercurialis incombustibilis.

EXTRACTUM est corpus *ex subtilioribus terræ particulis* mediante humido, non exclusis tamen salinis, sulfureis &c. conflatum.

FLORES sunt *corpuscula sicca, volatilia*, in partes divisibiles elevata, leviter tamen rursus uniendas.

MAGISTERIUM est *calx subtilissima*, per acidum corrosa, & per contrarium præcipitata, &c.

Hæc est *generalis Principiorum naturalium dinumeratio*, tam ratione *Formæ*, quam & *Materiæ*, & compositionis, & conservationis.

Quod verò ex his pro primo & primordiali ac materiali rerum naturalium Principio habendum sit, dissentiunt authores: *aliis cum Paracelso tria, aliis unicum*, sal: *aliis plura credentibus*: sed cum omnia hæc partes potius concretorum sint quam Principia, nos *cum Helmonte, Boylæo, Schyrlæo, ten Rhyne* & aliis de certioribus cogitamus Principiis, notioribus, & simplicioribus, nec solum mente, sed & manu dignoscibilibus. *Distinguimus* vero *in Activa*, & *Passiva*: *illa* ad *unicum sal*, ut figuratum ab Acido, referendo; per *hæc* cum *Thale Milesio*, *Aquam*, ex quâ nata sunt omnia, credendo.

Probant id non tantum sacræ literæ, ubi eæ primò creatæ leguntur: sed & tam aquarum in germinatione & nutritione necessitas, quam & per ignem corporum omnium in aquam reductibilitas.

Quod *Aqua omniseminaria* sit, sive omnia per *omnia nutriat*, hoc probant *salix*, mentha, quæ *solius aquæ alitura in ipsis lapidibus & arena*, in *summam altitudinem excrescunt*, ut jam terræ pondus excedant: Hinc in petram cadens semen, quia humorem non habebat, exaruit, nec virgultum, nec herba oriebatur antequam plucrat. Votis igitur vocandus imber fertili agro apud *Virgilium*.

Si

Si Menſe Martio betulam perforamus, extillat aqua, quæ ſpatio quatuordecim dierum præponderabit arbori cum ramis, & radicibus, *ut* inde *videantur arbores ex ſola ferè fieri aqua.* Et *ſi mortuorum cadavera* in cœmeteriis, *non in aquam*, ſed cineres, & terram, migrarent, in immenſum cœmeteria concreſcerent, quod verò experientiæ repugnat. Sal ideoque inhumata cadavera devorans aquâ diſſolutum in terræ cuniculis ſe abſcondit, ſicque vetat ejus turgeſcentiam. *Si* verò ut *Sacra memorant, cadavera in cinerem* vertuntur, *ergo in Sal lixivum*, quod aquæ paritionem præſtat.

Cum ita *corpora omnia materialiter ex ſola aqua* prodeant, ita & in eam per artem reduci rurſus poſſunt: pro unico & ſolo ſufficienti exemplo nobis ſint *Olea*, quæ difficulter aliàs aquæ commiſcentur. Hæc *tam ex Vegetabilibus, quam Animalibus*, adjecto pauco *Sale Alcali*, ſaponis naturam aſſumunt, & inde in aquam reduci poſſunt, vel addito alcali volatili, *cum Spiritu vini* citius *in aquam redeunt:* nec ipſa etiam Terra, *Helmonte teſte*, à reductione immunis, ut nec lapides, quæ ipſa aquæ fructus exiſtunt.

Clariſſime ex hiſce patet, *rerum omnium naturalium materiale principium*, & incrementum, *ex ſolâ & unicâ* conſtare *aquâ*, mediante ſemine ſpecifico, ſeu Formâ intrinſeca, & univerſali motore, diverſimodè modificatâ, & variè figurata, & ſalificatâ, ex quarum ſymmetria perpetuus rerum naturalium oritur conſenſus.

Aqua itaque nutrit, Sal informat, Terra vero conformat, atque ita ſervatâ legitimâ pabuli portione, procedit æquis paſſibus germinatio; ſicuti limaces domicilium ſibi formantes, æquali dimenſione cum iſto accreſcunt.

Aqua in vegetatione terræ *ſalia ſolvit*, ut quæ in ſeminum incunabulis latent, iisdem foveantur, & ſi nimis indigeſta hæc ſint, multis cuniculorum in terra, fibrarumque in planta mæandris rectificentur: quod verò in terra non perfecit, *in aëre* præſtat, in qua *ſalis hujus perpetua quæſi eſt Minera circularis*, nam quæ ex terra exhalant ſalia, volitant in aëre, & ſi eis terra indiget, ex ea recuperat, *concurrente* ſemper ut dictum *univerſali motore.*

Hunc *primarium ſublunarium motorem Hippocrates* jam ſubtilem aërem, jam terræ & alimenti vehiculum, jam calidum appellat. *Plato* animam Mundi vocavit, hujusque motus ſurſum, non deorſum inclinat, ac *Sol eſt.*

Ut vero producantur fructus, *loca aëri patula ſint, non quod aër ſolo motu* hæc abſolvat, *ſed ut* tanquam concauſa, *ſalem ſolvat*, nec humidum denegetur, tanquam verum, primordiale, corporum nutrimentum & principium materiale.

Ut brevibus rem expediamus, & præmiſſa demonſtremus, lubet proceſſum quaſi mechanicè per exemplum deducere.

Sumamus *Vegetabilis cujuſdam ſemen*, hoc *terræ immiſſum*, vel item extra terram ſæpius, aquâ humectatum, diſponitur ex unitate ad extrinſecam ſuam formam, mediante univerſali motore *Sole*, producendam: Alcali enim in ſemine latens, cum Acido, veluti ex puncto reſuſcitatum, extrorſum protenditur, & per lineam quaſi ex unitate, per binitatem, & trinitatem, ad compoſitum corpus, per varias ex contrariantibus ſalibus emergentes figuras cubicas tendit, tandem circulum formando:

In tanta namque circulatione, *Salia, ex variis quadraturarum figuris abeunt in olea*, circularis figuræ; ſicuti omnia corpora perfecta ferè circulum imitantur, non tantum in Vegetabili, ſed & Animali, ac Minerali Regno: tales verò eſſe in minimis ſcheſes, quales in majoribus cernimus, facilè concludendum.

Hîc *aquam* ceu primam, & *principaliſſimam* concretorum *materiam*, in & per quam creſcere omnia nata ſunt, conſideramus: deficiente enim ea, ſterilia eſſe cuncta, ex Sacris legimus: in hâc tamen fit mixtio per motum *à Sole, ſive Luce*, ſubtiliſſimis nimirum Acidi particulis dependentem, abſque quibus non agit Alcali, cum illis ſolis & acumen, & ſubtilitatem, debeat: cum enim *nulla res* corporea *ſua vi ſurſum* fertur, impulſore *Sole opus eſt*, antequam vertex adeatur: & tunc, quando Salia per varias fibrillarum torturas hanc compulerunt, arctiſſimè unita *faceſſunt in oleum.*

Hæc

Hæc in Vegetabilibus, ſi nacta ſunt ſolum natali Sole calentius, *minima exſerunt ſpicula*, ut in aromatibus conſpicuum, quæ ob id ſenſu aduſtioni analogo, linguam mordent, cum eis *à Sole celerior adfricatus ſit motus*, & quoniam æquali, ſicut *empyreuma inæquali*, igne aduſta ſunt, fragantiam, loco fœtoris, ſpirant, quia in his ſalium figuræ mixtæ ſunt intimius, & defricatæ minutius, hincque facilius exhalantes.

Cauſa item in Odoratis perficiendis concurrens, eſt *pororum* ſumma *coarctatio*, per quam *aquæ ſuperfluæ præcluditur aditus*; quæ ſi irruat abundantius, ſibi magis patulas facit vias, ac ſalia nimium diſſolvendo, plantarum debilitat vires; ſicuti in ſpongioſarum & laxarum plantarum analyſi experimur, utpote quæ *aquam* abundanter, noſtram communem efficaciâ vix prævalentem, promunt.

Hoc ideoque legitimum *rerum naturalium pabulum*, diverſimodè *corpora alterat*, quod vides, ſi diverſas intuearis plantas, ubi quæ ejuſdem nimia obruuntur copia, in proprium luxuriant interitum, quia plus aquæ ſuppeditatur quam ſal elaborando eſt; mixtio enim intimior, & per aquam nimia dilutio, figuratæ conſpicuitatis hoſtes ſunt.

Pabulum itaque juſtè commenſuratum eſto, quo ſalia plantam variatis ſuis propriis à Deo conceſſis figuris juſtè exornent ac virtutibus legitimè imbuant.

Luculentius hæc capies, ſi diverſa intuearis plantarum vel florum folia, quorum hæc hirſuta, illa glabra, alia lanuginoſa, alia tandem pungentibus prædita cuſpidibus ut urtica, &c.

Si verò arctioribus clauſtris irretiantur hæc plantarum conſtitutiva, perennes ſunt, ſicuti *flos gnaphalii*, qui quum nec nimia aquâ dilui potuerit, nec nimio ſcateat ſale, longum tempus ſuperſtes eſt. *Unicum igitur Acidum viribus manifeſtum eſt, & ſpiculis conſpicuum, & tam guſtu quam viſu & odore, juxta figuras dignoſcibile.*

Non enim Oleum linguam mordet nisi salinæ in eo obriguerint particulæ. Hoc videmus in gummatibus, item aromatibus, quæ quia plus Olei, minus salis habent, & contra.

Si enim *aromata in ore madescant*, percipimus *confestim salium in iis latentium vires*, salinæ enim particulæ salivâ solutæ, lubricis oleorum hamusculis sese extricant, quarum *minimæ odoratus potius*, quam gustus objectum sunt, & in externis pro varia particularum figuratarum positura, interveniente lumine, visum magis vel minus delectant. Atque ita conspicimus *ex Unitate omnia*, & omnia tandem rursus ad Unitatem regredi, cum id quod fuerunt desinunt esse.

CHYMIÆ

Sive

NATURALIS PHILOSOPHIÆ

SECTIO I.

De Fundamentis & Requisitis Chymiæ.

CAP. I.

De nomine Chymiæ, de Definitione, Subjecto, Fine & Divisione.

NOmen Chymiæ ignaris & idiotis exosum adeò esse solet, ut medicamina hâc arte elaborata & parata, tanquam summè periculosa exclamare, & in vulgus traducere haud erubescant; non considerantes vilissimam etiam aquam destillatam, nomen chymici medicamenti sibi vindicare; nec ullum medicum etiam simplicem Galenicum, talismodi medicaminibus carere posse; imo illum Medici nomine indignum omnino haberi debere, qui chymiam ignorat.

Quod verò Grammatista rum incertas, logomachias concernit, ubi alii vocis derivationem à χέω fundo, alii à χυμὸς succus, alii ab Arabum *Kimya* vel *Kimiao* quod furnum denotat, derivare intendunt, &c. nos hisce haud immorabimur;

Neque Synonyma plurimis ambagimus recensebimus, ubi aliis *Pyrotechnia* à πῦρ & τέχνη, ab igne scilicet & arte, aliis *Ars Hermetica*

metica ab inventore ficto, *Hermete* ſcil. *Trismegiſto*, aliis *ſpagyria* à σπάω & ἀχείρω, ſolvo & coagulo &c. audit, ſed Definitionem hic breviſſimis dabimus. Quod ſcilicet *Chymia ſit illa neceſſaria Pharmaciæ pars, & ars, mediante quâ, ignis ope rerum naturalium, & quidem mixtorum partes ab invicem ſeparari, purum ab impuro ſegregari vel in alias ſubſtantias transformari queant, ut magis efficacia inde reſultent medicamina, quibus nullus rationalis Medicus carere poteſt vel debet.*

Quod verò Chymia ſit Ars, plurimis demonſtrationibus hic haud ventilabimus; ſed inde certo certius eluceſcit, quod non in ſpeculationibus aut phantaſiis, ſed certis experimentis & demonſtrationibus, ſive operationibus conſiſtat; aliâs quivis idiota mox foret chymicus; Relinquit verò poſt ſe opus, genuina nimirum morborum remedia, ſic & Enchireſes die Handgriffe conſtituunt quaſi Chymiæ animam, cùm enim hæc non niſi manibus tradi queant, ſic non niſi adhibendo proprias manus, exactè addiſci poſſunt.

Non ergo datur *Chymicus Theoreticus* niſi fortè *in Utopia*; Neque tamen artibus illiberalibus propterea adnumeranda venit, niſi Ciniflones oder die ſo genannte laboranten excipere velis cum Empiricis vulgaribus, qui ſpretis rationibus, ſuos elaborare ſolent ſpiritus corroſivos &c. non aliter ac ſutor ex arte ſua calceum bene conficit; ratio verò de certitudine & operandi modo judicare debet.

Cauſa Chymiæ efficiens Ignis eſt, ſive naturalis ſive artificialis, modo agat excitative, dum cujusque rei internum ignem ſive activas partes in actum deducit; vel effectivè, quando mixtorum partes vel diſſolvit, vel conjungit rurſus, vel & ex partibus illis nova producit corpora, prout hoc nos docent Alcalia per incinerationem vel calcinationem producta &c.

Et inde innoteſcit *Chymiæ Forma*, utpote in ſeparatione & compoſitione conſiſtens.

Materiam verò, ſive ſubjectum Chymiæ, conſtituit quodcunque *corpus Naturale ſive Mixtum.*

Adminicula addunt Aſtra, ſiquidem illa, nonnullarum operationum

tionum ſunt effectrices cauſæ, v. g. dum operadiorum Solis digerimus, calcinamus &c. vel dum Luna putrefactionem adjuvans, ex ranis, intenſiſſimo frigore, Lunæ radiis expoſitis *Gluten Paracelſi* efficit, eas reſolvendo.

Nec meteora ſunt excludenda, utpote Pluviam, nivem, ros &c. producendo, & ad operationes chymicas ſæpè neceſſaria.

Finis ergò Chymiæ primarius eſt mixtorum partes ſeparare, & eas, pro rei exigentia rurſus combinare, purum ab impuro ſegregare &c. meritò hinc *chymia* ab *Helmontio*, *Boyleo* & aliis *Naturæ clavis* ſalutatur.

Non tamen mixta deſtruit chymia, *nec noxia vel venenoſa conficit medicamina*, niſi ex accidenti quandoque, dum vel minus dextrè fuerunt præparata ſive elaborata; vel quando minus debitè, aut minori vel exceſſiva doſi fuerunt propinata v. g. dum debilioribus, vel morti proximis exhibere velimus valida vomitoria ex vitro ☿i, vel loco ☿ij. dulcis, propinare ☿ium ſublimatum &c.

Dantur verò malitioſi qui ut ſe extollant, alios in vulgus traducere ſolent, *perſuadendo illum*, *Medicamenta Chymica eſſe nimis calida*, *vel fortia*, *aut corroſiva*, utpote ex mineralibus vel & Metallis elaborata. Verum etſi negari haud queat, quod mineralia quædam vel metalla ita crude exhibita, naturæ noſtræ ſint omnino contraria, vel & malè elaborata, certò noxia; tamen ſi arte Chymica optime elaborata extant, ad vitæ conſervationem tam, quam & depellendos morbos omnino ſunt tuta & ſecura, modo Medicus ea propria manu habeat parata;

Dantur quandoque caſus tragici, dum poſt medicamen aliquod chymicum, etſi legitimè paratum, & elaboratum, æger moritur, aſt propterea hoc vel illud medicamentum chymicum tanquam noxium & minus tutum haud erit exclamandum, ſed *hoc cautum reddat ægrum, ne cuilibet facilè credat, illum verò ſibi eligat Medicum, qui artem chymicam optimè callet, & propria manu ſua elaborata habet medicamenta chymica.*

Et quis medicorum neſcit (de expertis loquor) etiam medica-

menta ſimplicia ſive Galenica *in manu ignorantis eſſe, quod gladius eſt in manu furioſi; utpote quæ non apto tempore data tam nocent quam chymica etiam optimè elaborata.* Ipſe *Galenus*, & ejus aſſeclæ omnia Purgantia venenata exclamant & tamen Galenici tot & tantis Purgantibus ſuos ſolent vexare ægrotantes.

Simplex Medicorum vulgus nimis calida eſſe medicamenta chymica exclamat, hincque ea ceu admodum violenta damnat: Sed calor talis imaginarius, vel externus ab igne illis adfricatus eſt, vel internus & illis connatus.

Hinc ſi ea de cauſa calida eſſe & violenta cenſentur chymica quod per ignem ſint elaborata, *etiam aqua omnis deſtillata, imo caro cocta propterea, tanquam calida eſt rejicienda.*

Et, ſi ob calorem internum vel connatum talia vitantur, quid ni & ſuum *ſcammonium*, *pyrethrum*, vel & *aromata*, rejiciunt Galeni aſſeclæ, &c. Taceo largiſſimum Medicamentorum Chymicorum campum; ubi ſanè plura dantur medicamenta Chymica, quam vel mercurius vel antimonium fundunt. Quot Eſſentias, quot Tinĉturas, ſpiritus, ſalia, olea deſtillata, &c. nobis non promunt Pharmacopolia! ut illis, vel mercurialibus aut antimoniatis, carere optimè poſſimus: utpote in quæ ut plurimum culpa redundare ſolet.

Cauſa ergò *quod medicamenta Chymica ſoleant reddi in vulgus exoſa*, dependet, vel à *malitia medentis*, utpotè *qui alios traducendo*, ſe ipſum extollere intendit; *vel ab ignorantia ejus* qui chymiam ignorat, atque propterea medici nomine indignus omninò cenſendus.

Dividi verò vulgo ſolet Chymia in quatuor ſpecies, quarum *prima* illis Univerſalis dicitur quod medicamento univerſali, ſive *Lapidi Philoſophico* elaborando occupata ſit, &c.

Secunda Metallurgia audit & metallorum tranſmutationes intendit.

Tertia Dokimaſtica vocatur vel & metallurgia, quæ metalla ex ſuis mineris fundere vel ſeparare, & *Quarta* illa quæ in genere tam ex minerali, quam & vegetabili, ac animali regno medicamenta elaborare docet.

Nos

Nos hanc ultimam saltem speciem hic aliis præferimus, utpote Medico omninò necessariam, quippe hæc est quæ medicamenta elaborare docet, sine quibus morbi chronici plerumque frustræ tentari solent, & tam tuta sunt, ac simpliciſſimè etiam medicamenta Galenica modò debitè sint præparata, & cum cautione adhibeantur: absque quâ cautela etiam simplex Galenicum fit naturæ inimicum, imò omninò intestum.

CAPUT II.

Necessaria tradit Requisita quibus rerum naturalium constitutiva ab invicem dissociantur.

REquisita hæc sive media, quibus sagax naturalium ruipator indidiget, *Instrumenta* sunt & *Operationes*.

Instrumenta in *activa* dispescimus & *Passiva*. *Activum* illud Instrumentum *Ignis* suppeditat, *Passivum Furni & vasa* exhibent.

Antequam verò ad *operationes* fit accessus præstò sint modo dicta Instrumenta, ex quibus Passiva hic primum sibi vindicant locum, & ex eis quidem primo agemus.

DE FURNIS CHYMICIS.

Est vero Furnus machina turris instar diversimodè constructa, ad concentrandum & recte regendum ignem excogitata, ut inclusus ignis artifici obediat, atque pro voto & voluntate operationes promoveantur.

Materia Furnorum communis, *Lateres sunt*, & tenax argilla, mediantibus pilis, arena, fumo equino, limatura ferri capite mortuo vitrioli, aliisque remixta & cum aqua salia subacta, &c.

Figura eorum maximè variat & quilibet sibi struit tales, quos sibi commodiores fore deprehendit: pauci tamen sufficiunt, & duobus, vel tribus, omnes operationes chymicæ, quæ obveniunt, perfici queunt.

Primus mihi universalis est, in quo, modo aperto, modo suppresso igne, v. g. *in arena*, *cineribus*, *Balneo Maris*, *Vaporis* &c. destillationes instituo. Struitur verò hoc modo.

Erigatur *furnus* altitudine *spitamarum sex*, *latitudine duarum*, foramen cinereum, ad craticulam ferream usque altitudinem spitamæ non excedat, sicuti à craticulâ ad foramen, per quod carbones injicimus, altitudo, spitamam non transcurrat, reliqua altitudo ulterius ad dictas spitamas sex extendatur, vel ultra, quò enim altiores furni, eò attractio ignis fortior. *Craticula ferrea supra cinereum ita aptetur, ut extrahi & imponi pro lubitu possit.* Superior furni pars interior, rotunda sit, pro rotunditate & magnitudine capellæ arenariæ, vel aheni, ad arenam, vel Balneum immittendum. Supra craticulam verò ferream, altitudine duarum spitamarum, per foramina parva, imponatur per medietatem furni baculus ferreus, crassitie pollicis, pro retortis, capellis, vel ahenis superponendis.

In hoc ita pararo furno instituimus destillationem, vel, impositâ craticulâ carbonibus, vel in horum defectu, si craticulam extraxerimus, lignis, foramini cinereo impositis, & incensis.

Ignem vero tunc *regimus*, *vel parcè apponendo ligna*, *vel retrahendo* paulum ignem, donec fortiori opus habeamus, ubi tum augeri pro lubitu rursus poterit.

Hunc furnum aliis commodiorem inveni semper, quoniam deficientibus carbonibus, si saltem ligna suppetant, ubique destillationes instituere potuimus. *In superiori tamen parte* relinquenda sunt *foraminula quædam*, ad ignem regendum, quæ pro igne minuendo claudi, pro augendo vero aperiri rursus possunt.

Si magis compendiosiorem velimus furnum, inprimis ubi lateres desunt, *accipimus ollam magnam*, spitamas quatuor vel quinque longam, in hâc fundum perforamus, cautè tamen, inque mediâ ollæ parte foramen ordinamus carbonarium, & supra hoc, ut in superiori, per parva foramina, baculum ferreum imponimus, ad imponendam capellam. Tunc lutamus ollam intus optimo luto, pollicis crassitie, vel aliquot digitorum. Hanc ita exsiccatam ollam imponi-

ponimus craticulæ ferreæ, lateribus aliquot ſuperpoſitæ, & habemus furnum in caſu neceſſitatis ſat commodum, & opportunum.

Si operationes digeſtionis furnum requirunt, in quo dierum multorum ſpatio, ignis continuatim fovendus, ſtructura fiat modo inſequenti: *Erigatur turris rotunda*, vel quadrata, longitudine ſpitamarum octo, vel decem, latitudine duarum, *in ſuperiori* verò turris parte *anguſtior*, *in inferiore verò verſus* craticulam *latior*. Supra cinerarium ſpitamæ altitudinem non exſuperans, ponatur craticula, & immediatè ſupra hanc, in hoc vel illo furni latere, fiat foramen, per quod ignis calor, in furnos laterales apponendos, & peculiaribus ſuis cinerariis, pyreteriis, craticulis, ac foraminibus, ad regendum ignem, capelliſque arenariis inſtructos, transferatur.

Turris longior piger vocatur Henricus, carbonibus repleatur, & deſuper operculo rotundo, arenæ in circulum impoſitæ, impreſſo, firmiter orificium occludatur, ne aëre attracto omnes carbones, qui aliàs in inferiori furni parte ſupra craticulam ardere debent, accendantur, & ſolùm calor per foramen laterale in appoſitos furnos transferatur.

DE VASIS.

Hæc de furnis magis neceſſariis: ſequuntur *vaſa*, quæ adhibitionis ratione multum variant: *Quædam* enim *mediatè*, *quædam immediatè* igni apponuntur, & *ſunt vel terrea*, *vel vitrea*, *vel metallica*, diverſarum figurarum, pro diverſo artificis ſcopo.

Ex terra fiunt *capellæ arenariæ*, ſæpius etiam *retortæ*, & *cucurbitæ cum alembicis*, hæ verò *ex vitro*, multò *fiunt præſtantiores*, ſicuti etiam *circulatoria*, *phiolæ*, *receptacula*, &c.

Si retortæ vel aliud vitrum *igni immediatè* debeat apponi, prius *luto circumdator*, ſi verò non lutatum igni apponere placeat, ſupponatur *operculum inverſum*, *arenæ manipulo impletum*, ut à ruptionis periculo immune fiat, tum furni orificium claudatur patinâ terrea foraminata, quæ pro regendo igne inſerviet, ſi excepto unico foraminulo, omnes reliquæ claudantur rimæ.

Si tamen *retortæ* diuturniorem fortiſſimum ignem ſuſtinere debeant, fiant *ex ferro fuſo*, quæ inſerviunt optimè *in deſtillandis Mineralium ſpiritibus*, C. C. *Cranio*, *Viperis*, &c.

Vel ſumatur *olla ferrea* : huic *operculum ex terrâ figulina*, ita aptetur, ut *alembicum* ſi lubet *vitreum*, vel *terreum*, imponere poſſis: hæc tibi inſerviet olla pro *ſpiritu ſalis armoniaci martiato*, aliisque Mineralium ſpiritibus deſtillandis.

Reliqua vaſa metallica, *ex cupro* utplurimum conſtant, *ut veſicæ*, & *ahenum*, tam Balneo Maris, quam Vaporis inſervientia.

Balneum Maris, ubi per aquam ebullientem, vitrum materiam continens calefit, maximè variat: omnibus tamen *præfertur* methodus, *per arenam humidam*, tum ratione ſecuritatis, tum ratione graduum caloris, quos ſemper æquales miniſtrat.

Ahenum ſit oblongum, & pro lubitu ſat *capax*, ut aliquot cucurbitæ imponi queant, *circa medietatem internam circulum habeat*, in quo baculi ferrei requieſcant, ut eis *laminam ferream vel cupream, multis foraminibus perviam* ſuperponere, huic verò *foraminulatæ laminæ*, *pannum forte cannabinum*, vel ſtupeum extenſum, ſuperinducere, & tandem hanc cavitatem arenâ replere, huic verò cucurbitas imponere poſſimus: Tum *inferiori aheni cavitati aqua indatur*, cujus bullientis vapor arenam humectando calefacit, & hinc impoſitas cucurbitas, æquali ſemper calore, abſque ruptionis periculo ferit.

Si *Balneum Vaporis* deſideres, *aheno oblongo* impone *operimentum ligneum*, foraminibus rotundis, pro magnitudine cucurbitarum imponendarum, præditum: *his foraminibus ſacculi ex forti ſtupa alligantur*, *& his ſaccullis cucurbitæ imponuntur*, nec tamen aquam attingant, ſed bullientis ſaltem aquæ vapor eas afficiat.

Obſervandum verò hic, ut *ſemper reaffundatur aqua calida*, ne affusâ frigidâ interrumpatur caloris æqualitas, vel vitra admiſſa frigidâ rumpantur, ſemper namque debet adeſſe ſufficiens aquæ quantitas, ne aquâ decoctâ, ahenum detrimentum patiatur, & ſacculi adurantur.

Veſica

Vesicæ cupreæ optima forma hæc est: *Altitudo sit duorum pedum*, inferius angustior, superius vero latior sensim, *ut capiat sedecim aquæ mensuras*, ad collum usque, quod non sit amplius, quam ut manus immitti possit. *Alembicus ex puro stanno Anglico* paratus sit, *cujus collum vesicæ immittendum, dimidium pedem longem esto*: Alembicus hic *refrigeratorio* cupreo artificiosè impositum, & ferrum innatum sit, ut rostrum & collum prodeant: *Refrigeratorium satis amplum* sit, ut aqua Alembicum transcendat dimidium pedem, & circumcirca tres latos digitos: nec epistomium desit, quò aqua calefacta depromi, & frigida reaffundi rursus possit.

Tigilla ad fundenda & liquanda Mineralia & Metalla, fiant *ex optima & tenaci terrâ figulinâ*; quæ *an* ad hoc opus *conveniat*, ita *experieris*: Sume terræ manipulum, manu compressam igni fortissimo injice, & *si maneat compressa*, licet multas acquirat rimas, bona terra est, si vero violentiâ ignis in pulverem vertatur, huc inconveniens erit.

Hujus *terræ optimæ pulverisatæ* & cribratæ sume *partem unam*, adde duas partes *terræ in furno figulino crematæ*, & pulverisatæ, & *laterum pulverisatorum* partem unam, has commixtas terras aqua humectato, & cum humectata per diem & noctem quieverint, optimè subigantur pedibus, tandem etiam manibus, & terra parata est.

Si tunc in defectu figuli tibi ipsi *tigilla fingenda veniant*, *typum* seu formam *è ligno* duriori *tornare curato*, quam dividere in partes possis, & annulis ferreis circumjectis conjungere rursus: hanc *inunge intus lardo*, & tunc impositæ terræ, pistillum ligneum, pro formandâ internâ crucibuli figurâ, aptatum, malleo ligneo concutiendo imprime, prima tamen vice leniter, postea verò si exemptum fuerit & leniter exsiccatum, denuoque typo inditum, aliquoties fortiter pistillo cudendo, tigillum efforma.

Si testæ ex hac terra sint conficiendæ, *ea fere exsiccari poterit* antequam typo imprimatur, non enim profunde his pistillum propter formam ferè planam, nec profundam, imprimi necesse habet.

Si

Si Salia forti igne *ſuſtinere debeat crucibulum*, fortiſſimo igne uſtum ſit, ſicuti *Haſſiacum*: & ſi mixturam ingrediantur pulveriſati lateres, tum quo diutius igni committuntur, eò fortiores fiunt.

Si *catilli cinerei*, quos vulgo **Capellen** vocamus, expetantur, ſumito *cineres de levi ligno fagino*, ceu meliores, cribro inditis ſuperfunde *aquam*, & carbones cum craſſamentis reliquis in cribro relinquentur, ſubtilioribus cineribus in vas ſuppoſitum deſcendentibus: ſubtilioribus his cineribus ſuperfunde recentem aquam ad eminentiam, quiete per duas horas conceſſâ, decanta aquam, & recentem reaffunde, hocque repete tam diu, decantando reaffundendoque aquam, donec omne ſal extractum, & aqua clara decantetur:

Tunc reſtitans in fundo *cinis ſubſiccus comprimatur in globulos*, qui ad aërem ſatis exſiccati in fornace figulinâ *iterum urantur*, ut omne impurum abſcedat: his pulveriſatis cineribus ſuperfundatur *aqua fontana*, & relinquatur ad quatuordecim vel octo dies, tunc decantetur aqua. Quo facto huic elixiviato & purificato cineri affunde de novo aquam, & baculo agitato ut turbetur, hanc turbidam cinere aquam ſubitò decanta in aliud ſuppoſitum vas, ut craſſiores cineres remaneant, quos remove, cineres verò cum aquâ decautatos, quando ſubſiderunt, exime, ſemel adhuc recentem ſuperfunde, & ut prius procedito, aquam turbatam decantando, craſſiori relicto, & ſubſidentia factâ ſubtiles exſiccando cineres, & ſervando.

Si poſſunt haberi *cineres ſarmentorum vitis* ad hoc opus eligantur.

Tum recipe *oſſa vitulina*, vel *ovilla*, *medulla carentia* hæc *ad albedinem calcinata* & pulveriſata, perque cribrum tranſmiſſa in porphyrio redigantur in pulverem, ſequenti uſui inſervientem, v. g.

℞. *Cinerum purgatorum partes duas.*
Cinerum ex oſſibus partem unam.

Vel ℞. *Cineris purgati* ℔. j. *pond. civil.*
Oſſium calcinator. & præparat. ℥vj.
Argillæ puræ ſubcæruleæ ℥ij. ℥ij.

Hæc

Hæc mixtura *aquâ fontanâ irroretur*, ut ſaltem cohæreat, hâcque impleatur mortariolum, manibus quodammodo imprimendo, ſupereminentem vero removendo, & tribus vel quatuor pulſibus piſtillum in id cudendo: tunc *inſperſo* per cribrum *polline oſſeo*, uno atque altero pulſu ſuperaddito, abſterſum piſtillum apponatur, catillus verò cum mortariolo cineribus impoſitum exprimatur, & ad exſiccationem reponatur.

Multi loco aquæ mixturam irrorant *cereviſia pingui*, *albumine ovi* &c. ſed tum *facile laxiores pori relinquuntur* (cum pingues & craſſiores cereviſiæ & albuminis particulæ combuſtæ fuerunt:) qui tunc facilè prædantur Metallum purum.

Teſtæ ex ſolis fiunt cineribus purgatis, circulo ferreo majori incluſis, & globulo lapideo hinc inde verſato cavitatem imprimendo. In his verò tantillum argenti à teſtis unà ſorberi, non tacendum, quod tamen in majori excoctione non magnifaciendum.

Si *catilli* conficiuntur *ex ſolis cineribus oſſeis*, *ſolutione nitri humectatis*, & pollini oſſeo aſperſis, tardius, ſubtilius, & abſque periculo Metallum purificatur, nec quicquam de Metallo puro prædatur. Et ſi ad hoc opus poſſint haberi *oſſa*, *& ſpinæ piſcium*, omnibus præferenda eſſent.

Nobiliſſimos omnium fieri *ex ſpatho* ſolutione Vitrioli irrorato, D. *Cardilucio* lubenter credimus.

Pollen oſſeum vulgo Clár vocatum,

Sine quibus boni catilli non conficiuntur, fit *ex oſſibus cranii vitulini anterioribus*, *per coctionem à pinguedine depuratis*, & ad albedinem calcinatis, inque porphyrio ſubtiliſſimè tritis: tum verò aquâ de novo humectatis, inque tigillo clauſo per horas quatuor adhuc ſemel calcinatis, tunc refrigeratis, & tandem ſubtiliſſime tritis: hoc inſternitur catillis ne rimas acquirant, & maſſa exploranda eo melius decumbat.

Modus purificandi argenti hic eſt: Prius *tegula furnicata cum catillo furno immittatur*, tum ſenſim ignis admoveatur, ut ſenſim omnia candeant, hoc viſo, immitte *plumbum granulatum*

chartæ involutum, forcipe desuper tenendo, ut ita sensim liquescat, & in catillum decidat: tunc *quando* hoc immissum plumbum *argenti vivi instar apparet*, immittitur per vices *argentum purificandum*, & invicem funduntur tam diu donec non amplius movetur & circumroratur Metallum, sed immotum quasi argentum vivum repræsentatur, quo facto aquæ tantillo affuso, omnia refrigescant & forcipe eximantur.

Plumbi admiscendi pondus noveris, si constet admixta argento æris quantitas, si enim argentea massa tertiam partem æris vehat, suboctuplum plumbi requiritur, si aliquantum minus, subsextuplum.

Non tamen unâ vice plumbum testæ ingerendum, sed ubi languidius fluctuat massa, de novo affuso plumbo excitetur, ut cursum suum alacrius continuet.

Tegula furnicata est vas terreum, oblongum, ostiis pervium, & in lateribus foraminulis præditum, *tegendis catillis aptum, ne favillæ incidant*, & calor temperatius catillum feriat: alii connectunt cum fundo dimidium digitum crasso, alii verò ab illo separatum, & saltem illi superpositum pro lubitu adhibent.

Si verò tegula furnicata desit, sumatur *triangulare crucibulum magnum*, hoc in lateribus perforetur, & lateri impositio catillus imponatur.

Sequitur *LUTUM*

quod curiosus destillationum observator maximè observet, cum aliàs levis in hoc error ab artifice, rem perfunctorie administrante commissus, totum sæpius frustretur laborem.

Est tamen *varium*, vel pro furnis, vel vitris, &c.

Sic expetatur ad furnorum structuram, lutum fiat ex *argillæ siccæ, vel limi* partibus quatuor, *arenæ crassioris contritæ* & *tomenti* ana. partibus tribus, *squamarum ferri* parte, unâ semis, & *fimi equini* parte dimidia. Hæc subigantur *additâ aquâ*, in quâ *fimus equinus* maceratus sit, donec evadat massa justæ consistentiæ, & lutum erit paratu, pro furnis, focis fusoriis, & retortis loricandis, & sanguine bubulo

bulo humectandis; inprimis si retortæ collum recipienti jungendum sit, ubi caput mortuum Vitrioli optimè additur.

Si ruptura Vitri claudenda, expertum fiat lutum ex *caseo recenti* & molliori, *farina frumenti*, & *calce viva*. Vel *calx viva cum salis comm. ana. & albumine ovi subigatur*, & cum vesicis bubulis applicetur, vel etiam ipsæ vesicæ absque luto, solo ovi albumine humectatæ imponantur.

Sic *canales* alembici affusâ pice *doliis junguntur*, vel hâc mixtura picantur, v. g. ℞. *resinæ* ℔. j. *terebint.* ℥ iiij. *ceræ* ℥. ij. *vitri Veneti pulv. farinæ lateritiæ*, *calcis vivæ*, *squamæ ferri* ana. ℥. j. mf. quâ etiam mixturâ fontes picantur.

Pertinet huc

SIGILLUM HERMETICUM.

quo phiolarum collum liquatione occludendum venit: hoc ita fit: Sume *ollam terream*, *in* cujus *fundo* fac *foramen* rotundum, tali magnitudine, ut phiolæ solùm collum transeat, hoc facto carbonibus quibus ollam repleviſti, sensim ignem adhibe, ut collum tandem vitri candeat, & quasi liquescere velle videatur, quo observato, collum forcipe comprime, vel forfice abscinde. Si verò non accuratè adhuc sentiatur clausum phiolæ collum, fume *vitri Veneti pulv. Borracis Venet.* ana. p. æq. *Succini pulv.* parum, cum *spir. vini* fac pulticulam, quam phiolæ collo circumlitam, & per fistulam modo aurifabris usitato fundendo ferrumina.

CAPUT III.

De Igne & Gradibus ejus.

SEquitur *Instrumentum* separatoriæ artis alterum, *Activum Ignis*, cujus tanta est non tantum hic, sed & in omnibus fermè naturalium mutationibus necessitas, ut etiam ipse *Hippocrates*, cum aliis ex Antiquis, ipsum pro Anima quasi & Vitæ Principio non in plantis solùm, sed & Animalibus & reliquis habuerit, & pro solo ferè naturali Principio constitutivo mediante aquâ crediderit ubi inquit:

Conſtituuntur tum animantia alia *omnia, tum ipſe homo, ex duobus*, differentibus quidem facultate, concordibus verò uſu, *Igne nimirum & Aqua.*

Ignem verò originis ratione, *Solaris Lucis*, eſſe veram ſobolem, multa docebunt experimenta: *Hujus etenim particulæ lucidæ, in concretis ſucceſſu temporis plus vel minus concentratæ, calorem & ignem conſtituunt*, facile poſtmodum accedente motu emergentes, & ignem nobis artificialiter exhibentes.

Has æthereas particulas omnia per omnia movere cum aliis ſtatuimus, adeò, ut, ubi de figuratorum ſchematum actionibus ſermo inſtituitur, ſemper hunc ſubintelligamus ignem omnia pervadentem.

Sed cum inſtituti noſtri ratio hic non ſit, luxurioſum inſtituere diſcurſum, de variis inde dependentibus ignis originibus, ſufficiat nobis ejuſdem *ſaltem uſum artificialem* hic breviter indicaſſe, quatenus ſcilicet ad ſeparationes rerum concurrit.

Hic enim particulis ſuis minimis, acutiſſimis, ſubtiliſſimis, & penetrantiſſimis, poros corporum intrat, angulos & latera movet, exagitat, craſſa attenuat, dilatat, rarefacit, ſeſe cum materia permiſcet, eamque in particulas minimas dividit.

Hic nobis *ignis vel mediatus eſt*, *vel immediatus.*

Immediatus eſt cum ignis undique vaſculum lambit, & vocatur *Reverberatorius.* Si verò fundum ſaltem ignis vaſis ambiat, & collum liberum ſit, *Semireverberatorius* audit.

Mediatus eſt, ubi ignis vaſculum non artingit, propter aliquod medium, & eſt vel *ſiccus*, *cum arena*, *cinis*, &c. vel humidus, cum *aqua* intercedit.

Si hæc, dicitur *Balneum Maris*, ſi illud, vocatur *capella cinerum*, *arenæ*, &c.

Si *Vaper ſolum* exhalans vaſculum tangat deſtillatorium, *Balneum dicitur Vaporis.*

Cum verò periculoſa ferè ſint Balnea, & præterea incommoditates plurimas conjunctas habeant, tam ratione vitrorum, quæ difficulter ſub aqua retinentur, quam ratione aquæ, quæ

ſemper

ſemper calida refundenda: excogitata eſt alia methodus, quæ vocatur *per arenam humidam deſtillatio*, hæc omnibus *aliis præfertur modis*, hunc vide ſupra, ubi de vaſis mentio facta.

Jam ad *ignis gradus*, quorum artifices vario modo commenſurare ſolent limites, hi *maximè variant*, & deſtillationum accuratus obſervator, ad hos diſtinguendos *Archimedis Circino* opus haberet. Primum tamen cognoſcimus gradum, quando manus calorem mediante aquâ, cinere, vel arenâ, patitur; Si diu minimè ferat ſecundus eſt: Et ſi aduratur tertius; Si verò candeant omnia, quartus adeſt ignis gradus.

CAPUT IV.

De Operationibus Separatoriæ arti neceſſariis.

LUſtratis neceſſariis Inſtrumentis, ſuſcipiemus ruſpari alterum ad ſeparanda Principia Medium, *Operationes*, quæ in compoſitis abſconditas variatas particulas ſenſui conſpicuas reddunt. *Conſiſtunt* verò *in* duobus *SOLUTIONE & COAGULATIONE.*

DE SOLUTIONE.

Solutio eſt compoſiti in particulas diviſio, quæ alias mixtione, & ſuâ temperie externis ſenſibus diſtinctum denegant examen, & in compoſitis abſcondita, nulla ferè virium dant indicia: à cæteris vero ſecreta admentis lumen deferuntur, & ſuis aculeis corpus afficiendo, ipſum feriunt intellectum.

Sed cum occluſa hæc ſint naturæ arcana, & repagulis quaſi firmata, clave opus eſt, ut ad Regis Palatium introitus concedatur, & nuda ſine veſte Diana conſpiciatur.

Clavis hæc *Menſtruum vocatur*, vel *ſolvens liquor*, conveniens pro extractione, & ſolutione artificiosâ mixtorum.

Eſt verò vel *Univerſalis* vel *particularis* talis liquor. Univerſalis eſt, qui ſolvit compoſitum ſecundum omnes ſuas partes ſimul: Tale ſolvens *vocatur ab Helmonte Alcaheſt*, quaſi al-gaiſt / vel Alcali eſt, & ex mente ejusdem eſt Mercurialis liquor, in quo ſulfur

internum extraversum, & humidum Metallicum attenuatum, adeo, ut fiat liquor immutabilis, immortalis, indivisibilis, agens absque repassione, omnia consumens excepto suo compari, à quo solo permutatur & subjugatur, nec est corrosivus, & consumit morbos ut ignis.

An verò tale detur Universale Solvens, multum dubios nos reliquit *Helmont*, cum, si omne compositum solvere debeat, nullum ab hoc intactum relinqueretur vitrum, quin ipsum paucis horis in Magisterium fatiscat.

Non itaque absolutè, sed respectivè hoc nomen obtinuisse cum aliis credimus, cum dentur Menstrua polychresta, & plurimis solutionibus apta, quæ etiam blande, suaviter, & sine ullo stridore, adeoque non violenta, sed amicâ solutione, corpora solvant.

Particularis hinc liquor solvens, hîc locum ut plurimum habeat, qui uni certæ rei solvendæ, & extrahendæ, par sit.

Hic inest vel *aqueus* vel *sulfureus* vel *salinus*, & ratione originis vel *Vegetabilis*, vel *Animalis*, vel *Mineralis*.

Menstrua aquea, utpote puriora & simpliciora, fundamentale quasi Menstruum constituunt, quia de spiritu universali plus vel minus participant, & ex universali fonte emanarunt.

Talia sunt principaliter *aqua pluvia destillata*, in specie *circa æquinoctia*, & potissimum *Vernale*, collecta; quam *Mercurium esse Hermetis*, & in ejusdem tabula intelligendum, nonnulli cum *Duenheim* latius explicant.

Item *Ros Majalis*, simplex, & destillatus. *Aqua item vitis*, è vite primo Vere destillans, & *ad extractum croci* contra Melancholiam adhibita: *Succusque betulæ*, ad cereviſiæ lithontripticæ coctionem, optimè additus. Item *Phlegma aceti destillati*, à sale Tartari in arcani Tartari præparatione abstractum, ab Excellentissimo *VVedelio*, ad quamplurimas tincturas extracta, & Essentias commodissimè in usum vocatum.

Ex Animalibus serum lactis inprimis *caprini*, eximias extrahendi virtutes obtinens.

Ex

Ex Mineralibus se sistit *ros Vitrioli*, & liquores acidiusculi alii, ex terris, Marcasitis, & aliis similibus edestillati, qui instar aliarum aquarum, brevi tempore mucilaginosam subsidentiam consequuntur.

Hæc itaque *aquea solvunt mucilaginosa*; ut *semen cynodiorum*, *altheæ*, &c. *Gummita*, ut *tragacanthum* & alia rariora; *Gelatinas*, ut ex C. C. &c.

Gummita item Resinosa, *& succos condensatos*, ut *Aloen*, *opium*, &c. quæ hisce menstruis ritè præparata, longe felicius operationes perficiunt, quam si cum spirituosis vel sulfureis extracta essent menstruis: hinc excellentiss. *Wedelius*, *Elaterium* optimè solvit *aquâ Majoranæ*, pro insigni erthino, in expurgandis naribus, in odoratu ablato, fœtore, catharris, &c. item salia omnia, ut *sal*, *nitrum*, *Vitriolum*, *alumen*, &c. huic aquoso, ceu proprio, & specifico Menstruo facile obtemperant.

Menstrua sulfurea spiritum & olea comprehendunt. *Spiritus omnes ardentes* huc pertinent; usitatissimus omnium est *spiritus Vini Tartarisatus simplex*, quo aptius & melius Menstruum ad extracta non datur, & *si cum floribus salis armoniaci cohabatus sit*, constituit Menstruum *Kerckringii* ad Tincturam ℥ii. Pro extrahendis Cephalicis, optimè adhibetur *spir. rorismarini*, *salviæ*, &c. pro Bezoardicis, *spir. theriacalis*, *sambuci* &c.

Hi spiritus sunt appropriatum, & genuinum resinosorum, Menstruum, alia tamen debilius, alia verò fortius vel penitus solventes, prout vel puri sunt, vel phlegmate commixti. Sic pro *tinctura succini* requiritur *spir. Vini rectificatissimus*, uti & pro *gummi lacca*, *camphora* &c.

Resinæ verò quia medium locum tenent, & aqueis & sulfureis obsecundant: hinc ad ea non requiritur spir. Vini rectificatissimus, sed quovis simplici potest fieri extractio: unde fit Essentia, seu *Tinctura Rhabarbari*, *Galappæ*, *Colocynthidis*, *Scammonii*, quæ facilè in formâ liquida asservantur: Abstractione vero resinas exhibent.

Spiritus

Spiritus hi ſolum ratione particularum ſalino-ſulfurearum agunt, quæ quo ſuperfluitatibus liberatæ magis exiſtunt, eò fortius penetrant.

Cum verò ſalinæ corporum particulæ in oleoſas, ſulfureas, fixiores obriguerunt, fortiori item & magis appropriato ſolvente habent opus, qualia ſunt olea ipſa. Hæc felicius & intimius ſolvunt ſulfura, reſinas, bitumina, pinguedinem & his affinia, quam ſpiritus, quia in illis particulæ ſalinæ ſunt concentratæ magis, in his verò nimio humido debilitatæ.

Exemplum nobis præbet inter alia *reſina Galappæ*, *Scammoni*, *&c.* quæ promptius vires exſerunt, ſi *oleoſitas* quædam accedat. In genere hi dependent effectus à ſtatu fixitatis per ſpirituoſa ſalina in ſtatum volatilitatis verſo, & contra.

Salina Menſtrua præ reliquis omnibus activitatem obtinent, in ſale enim & Sole omnia conſiſtere, Philoſophis perfacilè concedimus. *Sunt* verò *vel acida*, vel *lixivioſa*.

Acida ratione particularum figuratarum vel *ſunt mitiora*, vel *fortiora*, vel *fortiſſima*.

Mitiora & blandiora ſunt vinoſa, *ſuccus cydoniorum*, *acetoſa*, &c. quæ ſenſu non ita manifeſto lædunt.

Ad *fortiora* verò pertinent *aceta*, varii generis, *phlegma vitrioli*, *ſucci acidi*, nativi, *citri*, *limonum*, &c.

Inter *Fortiſſima* verò numerantur *ſpiritus acidi Minerales*, ut ☉is, *Nitri*, *Vitrioli*, *Aquæfortes*, *Regiæ*, &c. quorum ſpicula adeò ſunt acuta, ut Metalla quævis penetrent. Cum verò metallicorum corporum textura variet, non minori opera ſalina varientur ſpicula, ut penetrent; inter Activorum enim ſpicula, & paſſivorum poros, æqualis debet eſſe proportio.

LIXIVIOSA ſunt vel fixa, ut Alcalia omnia forti igne cremata, *vel Volatilia* quæ levi calore aſcendunt, ut *ſpir. ſalis armoniaci*, *ſanguinis cervini*, C. C. &c.

Non tamen agunt niſi ab acidis excitata, & figurata, mitius tamen ab acido alterantur fixa, potentius verò volatilia, poris plus apertis prædita.

In

In genere *ſolvens particulare* tantundem in ſe recipit corporis homogenii, quantum pori ejus continere, vel particulæ ſolvere poſſunt: Et quia *in ſolvente diverſi ſunt pori*, hinc poris unius corporis impletis, vacui poſſunt manere pori alterius figuræ, qui aliud ſibi proportionatum corpus recipere poſſunt.

Omne itaque *menſtruum* in genere *ratione ſpiritus & ſalis agit*, adjutum à ſuâ humiditate, quæ emollit: & calore, qui attenuat, & penetrat.

Requiritur verò *ad Menſtruum* Chymicum 1. *Liquor conveniens.* Cum enim non omnia omnibus ſolvantur nec extrahantur, neceſſe eſt ut liquor ſit appropriatus, & conveniens. *Alia* enim requirunt *Vegetabilia, alia Animalia alia Mineralia, & Metalla* aliud item huic, aliud illi debetur Metallo menſtruum.

2. *Debito* item *opus eſt calore*, modo fortiori, modo mitiori, pro rei exigentia. Volatilia enim mitiori calore, quam fixiora tractanda, ne eorum particulæ volatiliores nimio calore exhalent.

3. *Requiritur* in menſtruis *ad ſolvendum* & extrahendum *proportio*: Omne enim diſſolvens, ceu agens, pondere debet excellere, & ſuperare diſſolvendum. Non enim minimum eſt artificium determinare juſtum pondus, tum ſolventis, tum extracti ratione.

Non tamen ſemper adeò accuratè ſolet attendi proportio, quando *ex æquo & bono affundimus liquorem ſolventem*, ut *in Decoctis, in Emulſionibus* &c. vel cum ad digitorum aliquot eminentiam, ut *in Eſſentiis, Tincturis* &c. ſuperfundimus Menſtruum.

Magis verò accuratè pondus & proportio attenditur, ut cum *libræ uni ſpecierum, ſex vel octo* affundi ſolent aquæ libræ. Sic ex *Galappæ* ℔. j. cum ℔. vj. vel viij. *ſpiritus Vini*, extrahi poſſunt reſinæ ℥. iiij. una vice.

Sic *in Amalgamatione Auri* ad ʒj. requiritur ℥ii. *vivi purgati* ʒß. &c.

4. Tempus ſolutionis attendendum, quod tamen pro majori vel minori fixitate ſubjecti variet. *Spirituoſiora* verò, ſi diutius ſtent infuſa, facilime exhalant, hinc *decantari maturius debent*, quam minus ſpirituoſa.

Terminus tamen generalis, perfecta eſt ſolutio, & *perfecta rei extractio.*

Succurrunt Solutioni *Fermentatio*, *Deſtillatio*, *Digeſtio*, *Putrefactio*, *Calcinatio*, *Liquefactio*, *&c.*

DE FERMENTATIONE.

FERMENTATIO in corporum Solutione facilè primas tenet, pro fundamento *Acidum* & *Alcali* ſubſtrata habens, ex quibus perpetuæ in Macrocoſmo generationes ortum ducunt; oriuntur inde venti, fulmina, tempeſtates.

Noſtraque in his conſiſtit ſanitas; hujus fermentationis enim ope ægrotamus, vel bene valemus: in ſumma, hujus ope, tam in Macroquam Microcoſmo fiunt omnes & generationes, & deſtructiones, vel reſolutiones.

Hic enim *pugiles Acidum*, *& Alcali*, tamdiu inter ſe congrediuntur pugnantes, donec ferociâ ſepoſitâ, removendis remotis conjungendis verò conjunctis, in pacem & mutuum abeant complexum, vel reſoluta pereant rurſus: quod tamen *perire* aliud ferè *nihil eſt, quam ſecerni*; & *generari nil, quam commiſceri*; ſic univerſum horum ope innovatur ſemper, ubi hæc ſeneſcunt, illa vireſcunt; hinc Vegetabilia æterna vocat *Ariſtoteles*, quia ſpecies individuorum generatione perpetuantur! Sic *fluvii* ſe vertunt *in plantas*, *hæ in pecorum pabula*, *pecora in corpora noſtra*, & de his quando feris alitibusque jacent, augeſcunt corpora pennipotentium ferarumque.

Revocari huc poſſent plurima in naturalibus artificia, cum vel furni vel fimi igne, vel menſtruo commixto, inſtituitur in Vegetabilibus fermentatio? Ubi *ſi ſecedentes ſpiritus conſtitutivas particulas ad ſui ſecretionem ſpontaneo ſucceſſu diſponunt*, putrefactio audit.

Si

Si vero *cum evidenti motu* perficitur, *Efferveſcentia* eſt, ubi ſpiritus ſubtiliores avolant; ut, ni alicubi rimâ pertuſum ſit vas, diſſiliat. Interim craſſiores ipſæ, à ſubtiliorum expanſione & ferocia ſubiguntur, & attenuantur plurimum, donec ſingulæ ad exaltationes ſuas deductæ, alterationes & mutationes à Natura deſtinatas compleant.

DE DESTILLATIONE.

DESTILLATIO eſt varia, in genere tamen eſt *particularum humidarum in ſublime devolutio*, & à frigidis alembici vel receptaculi lateribus, in humorem condenſatio. Aliàs ſæpius quoque inſtituitur *deſtillatio ſicca*, quæ *ſublimatio* vocatur.

Differt multum ratione vaſorum, *alia* enim eſt *per retortam*, alia *per veſicam* vel *cucurbitam* deſtillatio. Sic & differt ſubjecti ratione, v. g.

Vegetabilia & *Animalia* in deſtillatione ſpirant *primò ſubtiliores ſalium* cum humido particulas, *ultimò* verò *oleum*, cum ſale volatili, ſed fortiori igne, hinc aquæ deſtillatæ ſimplices, quæ leniori igne prodierunt, continent ſaltem quaſdam ſalis particulas volatiliores, oleo & ſale fixo apud caput mortuum remanente, & forti igne empyreumaticum odorem iis imprimente.

In Mineralium verò & *Acidorum* deſtillatione *primò phlegma* non inſipidum recipi ſolet, poſtea vero fortiori igne ſpiritus: in aceti enim & Mineralium confectione quidam exhalârunt ſpiritus, & qui remansêre, ſeſe fixis acidi particulis intimius inſinuarunt, & non niſi in totali reſolutione volatiles, aliàs fixis acidorum cancellis quàm firmiſſimè incluſi prodeunt.

In Deſtillatione itaque Fermentationis effectus maximè redditur conſpicuus: hinc *ſi fermentatorum & infermentatorum differentiam velis: ſume vinoſum uvarum ſuccum, muſti nomine notum, ab hoc deſtillato merum tranſit phlegma, quia ſpiritus, ob firmum illud, quod ex diuturno ſodalitio aqua cum ſale volatili pepigit, divortium recuſant*: Sicuti hinc fit in omnibus recenter expreſſis

fructuum ſuccis ; qui tamen omnes fermentati ſubtiliores prius ſpirant cum humido ſalis particulas, ſive ſpiritus, antequam viribus orbatum phlegma relinquunt.

Sic & homo ipſe pro experimento tibi erit, quo fermentationis effectum luculenter admodum demonſtrare poteris ; Hic enim pro majori, vel minori ejuſdem effectu, majori vel minori mobilitate viget. *Conſidera binos ejusdem temperamenti homines, quorum alter generoſo ſe ingurgitet vino, alter vero alimento æquè ſpirituoſo, ſed non fermentato ſe repleat. Prioris, ſi nimio peccarit exceſſu, & manus & pedes officii vix erunt memores. Poſterior verò ad omnia promptior, paulo poſt evadet.* Quoniam enim ex fermentato vin. ſpiritus ſe facile expediunt, cerebrum leviſſimi tentant, nervoſumque genus oppugnant. Ubi infermentatus cibus & potus, variis in corpore digeſtionibus elaborari neceſſe habet, ordine tunc ſuos ſpiritus ad cerebrum dimittens, unde tunc ſpiritus animales, totumque hominem vegetiores reddunt, vinum verò torpidiores.

Si huic experimento fidem facile adhibere haud queas, adeas *Alſatos*, adeas *Hungaros*, conſpicies ibi Febres ardentiores, videbis *Arthriticos, Podagricos, Colicos, convulſionibus tentatos*, majori certè in copia, *quam in Helvetia Alpina*, quibus *lac*, ceu infermentatum, certè, ratione & potus & cibi propinatum, talia deploranda mala minimè adducit : uti nec terrarum incolis, qui vinum potius pro Medicina, quam pro ordinario ingurgitant potu.

His leviter perſuaſus, inducerer defendere, *Vinum*, An. 1678. tantas *veloci Solis motu* acquiſiviſſe vires, & ſubtiliſſimas igneaſque ſalis particulas, quæ non minimam ſubminiſtraverint occaſionem, incipienti brevi poſt *Peſti Viennenſi*, ejuſque fermento contagioſo, & horribiliter maligno : acres enim ejuſdem & quaſi ignei ſpiritus, proſtrationes potius virium, quam refectiones induxere, naturalibus ſpiritibus devaſtandis inhiantes, hinc lipothymiam inducentes & delirium ex ſpirituum furibundo motu inferentes, externaſque partes bubonibus & anthracibus, per acutiſſima ſua ſpicula exurentes.

DE

DE DIGESTIONE.

Sequitur *DIGESTIO Fermentationi ſæpè ſuccurrens*; quæ in operationibus chymicis maximi item eſt momenti, & magnum obtinet uſum, in plurimorum medicamentorum elaboratione, quæ alias absque hac confici non poſſunt.

Sic multa hactenus inter non Entia relata fuere, quæ hujus ope verè & realiter exiſtunt: ſicuti *Sal Tartari Volatile, Tinct. Coral-lorum* &c.

Huic verò operationi ancillatur interdum etiam *PUTREFACTIO* quæ *Fermentationis quidem eſt effectus, ſed vix ſenſu perceptibilis*, quia leniſſimo calore (& ut plurimum ſimi) particulæ conſtitutivæ ad ſui ſecretionem, tacitè quaſi diſponuntur.

Fit verò ut plurimum *in Vegetabili, & Animali Regno*, quæ motu abolito facilius putreſcunt cum particularum remittit congruentia, & adverſaria fit pugna, dum diſcordes rebellant & pugnant, atque inter ſe diſſident.

Facilius verò putrefactioni ſubjacent corpora, ſuperfluo humido conſtantia, hincque particulis ſalinis multum dilatatis ſaltem imprægnata: unde etiam fit, quod pinguia & oleoſa, ob paucitatem humidi, & concentratum in illis acidum, non facile putredini obnoxia & ſubjecta ſint.

DE LIQUEFACTIONE & CALCINAT.

Pertinet ulterius ad ſolutiones particulares *LIQUEFACTIO*, quæ tamen utplurimum & potius *Mineralibus, & Metallis competit*, & aliud nil eſt quam particularum metallicarum, mediante ignis motu dilatatio, hæ enim ob interfluentem, & magnâ vi ſæpius transeuntem ignem ſeparantur, dum ignis Metalli poros undique implet: Hoc verò ex corporum poris rurſus evaneſcente, corpus coagulatum relinquitur.

Uſus itaque *liquefactionis* non eſt alius, quam qui inſervit variæ metallicorum corporum commixtioni, non verò ſolutioni, quæ

acutiora requiit ſpicula, & *in metallicis* ſolutionibus CALCINATIONIS nomine venit, & vel *humida* eſt, vel *ſicca*; *quæ ambo acidis perfici ſpiritibus verum eſt: omnem tamen eorum ſolutionem ferè menſtruis acceptam ferentes.*

Arctiſſima etenim eſt atomorum, ſeu particularum in Metallis coalitio; quæ fortiſſimo ſanè limatore indigent, & nî ars naturam ſuperet hoc vinculum ſat firmum durabit.

Conſideremus primò humidam Metallorum Calcinationem, ſeu ſolutionem, *à Sole Principium capientes, cujus compactiſſimam ſolvit maſſam Aqua Regia*, ſed cur? *Salium hanc ingredientium indicant ſcheſes.*

Eadem namque Aquæ Regiæ, quæ fortis, ſunt conſtitutiva, niſi quod Regia commiſceatur, vel commune vel armoniacum Sal. Hujus itaque ſpiculatæ tricuſpides, expeditiſſimè Solare corpus tranſeunt, quia ex figurarum tereti æqualitate volatilitatem, ex rigido verò acumine, & lævore, facillimam penetrationem obtinuerunt, *atque ubi una cuſpis ingreſſum renuit, in promptu ſtatim eſt altera.*

Fortiſſima ſæpè tamen æquè difficulter ſolvunt metalla quam debiliſſima menſtrua, & compertum eſt efficaciſſima menſtrua contrarium ſæpè inducere effectum, ſolutionis nimirum loco, indurationem & contra: quod videmus *in calculi confectione & deſtructione*, ubi medicamentoſa volatilia Acida, ſpiculis ſuis non exactè fermento illi morboſo correſpondentia, pro generatione deſtructionem calculi intendunt: *inter activorum* ideoque *ſpicula*, & *paſſivorum poros æqualis proportio*, ſolutionis potiſſima cauſa eſt.

Hæc de humida, ſequitur *ſicca* metallicorum corporum CALCINATIO, quando ex.gr. *argentum cum ſulfure calcinamus* ad tincturam Lunæ obtinendam, ubi ſulfur acidiſſimum eructat ſpiritum, metallis corrodendis aptum: *cum humida* itaque calcinatione atque ſolutione *in eo tertio convenit, quòd ſingulæ acidis perficiantur. Sive igitur fundantur, ſive calcinentur, ſive ſolvantur Metalla, per acida hæc fieri debent.* Sed cum cæterorum metallorum ſulfur magis indigeſtum ſit, atque rudioribus hamis congeſtum, ut eorum particulæ tam

arctè

arctè ſibi non incumbant, hinc debilioribus ſaliũm cuſpidibus parent. Sic *ferrum*, *plumbum*, *aceto* etiam, ceu debilioribus acidi ſpiculis *ſuperatur*.

Quo verò *Nobilius Metallum* & magis perfectionis obtinuit, eò fortioribus ſalium cuſpidibus ſubjacet, ut Aurum, cum quo convenit *Antimonium*, quod *aqua Regia* facilius ſolvitur quam alia forti. Quò itaque plus de perfecto, vel imperfectiori Metallo compoſitum ſeu Minerale participat, eo facilius vel ab imperfectioris, vel perfectioris Metalli proprio Solvente, ſubigitur. *Sic* ☿ *& per aquam Regiam*, *& aquam Fortem ſolvitur*, quia de Auro & Argento participat.

Dividunt multi pernitiosè luxuriantes metallorum *calcinationem* ulterius ratione humidæ *in vaporoſam*, *& immerſivam*; Ratione ſiccæ in *Amalgamatoriam*, *cæmentatoriam*, *Reverberatoriam*, &c. cum verò terminis his corporum ſolutiones plus obvolvantur, ſuperfluas iſtas ſubdiviſiones mittamus, ſolùm contenti Humida & ſicca corporum ſolutione in genere.

Humidæ corporum ſolutioni bina occurrunt *accidentaria conſequentia*, *Evaporatio* & *Præcipitatio*.

EVAPORATIO fit cum menſtruum vilioris pretii adhibito igne decoquitur, ut, quod extractum fuit, ſicca forma relinquatur. Principaliter verò *evaporatione opus habent ſolutiones menſtruis aqueis factæ*, aliàs muceſcit compoſitum, uti accidit *extracto Croci*, cum Aquâ Vitis parato, & aliis. Si verò *ſpirituoſo* quodam menſtruo, ſolutio facta eſt, & animus, concentrare quodammodo ſolutionem, ut ſaturatior conſpiciatur color, ſeu ut mediâ, vel ſpiſſiori formâ proſtet, *ſpiritus deſtillatione abſtrahitur*, *& recipitur*, ut eidem ſcopo de novo inſervire poſſit.

PRÆCIPITATIO verò fit, *cum ſolutum* contrario quodam adjecto ſeparatur à ſuo menſtruo, & *fundum petit*. Vel cum particulæ ſalinæ concentratæ, dilatantur, ſicque debiliores redduntur, ut ſolutum tenere amplius non poſſint, v. gr. Quando *Tincturæ Galappæ cum ſpir. Vini extractæ*, affundimus *aquam* communem, tum parti-

particulæ ſalino-ſulfureæ in ſpir. Vini contentæ, mediantibus quibus ſolutio ſeu Tinctura utplurimum erat facta, dilatantur quaſi, & debilitantur, & dimittere ſolutum coguntur: vel quando forte acidum, per ſalſum, ceu debilius acidum adjunctum, ſolutum relinquere jubetur, &c.

Per contraria verò dicitur præcipitatio, quando *acida præcipitantur per lixivioſa*, & viciſſim, quæ tamen præcipitatio potius amica copula eſt, quam inimica: *Acidum* enim, quod admiſſum corpus devoravit, adjuncto *ſali lixivio ſubitò ſe jungit*, & in hac ſuâ quaſi matrice, corpus figuratum reaſſumit, ſolutum verò dimittit. Ex hâc Acidorum ſpirituum per Alcalia præcipitatione, propullulat adaptatum virtutibus, ad mechanices cynoſuram, delineandis artificium, quo Acida ſola & vera actionum ſymbola, Alcalibus affuſa, ſemper proprias figuras prodere conſpicimus.

Sæpe etiam fit præcipitatio propter contrarietatem pororum, quando rotundi quadratos, propter angulos non recipiunt, &c.

Experimentus hiſce perſuaſi Medici ſimile quid in corporibus noſtris, mæximè cum ægrotant obſervari per experientiam confirmati, crediderunt. Cum v. gr. pro ardore ventriculi compeſcendo, & ab acido oriundo, cretam pulveriſatam, margaritas, item Corallia &c. utpote Alcalica, objecerunt: vel cum bilem exſuperantem, Alcalinæ proſapiæ, per acidas deprimunt particulas ſalinas, &c.

In Mechanico chymica, præcipitantibus rebus tam diu utimur, quamdiu quid reſtat, quod ſeparari & figi deſiderat.

In Medica verò præcipitatione, præter materiam hujus ſunt ſpectandi termini motus, ne materiam morbificam præter neceſſitatem figendo plus obſimus, quam proſimus. Sicuti ſæpius accidit, ut à *propinatis* ejusmodi *præcipitantibus*, *miteſcant* quidem *paroxyſmi febriles*, & *Epileptici* motus ſiſtantur: ſed poſtea quod præcipitatum fuit, circa nobiliores partes ſedem figens, circulationum ſanguinis figit, vel ſiſtit, & mortem inopinatam infert.

Studioſe ideò obſervandum erit, ne indifferenter in morbis utaris præcipitantibus; ſed tunc demum, cum.

Studioſe ideò obſervandum erit, ne indifferenter in morbis utaris præcipitantibus; ſed tunc demum, cum.

1. *Materia* præcipitanda *non in magna copia adeſt.*
2. *Cum turget*, vel cocta, & benigna, non maligna exiſtit.
3. *Non ſtagnans* in locis nobilioribus.
4. *Abſentibus magnis obſtructionibus.*
5. *Viribus nondum proſtratis.*
6. *Nec in morbis incurabilibus.*
7. *Ut materia præcipitata tempeſtivè expellatur*, ne putredinem concipiat, ſuaque poſtmodum putredine, pejora excitet ſymptomata, & ita à febre ſeu morbo ſalubriori, in deteriorem æger præcipitetur.

DE COAGULATIONE.

Sequitur altera Chymicarum operationum pars COAGULATIO.

Hæc ut hic conſiderata *vel calida eſt*, *vel frigida.*

Calida, rei liquidæ ad ſolidam maſſam per humiditatis privationem eſt reductio: ſicuti in Extractis conſpicuum.

Frigida vero, quando res in calido reſolutæ in frigido coagulantur rurſus: ut quando ſalium lixivorum inſtituitur cryſtalliſatio.

Aliàs in hac operatione eleganter *Acidi* & *Alcali actus* & motus fit conſpicuus: cum v.g. ex pinguedine & alcaliſato lixivio, mediante juſta coagulatione fit ſapo. Hic enim duo heterogenea, inæqualium virium, ſeſe mutuò ſuperant, & fortius id, quod eſt debilius, in ſuam naturam tranſmutat.

Pertinet huc *Vitrificatio*, ubi acidum & alcali coagulatione fortiſſima fixantur ferè; Alcali enim cinerum, abſorbet & figurat acidum arenæ vel ſilicis, & quod acido ſaturatum eſt, ſupernatat, & fel vitri audit, quod in ſalſum mutatum eſt, unde pecoribus ad lingendum projicitur: Hoc in loco humido, & tempore tali, facilè in liquorem abit, in quo ſilicum pulvis ſubſidet, qui juxta *Tackenium* præbet eximium in urinæ difficultatibus medicamen.

Arena verò reliqua acido ut plurimum ſpoliata, cum Alcali in vitrum abiit, & in hoc quaſi occulta eſt: reducitur enim facile cum *Nitri fixi liquore*, ceu fortiori Alcali in liquorem, qui exhibet in calculo reſolvendo experimentum non contemnendum.

Si ex *oleo cinamomi*, ratione acidarum particularum, quæ in hoc obriguerunt, *cum ſale Tartari* fiat coagulatio *in ſal volatile*, &c.

Atque hæc ſunt quæ in rerum naturalium tam deſtructionem quam generationem conſpirant, *Solutio & Coagulatio*, quæ corpora naturalia perpetuare contendunt.

Sed quam neceſſarii ſunt & utiles, in rebus naturalibus, horum legitimè introducti effectus, tam pernicioſi hi ſunt quando præter naturam concreta adoriuntur.

Deplorandum illius in corpore humano nobis exhibet exemplum *Hydropis*, hujus vero *calculi humani* fabricatio. Sed cum hæc non huc pertineant; Principiis & fundamentis, requiſitisque ſeparatoriæ ærtis creviter luſtratis, pergimus ad ipſa in triplici Regno conſtituta corpora naturalia, Ubi, Quæ, Quomodo, & Quando, ex eis per artem ſeparanda veniunt, fideliter communicabimus.

SECTIO II.

Regnum Animale Pyrotechniæ examini ſubjicit.

CAPUT I.

Sanguinis in ſua conſtitutiva reſolutionem docet.

TRia ſunt apud *Baſilium Valentinum* inter Mundi creata, quæ *Regiam ſibi dignitatem vendicant*: In Animantium genere *homo*, qui Orbis eſt compendium. Inter Mineralia, *Aurum*. In Vegetabilibus verò Regius ille *Vini ſpiritus*.

Sed

Sed cum, quæ ad Animale pertinent Regnum hîc primo explicare, noſtrum ſit inſtitutum, pergamus incipiendo à principali nobilique vitæ & corporis vinculo ſanguine, qui eſt ſubſtantia omnium puriſſima, à quâ tota corporis compages alimentum ſuum petit, eo quod à corde limpidiſſimo videlicet fonte ſcaturiat, unde univerſæ naturæ eſt tutor, in quo Animantia omnia vivere nata ſunt.

Et cum homo inter Animalia omnino ſit Princeps, de ejus ſanguine ceu habili animæ cum corpore vinculo, pro exemplo nobis ſit ſermo.

Hic per varios venarum & arteriarum anfractus rectificatus circulando plus activarum obtinuit particularum, quam lac, unde eſt quod aëris ſubtiliori motui maximè ſubjaceat.

In ejus reſolutione prodit *Aqua*, *Spiritus*, *Sal volatile*, *Oleum* & *Sal fixum*.

Aquæ plus ineſt quam reliquorum, cum pro nutrimento plus humidi requirebantur : confirmat hoc facto experimento, *Boyle in ſuo Chymiſta ſceptico, prop. 3. p. 3.* Sanguis humanus inquit, ipſe utut ſpiritibus turgens, & valde elaboratus exiſtimetur liquor, *adeò abundat phlegmate*, ut nuper aliquam ejus portionem de induſtria ad faciendum experimentum, deſtillantes, ex unciis ſeptem circiter, puri ferè phlegmatis uncias ſex proliceremus, priuſquam ullum ex Principiis magis activis aſcendere inciperet, noſque ad mutandum excipulum invitaret.

Hoc phlegma ceu fluidum, in corpore omnia quæ modò imbibendo eſt, ſecum vehit ſalia, quorum mixtio à vitali dependet efferveſcentia, hæc ſi per depravata oriatur qualia, vel per exſuperantia quanta, tum excitat ſudorem fœtidum, prurientem vel mordentem. Et ſi hæc exſuperante acido concentretur efferveſcentia, à particulis videlicet ad centrum motis, tum ſerum, aliis ſe implicando ineptius ſupernatat, & corporis ſuperficiei propinquius, in ſudorem vertitur ſed frigidiorem, ut in Melancholicis conſpicuum, & morientibus.

SPIRITUS OLEUM ET SAL VOLATILE SANGUINIS.

Quò verò tum Qualia tum Quanta ſenſui conſpicua redduntur & ab invicem ſeparata ſeorſim extent, ita procedito. Pro exemplo.

Sume ſanguinem hominis ſani, vel decollati vel poſt Venæ ſectionem, balſamico inſtitutam tempore, collectum, *ſubſideat in umbra*, & quo citius eo melius ſeparetur phlegma ſeu ſerum, particulis acido-ſalinis imprægnatum, à rudioribus, Animalibus ſpiritibus acuatis. Decantato hoc, *ſupra ignem dephlegmetur ulterius leniter* donec grumeſcat reliquum ſpatula ſemper movendo. Et ſic *absque prævia digeſtione*, ſine ſpiritu Vini *retortæ immittere*, & recipiente maximo adhibito, ac benè clauſis juncturis, igne gradatim adhibito deſtillationem inſtitue.

Prodit primò phlegma, deinde *liquor ſpirituoſus, ſale volatili, & ſubtili oleo turgidus: tertio oleum egreditur fœtidum*, cum ſale volatili ubique recipienti adhærente, at extremâ cum ignis violentia. Deſtillatione peractâ, *in recipiente juncta habebis liquorem, & oleum, ſale volatili imprægnata.* Hæc abſtracto recipiente, agitando, commixta effunde, ac per chartam emporeticam filtra, ut remaneat craſſius & fœtidum oleum, *liquore ſale imprægnato, in ſuppoſitam phiolam deſcendente*: quæ capitello adhibito & recipiente appoſito ponatur *in Balneo M. leniſſimo*, & ſal volatile aſcendens partim phiolæ collo, partim ejus capitello inhærebit, ſpiritu cum ſubtiliſſimis ſalis volatilis ſpiculis in recipulum transgreſſo, quæ omnia ſeorſim probè clauſa ſerventur ad uſum.

Alii omne quod edeſtillatum eſt, abſque unius ab altero ſeparatione, phiolæ immittunt & ut ſupra procedunt: ſicque oleum fœtidum in fundo relictum ſeparant: uterque modus procedit.

Conſtat hinc ſanguinis baſin eſſe aquam ſive humidum, hoc quia magis liberum eſt, inſipidum elicitur. Secundo aſcendunt particulæ ſalinæ, magis liberæ, & volatiliores cum phlegmate, quæ ſpiritum conſtituunt.

Tandem

Tandem velocitate ignis resolvitur Oleum tenacius, & ramosæ particulæ in rigidas vertuntur, & quia in Oleis ruderosi latitant aculei, per ignem enucleantur, & fiunt conspicua, ut justum afficiant, & odorem fætore inquinent. Conspicitur hoc sæpius in aquarum destillatione, quando fortiori igne empyreumate contracto, aquam amaricantem efficimus, videlicet cum particulæ oleosæ, quæ alias moderato ignis gradu, naturali suo sapore & odore ascendissent, in salinas meræ obriguerunt, & superficiei olei crassioris adinstar, innatant.

Differunt ideoque Olea & Salia solùm ratione perfectionis, Olea enim ex Salibus, & hæc ex illis rursus confici queunt, mutatâ saltem particularum texturâ, & inducta, continuo motu, variatâ figurâ.

Hæc quando debilitato, vel vario modo impedito motu, inepta redduntur in suis operationibus accidentalibus, tum lassata suum centrum, & locum proprium requirunt, qui est unitas.

Usus separatarum partium sanguinis varius est: *spiritus, sal volatile subtilius continens*, ut & reliquum *volatile sal, ab Helmonte & Boylæo maximè extolluntur*, principaliter *in Epilepsia, Tabe, Asthmate, Apoplexia*, & aliis obstinatis morbis, qui, ut potissimum solent, ab Acido variè inquinato ortum duxerunt, ubi hæ alcalinæ volatiles particulæ efficaciter acidum imbibunt, & corrigunt.

Nobis ex his combinatæ placent formulæ, v. g.

In Epilepsia.

℞. *Aq. flor. thilia.*
ceras nigr. ana. ℥ij.
Epilept. Lang. ℥j.
spir. & salis vol. S. H. ʒij.
salis Succini. Vol. ℈j.
spir. vitrioli volat. ʒß.
theriac. cœlestis gr. iij.
syr. stœchad. cephal. Mynsicht. q. s.
ad gratiam.

Ms. S. Mixtur, davon offt drey Löffel voll.

Spiritum vitrioli volatilem addo ut paret viam, modò ſit juſtè paratus ne acredine peccet.

In Tabe & Hectica.

Quæ humorum viſcedinem ferè comitem habent, ab acido coagulatam, *maximè conducunt hæc ſalia volatilia*, humectantibus commixta, v. g.

℞. *Pinear. mundat.*
piſtac. decort. ana. ℥jß.

Contuſa emulgeantur cum *ſeri lactis caprini* ℔. iij. depuratis & clarificatis, in quo limacum num. vj. probè purgatæ parum ebullierint, & f. ſ. a. Emulſio, cui colatæ adde *ſyr. è tuſſilaginis ſucco* ℥. ij. *Spir. S. H.* cum *ſale volatili* ʒ. ij. ms. Hæc ſæpius exhibita emulſio per tempus, viſciditatem acidam egregiè temperabit.

In Aſthmate ab adſtringente Acido.

℞. *Aq. carminat. Dorner.*
veronic. eſſentif. ana. ℥jß.
aſthmatic. ℥j.
Eſſ. hyperic. cum ſpir. proprio ʒj.
ſalis volat. ſang. hum. ʒß.
ſalis volat. rutæ ʒj.
theriac. cœleſt. gr. iij.
conf. alkerm. c. ʒß.
ſyr papav. err. q. ſ. ad gratiam.

Ms. S. Lufft. Mixtur offt etliche Löffel voll davon zu geben.

Oleum fœtidum quia ob ingratum fœtorem cephalalgiam excitat, & ſpiritibus hoſtile, & ventriculo abominabile exiſtit, rarò in uſum veniat.

Immediatè nec inepta his oritur Quæſtio, *An ſal volatile S. H. differat ſpecificè ab aliis ſalibus volatilibus*, vel, an omnia ejusdem ſint ſpeciei? Optimè hoc *Helmont. decidiſſe videtur* in tractatu Aura Vitalis. §. 16. Ubi inquit: Cruor Humanus deſtillatus dat ſpiritum ſalſum planè volatilem, ac ne quicquam à ſpiritu urinæ diſtingui-

ſtinguibilem. In eo tamen Eſſentiali ambos proprietate differre conſideravi, quod *ſpiritus ſalis cruoris curet Epilepſiam* etiam *adultorum*, non item ſpiritus ſalis urinæ. Hocque veriſſimum eſſe & teſte experientia infinities probatum, niſi curam interdum obſtreperi animi impediverint, *F. Hoffmannus* ſanctè confirmat.

Et licet *ſpiritus ſalis armoniaci*, urinæ ſoboles, in motibus convulſivis & ſedandis & præcavendis, non adeò ſpernendus ſit, dum effluvia acida liquorem nervoſum infeſtantia infringit, id quod in genere omnia ſalia volatilia urinoſa Acidum imbibendo præſtant. At ubi ſpecifica in morbis adſunt fermenta venenata, & peculiariter figuratæ Acidorum particulæ, ut in Epilepſia, ſpecificis etiam & his contrariis, vel potius *idoneis figuratis poris ſalia volatilia debent eſſe prædita*, quo Acidum legitimè imbibendo quaſi alterent.

Differentiam item hanc arguit, ſalium volatilium ratione figurarum quædam diverſitas. *Sal enim volatile* C. C. & *cruoris cervi*, parallelopipedi figuram referre, in Peſte & Febribus malignis ſpecificum; *Sal volatile Sang. Humani* rhomboidem, &c. *Hoffmannus aſſerit*: Nullum hinc dubium quin hujus diverſitatis cauſa particularum ſeu pororum diverſitati accepta ſit referenda. Modus enim operandi, ſequitur modum eſſendi. *Atque ideò figurarum hæc diverſitas docet, ipſa etiam ſalia volatilia urinoſa ſpecificam quandam à ſe invicem obtinere differentiam, ratione effectus in morbis attendendam.* In hoc enim potiſſima alterantium conſiſtit diverſitas, & effectus, ut correſpondeant peculiaribus particularum figuris, poris, & meatibus, humorum alterandorum.

Dantur qui ſalia volatilia ob odorem multis ingratum ex medicamentorum claſſe libenter exterminata viderent, at errant multum. Et cur non potius *caſtoreum*, *aſam fœtidam*, *galbanum* &c. ejiciunt, quæ ſanè odorem plus nauſeabundum obtinent.

Quod verò non omnes æque juvent, & huic vel illi ſæpè nocua videantur, contrariis particularum figuris tribuendum videtur, dum humores in corpore ſæpius contrariantes irritando afficiunt, utpote Olea non rectificata fœtida, vel C. C. Tartari, S. Hum. &c. *quæ ob aduſtionem, acidum*

acidum ſecum vehunt, ſpiritibus noſtris vitalibus volatilibus, hinc maximè infeſtum.

Diſtinguenda ideoque ſunt fœtida hæc, naturæ inimica, ab iis quæ talia videntur & non ſunt, ſicuti noſtra Salia Volatilia quæ ob diuturnam copulam, impreſſionem ſaltem aliquam retinuerunt, ab oleis fœtidis rectificatione abſtractis.

Et ſi tum adhuc nares delicatulas offendat horum odor, in *Salia Volatilia, oleoſa, aniſata, citrata, cinamomea*, &c. redigantur. Vel acidi cujusdam conjunctione in *ſal tertium Diaphoreticum* & *Diureticum* transformentur: at tunc non ſunt tantæ ſpecificæ in imbibendis acidis energiæ, quia *hoc modo ſaturata extant.*

Hæc eſt ſimplex particularum ſanguinis ab invicem ſeparatio. Alii verò, ut Medicamen concinnarent majoris efficaciæ, has rurſus conjungentes, arbitrabantur imitari naturam, ſi has ab invicem ſeparatas, & purificatas, quæ aliâs naturaliter multis heterogeneitatibus inquinata eſſent, rurſus circulando & artificiali calore fovendo unirent. Hunc in finem ita procedunt, conficiendo.

SAL VOLATILE OLEOSUM SANGUINIS.

Colligatur *ſanguis humanus* ex adoleſcentibus ſanis, florido, vividoque colore præditis & robuſtæ naturæ hominibus, intra menſes *Majum* & *Auguſtum*, in maximâ quantitate, in vaſis argenteis aut vitreis, ac cuſtodiatur in umbra coopertus, ne pulvere ſordido, & feſtucis contaminetur, donec concreſcat & ſeroſum humorem omnem per ſe evomuerit, quem per inclinationem ſepares.

Hujus ſanguinis concreti & à ſeroſo humore ſeparati ℔. v. quas cito permiſcebis cum ℔. x. *optimi ſpir. Vini à phlegmate, puri*, in phiola vitrea fortiſſima, movendo & agitando materiam ut diluatur ſanguis, & quam optimè miſceatur ſpiritui Vini. Hanc materiam optimè clauſam in B. M. aut cineribus tepidis digere per 4. aut 6. dies & noctes, donec ſpiritus peroptimè tingatur, & ſanguis ſit omni ex parte ſolutus. *Caveto verò* in digeſtione, ne calor incaleſcat ſupra naturalem calorem, quia tunc ſanguis coqueretur, & concreſceret magis, nec diſſolveretur.

Cum

Cùm diſſolutus eſt ſanguis, *ſuperpone phiolæ capitellum*, & deſtilla leniſſimo igne & ſepara *ſpir. Vini*, donec guttæ ſtillantes incipiant lacteſcere, tunc temporis recipulum mutando, ignem augebis pedetentim, donec deſtillatio ceſſet, qua ceſſatâ, ignem iterum multiplicabis, *ut ſal ad capitellum volatile aſcendat*, hoc ſal cuſtodies, & aquæ lacteſcenti prius egreſſæ conjunges.

Deinde *feces comburas* fortiſſimo igne, tam diu donec albeſcere videantur. Ex his *elicies ſal* cum vini phlegmate puro ter aut quater deſtillato, v. g.

Sume *feces calcinatas albefactas*, ſuperfunde *phlegmatis Vini*, quantitatem maximam, & in catino argenteo vel ſtanneo bulliant (cave ne cupreo) per horam: Bullitione peractâ & aquâ frigefacta, phiolæ immitte ut feces decidant ad fundum omnes. Deinde *quod clarum eſt per inclinationem effunde in cucurbitam*, & ad ſiccitatem deſtilla. Salem relictum rurſus violentiſſimo igne calcina, & ſolve ut prius & congela, & opus ſimile reitera, donec ſummoperè niteſcat ſal, & purum ſit valdè.

Hoc ſal phiolæ optimè clauſæ immiſſum, *reverbera* in fundo reverberii per 15. dies aut plus, donec colorem acquiſiverit rubrum: Hoc *ſal coloratum & tinctum ſolve in ſpiritu Vini*, quem ſeparaſti primo à tuo ſanguine dum eo ſanguis digerebatur, & ponantur ſimul in digeſtione leniſſima, donec peroptimè tingatur ſpir. Vini: *Tinctum ſpir. Vini* per inclinationem effunde in cucurbitam, & in B. leniſſimo igne deſtilla donec ceſſet deſtillare. Remanentiæ in fundo *adde ſal volatile*, quod conjunxiſti cum aquâ lacteſcente ſeptimâ deſtillatione purificata, antequam conjungantur.

Tunc hæc omnia *conjuncta circulenter* leniſſimo igne, & ſingulis octo diebus *ſuppoſito alembico vaſi circulatorio* ſeparetur quicquid aquoſum extrahi poteſt, quod ratione ſalis ſummè volatilis ſervetur pro magna Medicina, internè & externè in oculorum affectibus & aliis maximæ virtutis. Cum vero aquoſum id eſt ſeparatum, tunc quod in fundo remanſit, *ſervetur pro ſummo ſanguinis arcano*, ſive *ſale volatili oleoſo* ſummarum virium in affectibus ſupra dictis.

Oleum in hoc opere nullum ferè prodit, quia ope ſpir. Vini ejus particulæ in ſalinas volatiles mutatæ fuerunt.

Tali methodo *ex ſanguine Ciconiæ, Cervi,* &c. elaboratur arcana Medicina, ubi illa deprædicatur ſummè in venenis imbibitis, cum Ciconia à ſerpentibus, bufonibus, & aliis venenatis animalculis alimentum petat.

Ex hoc item Fundamento enata videtur *LAMPAS VITÆ ET MORTIS Burggraffii*, qua ille & proſperum & adverſum Sanitatis ſtatum, imò mortem ipſam metiri poſſe, certò refert in ſingulari ſuo de hac materia tractatulo Biolychnium ſ. Lampas Vitæ intitulato. Compoſitionem vero obſcuro ſatis tradidit, quam hic apertè ponimus:

Sume ſanguinem Humanum calentem, ut è venâ emittitur Baſilica ſiniſtri brachii: ſalientem *in tantundem alcoolis Vini optimi per infundibulum recipias*, ſigillatum deinceps probe, pelicanoque inditum, Balneo impone & leniſſimè ab initio digere, quoad tertia vitri circulatorii pars (in quod ab initio ſanguinis & ſpir. vini æquis ponderibus ad tertiam uſque partem infuſi erant) totum compleat circulatorium.

Hæc autem *digeſtio dierum plus minus quadraginta ſpatio perficitur*, quod pretioſum à vili ſeorſum abit, manifeſtò enim cernitur phlegmatica quædam ſuperficiei in innatare materia, in fundo verò aurea quædam ſubſtantia reſiſtere.

Cum huc perventum erit *applicato alembico, & recipiente* ex M. B. *deſtilla*, ut ſeparetur phlegma: reſiduum in fundo inde retortæ & ex cineribus, juncturis optime clauſis deſtilla per gradus, ſed cave ne nimio igne feces comburas inque carbonem redigas, hinc ad ſiccitatem ſaltem ſemper deſtilles: deſtillatum reaffunde fecibus ſive capiti mortuo, & cohoba nonâ vice, commodis ſemper adhibitis retortis, pro quantitate materiæ, & *ſigillo ſemper hermetico* junctis recipienti. Atque ſic tandem *Eſſentia ſanguinis humani* ſummè exaltata prodit nonâ exaltatione.

Ex hâc exaltatâ ſanguinis Eſſentiâ oleosâ in hunc modum conſtruxit Lampada: Reci-

Recipiebat, v. g. *vas vel vitreum vel argenteum* ad hoc opus artificiosè paratum: huic artificiosè factum *ellychnium, exque asbesto*, curiosè adaptavit, & igne solari, per speculum concavum coacto accendit. Cujus tum flamma vel tranquilla luculenta & immota, vel nubilosa, depressa scintillans, aut prosperum aut adversum hominis statum, è cujus sanguine lampas parata est, significare dictus *Burggraffius* certò asserit. Fides stat penes experimentum.

Interim tamen hinc inde apud Authores leguntur historiæ & descriptiones urnarum ardentium, qualis fuit *Patavii Maximi Olibii* vasculum, item *Oliverii*, aquâ sive liquore limpidissimo plenum, quod *Arto* suo fratri reliquerat, ut exinde pro commutatione aquæ varia, certum sui status caperet indicium.

Ipse memini relationis certissimæ mihi factæ, ab artificioso pariter ac *curioso Bernense Helveto*, nomine *du Prez*, qui ipse tale vasculum vitreum propè *Grenoblam* in Patria sua cum esset juvenis miles, se inveniisse in sepulchro antiquo, referebat, quod per menses aliquot ex sepulchro extractum & in domum affinis translatum asserit, donec ex incuria Monachus accurrens manu non benè prehensum, ad terram projectum fregerit vasculum.

An verò hæc ejusdem sint materiæ cum supra descriptâ lampade vitæ aliis dijudicandum relinquo.

Ex hoc item fundo educere volunt alii *occultum illud vinculum*, quo dissidentium conglutinant animos, & mares ad fœminas, & viciissim fœminas ad mares cogunt. *Creduntque uti hoc illi*, qui applicato quodam medicamento *ad arteriæ pulsum Virgines & mulieres in amorem sollicitant*, ut non sint resistendo, simulatque unguenti istius vires & spiritus per arterias, ad partes corporis nobiliores perveniant, ac virtus magnetica in cor, spiritus vitalis officinam diffundatur.

Tenzelius in sua Medicina Diastatica ad reconciliandos dissidentium animos hunc nobis recommendat modum:

Sume *sanguinem hominis è Basilica sinistri brachii salientem* in tantundem *alcoolis Vini optimi*, per infundibulum recipe, digere

bene clauſo vaſe per pluſculos dies, poſtea deſtilla ex M. B. per alembicum ad ſiccitatem, phlegma ſepara, & ultimò *egreſſum ſpiritum oleoſum* ſerva: De hoc exhibe ʒj. ad ʒij. jejuno ventriculo in vini hauſtu alteri perſonæ quæ odium alit, aliquoties repetendo.

Georgius Phædro de perfecta Epilepſiæ curatione præſcribit proportionem:

Sume *ſanguinis adhuc calentis* ℥vj. *& alcoolis vini* ʒj. macerentur in cucurbita ampla quadraginta diebus, poſt ex M. B. deſtilla, & ſingulari operâ ſeparetur candidus à flavo liquor. *Liquoris flavi* ſumatur ſcrupulus unus ab ipſo Novilunii tempore, primâ aggreſſione datus facit ut agitatione ſedata deferveſcat comitialis ille furor, neque ulla in omnes annos conſequentes Epileptica concuſſio deprehenditur.

Libavius maximè extollit *ſuum Oleum cæleſte* quo reſtitui poſſe in agone conſtitutos, niſi moriendi advenerit terminus, refert. Elaborat verò hoc ſuum Oleum cœleſte planè & omni ex parte, ut nos ſupra lampadis vitæ Eſſentiam. Quod ſpiritu vini addito non prodit, ſed in ſal volatile oleoſum mutatur.

Oriri porrò ex hoc ſecretioris naturæ fundo volunt *magneticam vim, & arcanum*, quo ruſtici ac venatores pecora & feras ſibi conciliant, ut ad alios non divertant, & facilius irretiri queant. Hanc autem Mumiam ita parant: Sumunt *ſanguinem ex Medicinâ* vel Baſilicâ extractum, hoc implent *ovorum aliquot putamina*, tum optimo luto & veſicis claudunt, & pauliſper ſeponunt, uſque dum ſanguis concreſcat, & quaſi coagulatus ſit, tunc *gallinæ aliàs ovis incubanti ſupponunt*, per duas vel tres ſeptimanas, vel tam diu, quam gallina ſuis incubat ovis, tunc ſumunt hæc ova ſanguine putefacto repleta, & in furno piſtoris, tamdiu quam ſolent coqui panes, ponendo exſiccant. De hoc pulvere propinato deprædicant, quod qui ſumſerit, ad eum à quo ſanguis fuit prolectus, trahatur ut ferrum ad magnetem.

Paracelſus hoc modo *paravit ſanguinem Hydropicorum, Podagricorum*

corum, Scorbuticorum &c. poſt putrefactionem verò, à Gallinâ factam, non exſiccat, ſed per diem ſepoſitum opum ſeponit, & tunc maſſam contentam cani vel porco, per tres vel quatuor dies non cibato, ut hinc eò avidius devoret, projicit. Et hoc modo magneticâ methodo morbum hominis migrare in beſtiam verè aſſerit. Beſtiam tamen per tempus incluſam ſervare ne noceat, & poſtea globo trajicere ac occidere præcipit.

De hiſce experimentis *Paracelſus*, *Tenzelius* & alii mira deprædicant, verum cum rara hæc ſint experimenta, liberum cuique linquo judicium. Interim tamen his fides non plane deroganda, cum maximè conſtet admirandus rerum naturalium Magnetiſmus principaliter etiam in Animali Regno.

Reſtat ut quid moneamus de *ſanguinis recentis & calidi potu*, quem multi maximè commendarunt *in Epilepſia debellanda*. Sed cum in hunc finem meliora & generoſiora proſtent remedia, & ſanguinis crudi adhibitio, beſtialis quod obtineat, etiam maximè incerta ſint ab aliis relata experimenta, *meritò cum aliis maximis Medicis rejicimus*, principaliter cum ſufficienter notum ſit, quantum detrimentum afferat ſanguinis extra vaſa grumeſcens, quod maxime hic timendum, ne hoc modo epotus in ventriculo concreſcat, & majora inferat mala.

Si tamen quis experimentum facere velit, ſuadetur illi, *ut ſubitò poſt ſanguinem epotum motus ac curſus concitatior inſtituatur ad ſudoris elicium*, ut ſanguinis in ventriculo concretio impediatur quoad poſſibile.

Ante omnia tamen *vitetur ſanguis beſtiarum*, cum notum ſit, quantam *metamorphoſin hic inſtituat*, quale exemplum habemus de puella cui *felis cruor ad Epilepſiam* curandam propinatus, totalem ferè naturæ mutationem inſtituerat, ut in ædibus illa imitata fuerit felem, voce, ſaltu, mures venando &c. ut teſtatur *Weinrichius de monſtris cap.* 15. Conſultus ideoque erit cruorem humanum in ſpiritum, ſal volatile &c. redactum propinare, ceu Medicamina ab *Helmonte*, *Boyleo* & aliis maxime recommendatam.

CAPUT II.

De Lacte.

QUam certum est quod lac sit, tam *incertam esse ejus materiam*, variæ Authorum docent opiniones, *aliis* pro materia *sanguinem*, *aliis chylum*, aliis verò *sanguinis serum* credentibus. Quoniam verò autopsia ipsa in hoc opere nos deserit, (quis enim vidit naturam lactificantem,) hinc dubium permanet, quam probabiliter hinc etiam opiniones proferantur, sicuti bene sentit Cl. *Ammannus in suâ ad discentes Paræneſi.*

Sylviani, pro defendenda sua assertione *lac generari ex sanguine*, hoc suum producunt experimentum, quo ostendere volunt *chylum* qui est lactei coloris, *beneficio Alcali mutari in sanguinem*; & sanguinem beneficio Acidi iterum abire in lac, v. g.

Lac in sanguinem.

℞. *Lactis recentis* ℔. ß. *salis Tartari reverberati*, ℥. j. misce, & in olla capaci coque, horæ fere quadrantis spatio, quo lac abit in liquorem rubicundum sanguineum, innatantibus in superficie quasi fibris cremore conflatis.

Sanguinem in Lac.

℞. *Sanguinis præcedentis ex Lacte generati* q. v. instilla guttatim *acetum*, & videbis statim sanguinem mutari in Lac.

In Experimento primo dicunt, sulfur crudum chyli per alcali exaltari in sulfur rubicundum. In secundo exaltans alcali deprimi per acidum, unde sulfur, pristinum suum colorem nempe album, in lacte recuperet.

Verum, Experimentum hoc tam dubiam reddit rem, ac supra indigitatæ opiniones diversæ. Quomodò enim sulfur crudum chyli ut vocant, tam brevi tempore, & debili naturali calore, beneficio alcali ceu contrario, mutari queat in sanguinem; Et sanguis rursus, crebris circulationibus exaltatus ope acidi abire in lac, durum videtur creditu.

ditu. *Tempus enim requiritur quo chylus in perfectum ſanguinem, & ſanguis rurſus abeat exaltatus in lac*; cum tamen videamus nutrices deficiente lacte, poſt paſtum ſubitò lac ſentire in mammis.

Videtur hinc experimentum hoc etiam alias ob cauſas nimium inſufficiens, ut demonſtret veram Lactificationem, Acidum enim eſt in lacte, quod adveniente alcali deprimitur, nec verò perficitur; & addito rurſus acido fortificatur, ut naturalem recuperet colorem.

An ideoque ſanguis ex lacte adeò leviter & intra tam breve tempus, nimirum ex chylo ſanguis, & ex ſanguine Lac generari poſſit, maximum me manet dubium, inprimis etiam cum Lac plus phlegmatis obtineat quam ſanguis, quod tamen ſi ex hoc factum eſſet, rationabiliter minus contineret, *nec etiam Lac Sal volatile largitur*, quod tamen ſi ex ſanguine generatio facta eſſet, in copia obtinere deberet.

Veroſimilius hinc eſt, chylum lactis immediatam eſſe materiam, qui ex ſpirituoſis & variis circulationum rectificationibus dulcificatis, ac inde perfectis alimenti particulis dulcedinem hauſit, quod ex quadrupedibus vaccas confirmare comperimur, ſi diverſi pabuli conſideramus effectus, æſtate enim, perfectis herbis ac plus ſpirituoſis nutritæ, dulce magis ac perfectum præbent lac, quam hyeme, ſtramine repletæ.

Deſtillatio Lactis.

Ad demonſtrandas particulas conſtituentes, inſtituitur per cucurbitam vitream prælatam, leniſſimo tamen igne, ne oleum empyreumaticum egreſſum inquinet liquorem, medietas ideò ſaltem abſtrahatur.

Ratione virium quæ ex deſtillatione ſperandæ ſunt, *ſuperſedere poſſemus huic labori*, principaliter ſi internè adhiberi deberet edeſtillatus liquor, qui quidem pro antiphthiſico recommendatur, ſed in effectu nos deſerit valdè.

Si verò *externè in oculorum inflammationibus* exhiberi lubeat, adjiciantur *eſſentiæ ſaturni* quædam guttulæ. Vel ſume *Lactis* & *Vitrioli*

Vitrioli ana. p. æq. & deſtilla donec incipiat egredi phlegma ſubacidum, quod mirè in dictis oculorum inflammationibus, item rubore mammillarum, conducere perhibetur.

In ſubſtantia verò *lac maximoperè Phtiſicis prodeſſe*, ceu naturæ noſtræ familiare inprimis humanum, ex ipſis ſuctum uberibus obſervarunt *Crato*, *Schenckius*, *Riverius* & alii.

Obſervari tamen volunt in ejus exhibitione tres ſequentes conditiones: primò: *Ne adſit capitis dolor ac debilitas*: ſecundò *nec Febris*: tertiò *viſcera flatibus non diſtenta.*

Duplex verò hujus exhibitionis eſt intentio, ut *ulcus abſtergatur & conſolidetur*, cui intentioni tamen plus facere videtur *ſeroſum*, ut *aſininum* vel *caprillum*; Si verò *nutritionem* ſolum ſpectes, *muliebre* ex ipſis uberibus ſuctum.

Hic verò eligendum ſemper eſt *lac mulieris ſanæ*, *bonæ conſtitutionis*, candidum, globoſum, ſuavis ſaporis, cujus *guttula ungui ſuperfuſa non facilè diffluit*, ſed inſtar unionis & cryſtallinæ guttæ integra ſubſiſtit. *Mulier* verò *non conturbetur mariti congreſſu*, nutrixque optimis nutriatur alimentis, *& à vini potu arceatur*; quod & in eligendis nutricibus obſervandum venit.

DE CURA LACTIS PODAGRICORUM.

Magnifaciunt, egregii Medici, lactis curam in curanda Podagra: an verò in omni conveniat Podagra maximum eſt dubium: inprimis ſi ex conſtringentibus particulis acidis, materia Podagrica conflata eſt, quæ ſemper ferè frigida videtur. Ubi verè particulæ volatiles acredine pollentes, ut ferè ſunt bilioſæ, eam conſtituunt; tum ratione Acidi quo abundè refertum eſt lac, convenire magis videtur. *Singularem verò tradunt methodum in perficiendâ hac curâ, qualem ex Ephemeridibus Medic. Germ. p.* 315. *huc referamus.*

1. *Lac* quod aſſumendum, *ſit de rubra vel nigra vaccâ*, nec prægnante, nec ſeniore, & ſi haberi poteſt, de vaccâ, à quo vitulus jam ſublatus eſt, & quæ taurum nondum admiſit.

2. Lac unicuique bibendum ſecundum complexionem & conſtitu-

ſtitutionem ventriculi parum vel multum: Si ventriculus debilis, quater vel quinquies per diem lac bibendum. Si quinquies, ita tempus dividendum, ut per trihorium ab ejus uſu ventriculus quieſcat; Si quater, ſingulis quaternis horis potus lactis repetendus erit.

Vel ter tantum bibatur, nimirum *mane* circa 6. *à meridie*, circa 12. *& veſperi*, circa 7. ſingulis vicibus 2. quartarios, ſive ℔. v. ß. ad minimum, aliàs per diem 7. vel 8. quartarii bibendi ſunt.

3. Antequam lactis ſuſcipiatur cura, bis vel ter *corpus evacuandum eſt*, quod intra 10. vel 14. dies peragendum: Purgationes ſecundum ægri complexionem dirigendæ.

4. Inde lacte bibendo fit initium, & conſultius, ut *calidè hauriatur*, prout à vacca eſt emulctum.

5. Ne concreſcat lac, de ſaccharo ſi lubet, poterit injici quantum placet.

6. Si alvus conſtipata, mane ſumantur grana 2. *rhab. pulv.* in primo hauſtu lactis, ſuperbibendo reliquum lac, aut circa veſperam ſumantur 8. vel 10. grana *Eſſent. rhabarb.* cum lacte, & hoc toties repetendum, quoties requirit neceſſitas.

7. Quidam, præcipuè intra primas 10. vel 12. ſeptimanas, ſingulis menſibus lenem interponunt purgationem, ſi videatur neceſſarium eſſe: Si etenim alvus quotidie aperta, nec lac in ventre moretur, ſufficere poterit *rhabarbarum*.

8. Si lac aliquam excitat diarrhœam, antequam bibatur, parum ebulliat addendo aliquid ſalis, & ſic hauriatur calidum, ſi prima vice non ſuccedat, repetatur altera vel tertia.

9. *Si* aliquis *calor accedat ex uſu lactis*, tertia pars *decocti hordei cum paſſulis* lacti affundatur.

10. *Si ſitis* extra eas horas, in quibus lac bibitur, *decoctum hordei cum paßulis* ſumatur, aut in ejus defectu hauſtus aquæ frigidæ fontanæ.

11. Durante hoc lactis potu, nulli alii cibi aſſumendi ſunt, præſertim à principio.

12. Postea si lubeat, circa meridiem *panis similaginei* ℥ j. vel ij. sed saltem de medulla assumantur, quæ lacti immergantur & simul comedantur. Si lac jam per aliquot septimanas haustum, bis per septimanam *ovum sorbile*, sed absque sale, cum pane similagineo conceditur, à pane fermento subacto penitus abstinendum, ne lac in ventriculo concrescat.

13. Si lac per 14. septimanas adhibitum fuerit, tunc securius de sequentibus cibis assumi poterit, ita tamen, ne ventriculus obruatur & de lacte subtrahatur.

14. *Ex cibis* itaque concedantur *oryza* in *lacte cocta*, *ova sorbilia*, aut in butyro non salito frixa, *insulsum item butyrum* cum pane similagineo, *pultes lacteæ* & alia lacticinia, ita tamen ut *in omnibus sal absit*.

15. *Vaccæ* quæ lac suppeditant, per æstatem, in *optimis pascuis*, & siccioribus locis, non paludosis, alendæ; per hyemem ex fœno, stramine tritici, & furfuribus triticeis.

16. Tempus quamdiu lac exhibendum, exactè definiri nequit, quo diutius hauritur, eo perfectior cura; sunt qui Podagra valdè afflicti, ne malum redeat, continuò alii per annum, & ultra lac hauserunt.

Quidam per dimidium annum curam lacteam adhibentes, cum ad pristinum redierint victum, & in eo miscellâ ciborum excederent, rursus Podagra fuerunt correpti: redeuntes verò ad curam lacteam, Podagram rursus expulerunt.

Atque hæc est cura lactea, quæ verò an omnibus Podagricis conveniat, ut paulo supra monuimus, pro negativa stamus, saltem cum *Fonseca Innocentii Decimi Papæ Archiatro*, admittentes illis Podagricis hanc curam, *ubi causa est Bilis summa pollens acredine & volatilitate Alcalina*, Acidum apprehendens & cum eo summam inducens effervescentiam: hujus enim particulæ acutæ pungentes infringuntur levibus & rotundis lactis dulcis poris sive particulis, quarum constantior est natura, cunctantior actus, pigriores latices, quam aliorum dulcium; In his enim omnis materiæ copia hæret

magis

magis inter se; si verò leviter solvantur, sensus potius titillant quam lædunt, siquidem angulis paulum prostantibus constant.

Verum si totalem patiantur solutionem manifestiores exerunt aculeos. *Commonstrat hoc, TARTARORUM POTUS, quem ex lacte equino ita parare norunt, ut instar vini ebrietatem inducat*, procedunt verò hoc modo:

Postquam equa peperit, permittunt pullum lactere per mensem, postquam applicant naso pulli ligni acuminati frustula, eum in finem, ut cum pullus sugere velit, equa compuncta eum admittere nequeat. Interea ipsi *colligunt lac, eoque vas replent, in quo vinum* aliàs fuerit per tempus *servatum*, si modo haberi possit, immittunt verò vasi *per philtrum linteum*, & tunc vas exactissimè obturant; Injiciunt etiam simul 20. vel 30. *grana hordei*, cum cochleari *oxygalæ vaccinæ*, seu *lactis acidi ebutyrati*, aut paulum saltem *fermenti*. Tunc collocant vas illud vel propè ignem, vel radiis solaribus exponunt, ut lac quasi bulliat & clarescat, id quod fit spatio 2. vel 3. septimanarum, & si *tantillum vini* fuerit additum potus gratior multò erit.

Lac ita benè depuratum, trajicitur per linteum purum antequam bibatur. Præparatus *hic potus tempore vernali melior est* omni eo qui reliquis anni temporibus perficitur, & durat longo tempore: Tantum verò semper lactis novi reaffundendum est, quantum depromitur.

Observandum item hoc, quod *si lac per se ipsum satis acidum fuerit*, non opus erit oxygalam vel fermentum addere, sed sufficiunt *grana hordei*, utque magis tutò procedatur in distinctis vasculis instituenda est præparatio. Infundi etiam quibusdam potest nodulus *ex radic. violarum* aut *foliorum vel semin. coriandri*. Decies quotidie Equæ emulgetur lac, dum ea interim optimis herbis nutrienda est.

Hoc experimento sufficienter constat, Acidum sub levibus dulcis particulis latere, quod secessu partium facto per se existit, præmissa fermentatione, & tunc hominem lædit, præprimis, si in corpore talis fit separatio.

Videant hinc illi quam *longe aberrent, qui lac Podagricis exhibent*, ut acidas ſalinas acres particulas obtundant; quas hoc modo potius intendunt.

Externus lactis crudi *uſus* plus exiſtit commendandus, præprimis *in oculorum affectibus*, ubi vel per ſe calide inſtillatum, vel cum aliis remediis commiſtum, adhibetur, v. g.

℞. *Lactis muliebr.* ℥v.
mucilag. ſem. pſyllii.
cydon. cum aq. roſarum fact.
tragacanth. ana. ʒiij.
album ovi conquaſſat. ʒij. ms.

pro collyrio, in dolore & rubedine inſtillando, vel cum panno ſericeo applicando.

Vel ℞ *Mucilag. ſem. cydon. aq. roſar. & plantag. fact.*
lactis muliebr. ana. ʒiij.
camphor.
croci ana. ʒß. ms.

Applicetur tepide, *ſingulis verò diebus recenter præparetur, ne aceſcat*, & tunc majorem inferat inflammationem & dolorem.

In Viſu clarificando.

℞. *Fellis perdicum.*
hircin. ana. ʒß.
mellis virgin.
lactis muliebr. ana. ʒij. ms.

Hoc mane & veſperi inſtillatum maxime viſum clarificat.

In Ardore & Dolore maximo.

℞. *Pulpæ pomi cocti* ʒj.
micæ panis in lacte muliebr. infuſ. ʒß.
album ovi num. j ms.

Vel ℞. *Lactis muliebr.*
album ovi ana. ʒij.
aq. roſar. ʒj.
ſucci. chamom.
melilot. ana. ʒß.
opii. gr. ij. *ms.*

Et cum pannis applica.

In

In abſtergendo oculi ulcere.

℞. *Lactis muliebr.* ʒj.
ſacchar. cand. ʒiß.
myrrhæ. ℈j.
Ms. hoc abſtergatur ſæpius ulcus.

In Præcavendis variolis & puſtulis ne oculos occupent.

℞. *Aquæ roſarum.*
euphras.
plantag. ana. q. pl.
lactis muliebr. parum.
camphor. gr. ij.
croci gr. j. ms. fiat collyrium,

Hoc ſæpius à principio erumpentium puſtularum oculi regio tepide illinenda, & gutta una vel altera interdum oculo immittenda eſt.

Lacte item optimo cum effectu utimur in aurium affectibus e. g. Si dolor adſit

℞. *Lactis muliebri* ʒiij.
medull. caſtorei ℈ij.
opii thebaic. ℈j.
Ms. diſſolvantur, percolentur, & hujus liquoris guttulæ aliquot trepidè inſtillentur auribus.

Si inflammatio concurrat.

℞. *Medullæ panis in lacte muliebr. infus.* ʒiiij. *lenticulæ paluſtr. m.* ij.
Ms. fiat cataplaſma auri applicandum.

In Tinnitu.

℞. *Lactis muliebr.* ℈ij.
ſucci. capar. ℈ß.
Ol. amygd. amar. ʒj.
Ms. inſtilletur, trepidè guttatim auribus.

In Phthiſicorum calore temperando.

℞. *Lactis muliebr.* ℥j.
butyri ex eodem lacte facti & aq. frag. loti.
unguenti roſati.
mucilag. ſemin. pſillii.
cydonior.
Ol. amygd. d. rec.
violar. ana. ℥ß.
cera albæ parum. ms.

Hoc Linimento Renum regio & dorſi ſpina mane & veſperi diligentiſſimè inungatur.

CAPUT III.

Pinguedinem & Medullarum reſolutio.

UNctuoſa tenacitas rerum harum, dependet à flexilibus ſibi implicatis ramis, diverſæ tamen materiæ copia, Acidi & Alcali videlicet : Hæc verò, ſua ſpicula non adeò exſerunt, niſi ſeceſſum facere cogantur, utque plus manifeſto imbuantur ſapore, & linguam manifeſtè vellicent, acuata eſſe debent.

Inſtituitur verò acuatio hæc, unius ab invicem, ſcil. Acidarum & Alcalinarum ſeparatione, hæcque fit additis intermediatisque Alcalinis, quæ ſuum ſimile ſibi aſſociant, & acidas particulas relinquunt, igne pellendas.

Hunc in finem adjicimus Unctuoſis deſtillandis cineres clavellatos, calcem vivam, &c. v. g.

DESTILLATIO PINGUEDINUM.

Si *butyrum* à particulis ſuis Alcalinis, ut acuatæ particulæ ſeorſim exiſtant, liberare velimus, addimus, *liquefacto cinerum clavellat*, q. ſ. pro imbibendo butyro, tum frigefactam maſſam *indimus retortæ*, & *ex arena* ſecundum gradus deſtillamus, & primo prodit

prodit *oleum tenuius*, ſequente craſſiori, præſertim aucto plus debito igne, odore tamen fœtido empyreumatico maximè imbuto, quia unguinoſa hæc nimium citò aſſantur.

Fœtidum hunc & empyreumaticum olei odorem artifices liberare ſtudent dum aliquoties ſupra cineres alcaliſatos rectificant *leniter deſtillando, ſed tum multo enervius recipiunt oleum : Salini enim aculei quibus olea energiam debent, hac repetita miſcellâ obtunduntur nimium.*

Hoc obſervandum maximè *in oleo Tartari ſuccini, fœtidis* &c. ne eis hac methodo aculeos obtundamus & in viribus debilitemus. *Præſtat itaque hac ſpicula lævigaſſe per ſpiritum vini, & ſic gratam ſervare odoris vim, & majores vires*, v. g. Si *oleo Tartari fœtido ſpiritus vini affundatur*, fœtori ſuccedet odor roremarinum æmulans, &c.

Sic alii trutinantes olea Alcalinis ſæpius remixta, ut dictum abſtrahi, virtutibus nobilioribus priva, excogitarunt aliam ad ſeperandas particulas methodum, adjecto ſcil. intermedio, quod Unctuoſitatem ſive particulas plus flexiles & ramoſas igne mediocri exureret, & inſuper ſubtile ſuum volatile impertiretur Acidum, v. g. & pro exemplo ſit.

PINGUEDINIS HUMANÆ OLEUM.

℞. *Axung. Human.* ℔ j. liquefactæ in ollâ vitreatâ injice *oſſium humanorum fragmenta in tigillo prius ignita* ℔ ij. poſt injectionem ſubitò claude cum convenienti operculo ollam, ne conceſſo libero aëre oleum accendatur. Stent aliquandiu donec oſſa axungiam liquatam abſorpſerint :

Hæc ita pinguedine impregnata *oſſa retortæ immitte*, & per gradus deſtilla, donec prodierit *olum*, particulis acidis abunde, in oſſibus contentis, fortificatum: *Hoc* ſi ſemel adhuc *cum calce viva rectificetur*, ad ſuperandas particulas alcalinas, & quaſi ſegregandas, adeo ſubtile & penetrans efficitur oleum, ut ſi guttulæ aliquot manibus immittantur, ſubitò penetrent, ne veſtigia quidem inunctionis remaneant.

Ad

Ad deſtillandas & perficiendas aliorum *animalium pinguedines* ſumuntur pro imbibenda & deſtillandâ, *propria animalis oſſa.*

Olea hæc ita rectificata & fortificata maximè à multis extolluntur, in *contracturis tumoribus* & *tophis reſolvendis*, ubi particulæ alcalinæ cauſam concretionis ſuppeditarunt, quæ exſuperantes Acidum ubi reperiant impugnant: *projicienda ideoque hiſce veniunt, alia ſubtiliora Acida, ut debilius fortificetur Acidum, quo inducta æqualitate remittat efferveſcentis & exſuperantis ferocitas.*

Si verò dicta mala ab exſuperante & prævalente oriantur Acido, cave ne dictis adhibitis oleis, majorem inducas ardorem, & notabilem nonnunquam inflammationem, & ipſam ad Gangrænam diſponas.

Acidum eo copioſius ineſt oleo, quo velocius flammam concipit: cum enim particulæ alcalinæ quædam minus arctè complicatæ diſcordantes rebellioſe exagitantur, ignis motu impetuoſius efferveſcunt: Ubi tamen acida corpuſcula quæ celeriori ſubjacent motui, micationis primariæ cauſæ diſſipantur, Alcalina verò fumi conſtitutiva fiunt, hæc ſi oculos feriant lachrymas eliciunt, cum hæ ſubacidæ Alcalinis obviæ quaſi efferveſcant, & ſenſibilem titillationem inferant, ſæpius etiam inflammationem.

Pertinet huc *oleum Philoſophorum* vocatum ſive *lateritium*, quod ubi *cum calce viva deſtillatum* fuerit, egregia præſtò eſt energia penetrandi. Laudatur verò maximè à multis *in doloribus catarrhoſis*: utpote tumoribus frigidis, aurium affectibus à flatibus, ortum trahentes &c.

Caveto verò hæc & ſimilia adhibere in iisdem affectibus ubi ſuſpicium eſt, eos à ſuperfluis & reſolutis Acidi particulis ortum traxiſſe.

Concludimus etiam hinc, malè & inconſiderate multos laudare in Phthiſi, & Hectica, pinguedinem carnis, hominis, principaliter ſi ſcorbutica ſive ſalina ſanguinis concurrat diſpoſitio, cui tum robur addituræ eſſent pinguedines præfatæ, *propter Acidum copioſe implicatum, quod ulceri plus promovendo, quam conſolidando inſervit*, ut conſpicimus,

ſpicimus, ſi ad aperta retinenda vulnuſcula V. Sect. facta &c. butyrum, vel pinguedinem aliam, ſive oleum imponimus, quia tum unctuoſum Acidum remoratur conſolidationem.

CAPUT IV.

De Carne.

CAro ex diverſæ materiæ particulis concreta eſt, *plus tamen Alcalinis & dulcibus, quam Acidis conſtans, unde & putredini obnoxia maximè ſubſiſtit, ut, ne à vitali Acido, & aura volatili, dulci tamen, continuò perfumetur, ſubitò corruptioni ſubjecta extet*, quam maximè promovet humidum, vel copioſe implicatum, vel ab aëre transmiſſum.

DESTILLATIO CARNIS.

In ſeparatione prodit *phlegma* copioſum, *ſal volatile*, *oleum*, & *ſal fixum*, quod in fundo remanet, ex iiſdem namque particulis ex quibus ſanguis conſtat, ductoris voluntate combinatus eſt, reſolvitur hinc inid ex quo conſtat.

Phlegma copioſius ineſt quam reliqua, & hoc in cauſa eſt quod minus durabilia exiſtant corpora noſtra, aura vitali, naturali movente ſublato, hoc enim ſalia connexionis fundamina diluit, & quæ in rebus ſunt extricat, atque ita lubricitate putredinem ſubitò accerſit.

Eò maximoperè laborabant olim *Ægyptii* & *Perſæ*, ut impedimento hoc, videlicet humido ſuperato, *corpora langæ vitati donarent*: longè verò alium obſervabant methodum eorum *ſallitores*, quam hodierno tempore *noſtri Medici* in ſuis, ut ineptè fere vocant balſamationibus: Hanc ita deſcribit *Herodotus in Thalia:*

Primò *per nares* incurvis *inſtrumentis ferreis cerebrum extrahebant*, & medicaminibus quibusdam cavitatem replebant. Poſt, lapide acuto incidebant & *aperiebant ventrem*, ut *viſcera extraherent*,

cavitatem verò eluebant *vino Phœniceo*, & conſpergebant *pulveriſatis odoramentis*, ſeu *fumali pulvere*, & tunc cavitatem porro impletam pulvere *myrrhæ*, *cinamomi* & ſimilibus, excepto thure, conſuebant. Hoc facto totum hoc corpus imponebant *ſali per ſeptuaginta dies*, & non ultra, tum effluxis hiſce diebus abluebant corpus & *faſciis ſericis involvebant*, & *illinebant faſcias reſinâ* quadam, quâ loco glutinis *Ægyptii* utebantur.

Corpus ita paratum *è camera balſamatoria*, *ad ſuos remittebant*, *ſallitores*, qui in feretrum corpori adaptatum reconditum, cryptæ immittebant, obſervatis debitis ſepulturæ ritibus.

Qui haſce impenſas non ſuſtinebant, viſceribus ſaltem exemptis *corpus ſali imponebant*, per dictos ſeptuaginta dies, tum feretro impoſitum ſeponebant.

Videmus hinc *ſal omnis rei conſervatorem*, hujus balſamationis fuiſſe principale ingrediens: hic enim ita carnem depaſcebat, ut ſaltem cutis cum oſſibus relinquebatur.

Videmus item hinc, quam longè differat *hodiernus balſamandi modus*, ubi *ſal planè exulat*, unde non mirum quod minimè durabiliora exiſtant.

Sic & *deſtituimur Balſamo* incomparabili in *Ægypto* & *Syria* proveniente, ac aliis manuductionibus circa corporum balſamationem maximè neceſſariis. Balſamo tamen hoc vero ſolùm Reges & alii Heroes utebantur, adjunctis *myrrha*, *cinamomo*, *croco ac aliis*. Pauperiores vero *ſale & aſphalto*, *croco*, *cera*, *melle* & aliis vilioris pretii ingredientibus contenti erant.

Multi item corporum balſamatorum durabilitatem aëri partim adſcriptam volunt, cum in *Ægypto* plus purus ſiccus & calidus ac ſalinus, non verò humidus exiſtat aër, ſicuti in his noſtris terris. *Principaliorem omnium cauſam ſali adſcribo*, hic ſi exulat, omnia alia erunt irrita.

Qui itaque conſervatoria exquirit balſama, *inquirat in illa*, *quæ ſua volatilitate penetrationem*, *ſuo ſale conſervationem*, *& ſuo oleo aëris humidi ſecluſionem ſecum ferunt*: obſervetur carnium *infumatio* quæ

ſoli

ſoli ferè ſali balſamico conſervationem debet. Plurimam hic laudem meretur *Theodori Kerckringii* artificium ſolvendi *ſuccinum* ſolo ignis miniſterio, nec ullâ aliâ re addita.

Hic *oſtendebat cadavera infantum ſuccino obducta*, ut omnia membra tranſparerent, monſtrabatque phiolam tali ſuccino ſoluto iterumque congelato impletam. Hoc, ſi ſuppeteret, ſplendidè cadavera à putredine conſervare poſſemus, ſed cum ſufficiens nobis deſit ejus copia, in alia nobis inquirendum erit balſama & balſamandi methodum, in quâ, ut dictum ſupra, *Ægyptii* excellebant, hi enim corpora ſuis odoramentis ceu oleoſis volatilibus, & ſale ita temperabant, ut gummoſam quaſi induerent naturam, quæ ultimò faſciis circumvoluta oleis perfundebant, ad aëris humidi ſecluſionem.

BALSAMANDI itaque METHODUS VERIOR & magis legitima talis eſſe poterit:

Primò. Poſtquam homo ultimum moriendi terminum nunc transgreſſus obiit, loco ſicco reponatur, ac ſtatim horis aliquot inprimis æſtate præterlapſis, Balſamator corpore convenienter aperto, *viſcera extrahat cum inteſtinis*, *& ſanguinem* quoad poſſibile venis majoribus inciſis exprimat, *cerebrum verò artificioſe ne faciem lædat*, inſtrumentis extrahat. Cavitates diligenter & peroptimè eluantur aqua ſalſa, forti vel vino ardenti, ſpongiis adhibitis. His ita diligenter peractis aſpergantur *omnes cavitates therebintinâ coctâ*, & *maſtichis vel ſuccini pulvere*, tunc pro replendis cavitatibus præſto ſit hic pulvis:

℞. *Aloes.*
Myrrhæ.
Colophon. ana. p. unam.
Benzoi.
Aſphalti.
Succini.
Cinamomi.
Caryophyll.
Croci, ana. p. ſemis.
Salis optimi. partem unam ſemis.

Hiſce pulveriſatis impleatur tota corporis cavitas, & conſuatur rurſus artificialiter, hoc peracto, more *Ægyptiis* uſitato imponatur corpus vaſi aptato & *ſale condiatur* per dies ſeptuaginta, tum abluatur cadaver *aceto acerrimo* & *ſpiritu vini*, in quo *camphora ſoluta* fuerit, atque tum totum cadaveri inungatur ſequenti linimento peroptimè.

℞. *Olei thereb.* ℔ ij.
lavendul. ʒ v.
ſuccini. ℔ ß.
ſpica. ʒ ij.
caryophyll. ʒ ß.

Ms. Superfunde *ſulfuri cum ſale Tartari cocto*, ut extrahatur *Tinctura* & fiat balſamum nobile, quod illinatur fortiter univerſæ cuti, ut penetret. Tunc totum corpus ſervatis artuum figuris obducatur faſciis involvendo, quæ ſequenti liquori balſamico oleoſo intinctæ ſint.

℞. *Reſinæ pini ſiccæ.* ℔ iij.
colophon. ℔ j. ß.
maſtich.
ſuccini. ana. ℔ ß.
ſtorac. liquid.
gummi animæ.
therebintinæ. ana. ℔ ß. ʒ iij.
Olei laurini.
juniperi.
ſpicæ ana. ʒ viij.
petrolei. ʒ iiij.
lavendul. ʒ ij.
ceræ. q. ſ.

Miſta liquefiant igne moderato, & *huic faſciæ intingantur corpori obducendæ*, quo legitimè peracto, telâ ſi lubet ceratâ circumdatur corpus, & feretro imponatur variis aromaticis conſperſo, & ſerve-

ſervetur in loco quoad poſſibile ſicco, atque hoc modo durabit corpus diutiſſimè in multa ſecula.

Apud *Ægyptios* liquor ex balſamatis effluens corporibus *Mumia* vocabatur, adverſus innumeros morbos, cum verò pauciora, & ſaltem *Regum & Heroum* corpora naturali *Balſamo Syriaco & Ægyptiaco* balſamata eſſent, ratus erat hic Mumiarum Balſamus ſeu vera Mumia.

Tandem hominum avaritia (cum enim viderent *Ægyptii* corpora hæc balſamata magno vendi poſſe pretio:) corpora alia viliori modo balſamata ſubſtituit, hinc ipſa corpora arenâ ſuffocata, & calore Solis exſiccata, unguentis perfuſa, & linteis vel faſciis obducta, pro veris Mumiis magno vendiderunt pretio *Ægypti* Incolæ.

Cum itaque Mumiæ tanta ſit diverſitas, & vix credendum, veram ad nos deferri Mumiam, melius & ſecurius adhibemus ex ſanguine vel *carne præparatum ſal volatile*, & alia inde reſultantia Medicamina generoſiora.

Si tamen quis hac teneatur opinione, in ipſa carne humana latitare Medicinam non contemnendæ virtutis, is ex *Paracelſi* mente ſibi ita præparet *Mumiam Philoſophicam*, v. g.

MUMIA PHILOSOPHICA PARACELSI.

Eligatur *cadaver hominis ſani*, qui nullo mumiali morbo detentus, annorum circiter 25. *recens ſuſpenſus*, vel *rotâ contritus*, vel *haſtatus*, per diem & noctem in aëre relictus fuerit, & tempore ſi potuerit, ſereno collectus ſit. Hujus *carnem muſculoſam*, *brachiorum*, *femorum* &c. à duobus luminaribus illuminatam, ac conſtellatam, *fruſtulatim conſcinde*, & *pulvere myrrhæ aſperge*, ac tantillo ſaltem *aloës*: poſtea macerare permittito diebus aliquot in *ſpiritu vini*, tum ſuſpendatur per horas ſex vel decem, ac iterum eodem ſpiritu vini imbibatur, tandem in aëre ſicciori loco, tamen umbroſo, ſuſpenſa ſicceſcat, ut aſſimiletur carni fumatæ ſine fœtore.

Ex hac Mumia *Paracelſi* Philoſophica paratur cum *ſpir. vini ſambuci* Tinctura, & abſtracto rurſus liquore *Extractum* mellitæ conſiſtentiæ, tunc

℞. *Extracti hujus.* ℔ß.
theriac Androm. ʒij.
ſalis volat. ſang. human. ʒß.
perlar. præpar. ʒij.
terra ſigillat. ʒiß.
moſchi ʒß.

Ms. & vaſe optime clauſo, per menſem fermententur, & acquires Medicinam nobilem in Peſte, Febrib. malignis, Venenis, à ℈ß. ad ʒß. cum *aq. theriacali, card. benedict. ulmariæ*, &c. exhibitam, maximi uſus & effectus.

Veteres maxima laude extollebant Mumiæ uſum *in reſolvendo ſanguine coagulato* & grumeſcente, vel per ſe vel aliis adjuvantibus remixtum, v. g. in caſu ab alto.

℞. *Mumiæ.* ʒß.
ſperm. ceti. ʒij.
ſang. hirci. pulv. ʒj.
ocul. cancri. ʒiij.
liquirit.
cinamomi.
tormentill. ana. ʒß.

Miſce de hoc pulvere, exhibe mane & veſperi. ʒj.

CAPUT V.

Oſſium, Cornuum, Piliorum, & Pennarum Anatome.

COpioſum his rebus ineſt ſal & utplurimum volatile, hujus verò volatilitatis gradus poſſidet pro rectificationis modulo, à tranſitu per fibras dependente, cui comes eſt aquæ ſufficiens copia: adeò ut quibus compactior fibrarum ſubtilitas, ſal copioſior, aqua verò

verò indigentior ſit; illa præmiſſa fermentatione in ſpiritum evehuntur volatilem, omnem à ſale volatili energiam nactum, & pro phlegmatis menſura efficacem.

Spiritus hi volatiles ſpirituum reſtaurationi convenientiſſimi ſunt, & multorum morborum tuti depulſatores & præſervatores: nec aptiores humoribus dulcificandis poſſunt inveniri particulæ quam hæ volatiles impetum facientes, hæ enim ab unctuoſa cerebri ſubſtantia poſt tantam circulationem derivatæ, in ſenſiliſſimis nervis nulla poſtmodum aculeorum rudimenta produnt.

SPIRITUS OLEUM & SAL VOLATILE OSSIUM.

Pro particularum ab invicem ſeparatione, deſtillationem inſtituimus hunc in modum:

Sume C. C. *in fruſtula rotunda conſciſſi* q. l. inde *retortæ vitreæ vel ferreæ*, pone *in furno reverberii*, *recipiente capaci adhibito*, juncturis optimè clauſis, incipe deſtillationem primo leni, *ut ſenſim incaleſcat retorta*, poſt fortiori quodammodo igne ad phlegma guttatim proliciendum, quo ceſſante auge ignem, & prodit ſpiritus albicans ſale plus volatili imprægnatus, tandem continuato igne, *oleum cum maximâ ſalis volatilis parte* ubique recipientis lateribus adhærente prolicietur.

Deſtillatione finita refrigeſcant omnia, & juncturis apertis, *remove receptaculum & agitato optimè, ut ſal volatile lateribus adhæreſcens ſolvatur*, hæc omnia *effunde in phiolam oblongi colli*, quam capitello ſuppoſito *pone in arenam* & leni igne deſtilla, & ſublimabitur ſal partim in capitellum, partim in phiolæ ſuperiorem partem, ſpiritus verò in appoſitum vas parvum recipiens: Oleum verò cum phlegmate remanebunt in fundo phiolæ. Vel ſi deſit phiola, ſume integrum deſtillatum, imprægna eo C. C. *uſti fruſtula*, & deſtilla leniter ex cucurbita, ita enim remanebit optime oleum cum C. C. uſto, & ſal volatile prodibit fœtidum.

Spiritus cum ſale volatili hoc modò rectificatus, penetrantiſſimum eſt remedium polychreſtum, alexipharmacum, in Epilepſia, Vertigine, lethar-

lethargo, præprimis ſuffocatione hyſterica & hypochondriaca, tam intus quam extus ſingulare præbet experimentum, etiam odoretenus hauſtus.

Paratur ex hoc ſpiritu *liquor C. C. ſuccinatus, citratus, &c.*

Et ſi *cum arcano Tartari* nuptum ſit *ſal volatile*, maximum præbet medicamen *in malo hypochondriaco, Arthritide vaga*, & fixa, *ſcorbuto*, & *ſuppreſſione menſium* &c.

Doſis ſalis volatilis eſt à gr. v. ad ℈j. imò in Peſte ubi ſingulare præbet ſpecificum ad ʒß. v. g.

℞. *Aq. card. bened.* ʒij.
theriacal. ʒij.
ſalis. C. C. vol. ℈j.
ſyr. acetos. citri ʒj.
Ms. pro doſi.

Vel ℞. *Aq. è typhis C. C.* ʒiß.
cinamom. ʒij.
ſalis C. C. vol. ℈j.
lachrym. cervi ℈ß.
ſyr. acetoſ. citri ʒj.
Ms. pro doſi ſingulis 6. horis reiteranda.

Vel hoc Sorbaithi in nuperà Peſte Viennenſi.

℞. *Decoct. radic. Carlin. & vincetox. cum m. j. fol. galeg. fact.* ʒiß.
theriac. mediæ ætat.
elect. diaſcord. ana. ʒij.
elixir. antipeſtil. Croll.
pulv. pannon. rubr. ana. ℈j.
ſalit. C. C. volat ʒß.
aceti bezoardic.
ſyr. de ſcord. ana ʒij.

Ms.

Ms. Fiat potio ſingulis 4. vel 5. horis reiteranda: hac potiuncula innumeros teſtitutos eſſe dictus D. Sorbaith aſſerit, dummodo benè ſudarint.

Paratur porro ex tenellis C. C. Typhis Aqua inſignis efficaciæ hoc modo:

Sume *tenellas* adhuc, *molles*, *lanuginoſas*, & *ſanguine turgidas typhas*, unà cum cruenta illa maſſa, ex qua enaſcuntur, has detractâ pelle lanuginoſa, *fruſtulatim conſciſſas*, inde *cucurbitæ vitreæ*, & *lento B. calore* aquam elice, prolectam tamen aquam bis vel ter cohobando. Tandem *materiam* relictam rubeſcentem *exſiccatam*, ſi ex typhis admodum tenellis, & ſanguine turgidis, albicantem vero ſi ex iisdem adultioribus parata fuerit, in pulverem ſubtilem redige & ſerva, *omni & uſto & philoſophice parato* C. C. anteponendum.

Addunt nonnulli in deſtillatione *ſpiritum vini.*

Aqua prolecta *in Febribus ardentibus, malignis*, maximi eſt uſus, ob vim balſamicam & moderatè refrigerantem, loco vehiculi poteſt exhiberi cum aliis efficacioribus ad ℥ß. ℥j. & ultra.

Lachrymas item cervinas, contra venenatos morbos & alia venenâ antidotum eſſe, pretioſis Regum theſauris anteponendum *Zacutus Luſitanus* aſſerit.

Cranium humanum, *viperæ* &c. modo ſupra dicto deſtillantur in ſpiritum, ſal volatile, oleum, &c.

Ex pennis etiam per retortam prodit phlegma, *ſpiritus*, *ſal volatile* & *oleum*, & quo magis ſe ad ſidera ſublevat volucris, eò plus ſalis volatilis obtinet; unde volatilis cauſa.

Conſtat ex hoc humorum viſciditatem & fixitatem motui maximè adverſari: videmus hoc in arthritide ubi viſciditas congelata contracturam infert.

Salis vero fixi rebus hiſce tantum ineſt, quantum ad ſoliditatem ſufficit.

CAPUT VI.

De Ovo, Conchiliis, &c.

OVum universi quasi orbis typum refert, analogicè enim Elementorum quaternarium quasi repræsentat numerum: Adest enim *cavitas* aëre plena, *albumen* aquam, *vitellum* ignem, *cortex* verò terram repræsentat.

Cortices merè Alcalinæ non sunt, cum sine Acido nulla fiat concretio, plus tamen Alcali fixi, quam Acidi continentes, verisimile est silicis regenerati esse sobolem, cum enim gallinæ, si eis *in esca* non *datur arena*, pariant ova sine cortice, sequitur hinc earum originem ducendam.

Philosophi occultantes regeneratum silicem has vocarunt cortices corpus album & clarum de duobus monticulis.

Ex his crematur *calx urentis naturæ*, ut quæ antea plus erant Alcalinæ, jam per calcinationem Acidum ex igne acquirunt, ut fiant Acido-Alcalinæ naturæ. *Si cum hac calce* sæpius *destilletur albumen ovi*, extrahet hoc Acidum in ea contentum, & fiet *dulce corrosivum*, quia Mercurium per aq. fort. præcipitatum & rubificatum dulcificare perhibent Philosophi, tam ad usum Medicum quam Chymicum: magnarum etiam virium in figendis mineralium spiritibus.

Alias testarum, sicut & conchyliorum calx *vim obtinet lithontripticam*, Acidum enim constringens imbibendo alterant, inprimis si simpliciter saltem pulveratæ propinentur.

Referre huc poteris *osteocollam*, quæ erodens in vulneribus *Acidum absorbet*, & fractis ossibus callum ingenerat, ut cavendum sit ne ultra quam par est juxta *Sennertum* procreetur. *Albumen* lentore suo & visciditate *refrigerat, conglutinat*, hinc in rubedine & inflammatione oculorum convenit.

Vitellum uti plus perfectum, *digerit, maturat, laxat, vim anodynam obtinet*, ex hoc oleum exprimitur insignis usus in vulneribus conso-

conſolidandis, ac rimis, & maturandis tumoribus, *propter ſal volatile quo locupletiori abundat, ut etiam putredini ſubitò hinc ſubjecta extent ova.*

Oleum verò non prius exprimitur, quam cum leni calore privatum fuerit vitellum, externâ leviter implicata humiditate viſcoſa.

Fit verò oleum ovorum ſimplex:

Si recipias *ovorum* q. l. *bulliant in aqua ad duritiem*, ſeparatis corticibus cum albumine, *vitellum manibus confricatum pone in ſattagine, & coque vertendo & revertendo paulatim cochleari*, donec incipiant ita liqueſcere, ut jam in chylum quaſi æquabilem inſtar pultis vertantur, manente tamen adhuc materia flavi coloris, cumque ita apparuerit, infunde in linteum, idque circumvolvendo optimè extorque, & habebis liquorem ſive oleum flavum cujus uſus varius eſt.

Emendat cutis vitia, cicatricibus præprimis eis ab aduſtione relictis decorem addit, rhagadibus manuum & pedum fiſſuris conducit, nervorum vulneratorum dolores lenit, & *ambuſta ſanat.*

Patet hinc, ovorum vitellum, humorem ſaltem ſemicoctum continere, junctum plurimo ſale volatili Alcalino, quem comitatur multum phlegmatis viſcoſi terreſtris.

Si *ova condiuntur ſale, limo vel cretâ* mixto, & hac mixtura ova *illinuntur*, longo durant tempore, & ſalubrem præbent cibum, hoc enim modò imbibunt Acidum, quod non facerent ſi muriæ ipſæ immitterentur.

CAPUT VII.

Urinæ Analyſis.

URina ex diverſis ſæpè activorum particulis humido ſolutis, & vel tenacius vel leviter ſibi implicatis conſtat, *plus tamen Alcalinæ*

volatiles, quam Acidæ Dominium obtinent, niſi Acidum copioſe obvium ſecum educendo, muriaticum æmulentur, principaliter in hypochondriacis, nephriticis, &c. Plus ideoque ſalis volatilis ſolet ineſſe huic, quam alteri urinæ, tam diætæ quam aliarum circumſtantiarum ratione. Plus enim in ſanorum quam ægrotorum; plus in juvenum quam ſenum; plus in vini potorum quam hydropotorum ineſt ſalis Alcalini volatilis, Acido vel minus vel magis ſaturati, unde vel conſtantia, vel ſubita urinæ corruptio trahit ortum.

Ad haſce ab invicem ſeparandas particulas cultro chymico opus, igne nimirum vel calore, cujus interveniente motu, particulæ ab invicem ſecedere diſponuntur, vel leviſſimo vel fortiori, v. g. Si

Spiritus vel ſal urinæ volatile.

Levi adhibito igne aſcendere debeat: *Collige urinam hominis ſani, juvenis annorum circiter* 30. qui vinum pro ordinario aſſumat potu. Hujus *menſuras* 40. vel 50. *infunde in vas ligneum*, inferius anguſtius ut illuc feces ſubſidant. Vas illud claudatur & ſtet per 4. aut 5. menſes in cella vel loco frigidiori, *quo urina putreſcat*, nec tamen iſto fermentante motu volatilius ſal perdat: quo majorem verò concepit putredinem urina collecta, eo major ſpirituum vel ſalis volatilis quantitas poſtmodum elicietur. Hoc peracto, *urinam deſtilla ex cucurbita ſatis magna & alta*, adhibito capitello, & recipiente magno præpoſito; primo *egredietur ſpiritus*, *poſt phlegma*, quod ſeorſim collige; ſpiritum primo egreſſum reaffunde capiti mortuo, & ex arena viciſſim deſtilla, ſic aſcendet ſal cryſtallinus in alembicum, quem rurſus cum remanentia conjunge & exinde evoca, idque repete 4. aut 5. vicibus: Ultimo fortiorem ſuppeditato ignem, materiamque reverbera ut incandeſcat, exque hac calcinata remanentia cum phlegmate ſeorſim ſervato extrahe ſal fixum, quod repetitis ſolutionibus, filtraturis, &c. pro lubitu optimè purificetur. Atque ita habebis duplex Alcali, volatile & fixum.

Si

Si in hoc acquirendo ſale volatili tantum temporis non inſumere lubeat:

Sume *urinam recentem* q. v. *coque ad dimidias, vel tertiæ ſaltem partis conſumptionem*, inde tunc phiolæ oblongæ, & capitello ſuperpoſito ac adhibito recipiente amplo ex arena deſtilla, ac brevi tempore nactus eris ſpiritum & ſal volatile. Sal fixum ex calcinata remanentia extrahes.

Colligimus quantus ſit *putrefactionis* vel *fermentationis effectus*, per hanc etenim conſtituentes particulæ ſolutæ, ab invicem facilè ſe junguntur, & volatiliores à reliquis ſeſe expedientes, admoto etiam levi calore avolant, ſecus ac in urina recente quæ niſi fortiori igne moveatur, difficulter conſtitutiva deſerit.

Vires ſpiritus & ſalis volatilis in genere ſunt inſignes, *in corrigendo & deſtruendo ſuperfluo Acido, per totam ſanguinis maſſam.* Hinc optimo cum effectu propinatur *Scorbuticis, Hypochondriacis, Arthriticis*, item in *ſuffocatione hyſterica, Epilepſia, ſpaſmo, apoplexia, febribus* tam malignis quam benignis prehenſis, quæ omnia Acido variè corrupto & reſoluto ortum debent.

Externè verò *cum ſpir. vini camphorato* inunctus notabile affert levamen *Podagricis, Arthriticis* &c. *Naribus attractus* mirè confert. *Convulſionibus tentatis, ſuffocationibus & hypochondriacis & uterinis, conflictatis, ac catarrhis ſæpius incommodatis.*

Si ſpiritus urinæ deeſt, locum ejus ſupplet ſal armoniacum; Si enim hujus, & ſalis Tartari ana. p. æq. conjungas, ex tempore emergent ſpicula ſalina volatilia, ejusdem cum ſale urinæ volatili effectus & naturæ; cum enim Acidum ſalis armoniaci cum Alcali Tartari pugnam inſtituit, volatiliores hoc actu liberatæ avolant, naribus recipiendæ.

Optimo item cum emolumento *ſuffimentum hoc applicamus auribus* in tinnitu, dolore, & debilitate auditus, inprimis *ſi ſpiritum urinæ vel ſalis armoniaci, & oleum Tartari per deliq.* guttatim *aquæ liliorum convallium* inſtillando conjungimus, in exiguo anguſti colli vitro, & auri applicamus.

Ex *ſale* hoc *urinæ volatili* & *ſpir. vitrioli* acido, *Hartmannus* deſtillat ſpiritum ſuum Epilepticum, quem in Epilepſia, Mania, &c. admirandæ virtutis eſſe deprædicat; ſucceſſus verò ſpe ſæpiſſimè nos fruſtramur cum hoc modo particulæ volatiles Alcalinæ in muriaticas transmutatæ deprehendantur, *in affectibus dictis exiguæ efficaciæ.*

Ingenioſius alii *Alcali urinæ* commiſcent *ſpir. vini rectificatiſſimum*, poſt concretionem enim in volatilitate perſtat Alcali urinæ inſignium virium. Aſſentientem hiſce habemus *Boyleum hiſtor. fluid. & firm. ſect.* 32. Si capias inquit, *Alcohol vini*, & *Tartar. urinæ* exquiſitè dephlegmatum, eosque in juſta miſceas proportione, poteris ad horæ circiter minutam, duos hoſce fluidos liquores in ſtabile corpus commutare: & fateor non ſine delectatione me conſpexiſſe hos duos liquores agitatos, quamprimum in ſimiltudinem nivis coaleſcere, & talem acquirere conſiſtentiam, ut ſine miſturæ effuſione vas eos continens ſusque deque vertere potuerim. Verum non auſim expectare, ut huic experimento fides adhibeatur, ni ſpiritus exactiſſimè rectificati ſint.

Sunt etiam qui *ſpiritum, ſal volatile, & fixum urinæ conjungunt, & vaſe clauſo ad putrefaciendum vel dirigendum ponunt in B. Vaporoſo per menſes aliquot*, tunc aperto vitro affundunt ſpiritum vini rectificatiſſimum, ut ſolvatur maſſa, fecesque ſeparentur ac cryſtallinum nanciſcantur ſal adhuc volatile.

Alii paulo aliter procedunt ad CRYSTALLISANDUM URINÆ SPIRITUM SIVE SAL v. g.

℞. Urinæ Puerorum vinum bibentium partes ij. Spiritus vini partem unam, immittunt phiolæ capaci, ita ut ſeptima vitri pars repleatur, de hinc hermeticè ſigillatum vitrum fimo committunt, ut ſeptimanis quatuor putreſcat, tum affundunt modicum aceti (vel nullum quod melius) ac loco frigido reponunt, permittuntque ſtare diebus quatuor, ſic magna ſalis volatilis contenti pars cryſtalliſatur. Poſtea liquorem ſupernatantem decantant, cryſtallosque remanentes levi calore ſiccant. Exſiccatis verò affundunt ſpiritus Vini rectificatiſ-

ficatiſſimi q. ſ. atque cryſtalli ſolvuntur ad levem candelæ calorem; ubi vero refrixerint congelantur glacici adinſtar, ſaporem ſpiritus vini æmulantes.

Vires quod attinet, ſunt hæ Diaphoreticæ & Diureticæ inſignes.

Sunt qui Urinæ Spiritum à ſilicibus nigris calcinatis, ter vel quater cohobando deſtillant, atque Tincturam cœruleam adinſtar Saphyri acquirunt, Spiculis Acido Alcalinis Silicis imprægnatam; *ad urinæ ſuppreſſionem, Calcum & alia renum & veſicæ vitia haud vilipendendam.*

Præter modo tradita Urinæ emergentia, ſi quis SAL VOLATILE PHILOSOPHORUM SALI ARMONIACO ANALOGUM deſiderat, ſequentem in modum procedat. v. g.

Recipiat Urinæ recentis ſaltem, quantitatem ſufficientem, non verò ad dimidias ſolum, aut tertiæ ſaltem partis conſumptionem, ſed tam diu decoquat, donec majori humiditatis parte exhalata, remanentia melleam præ ſe ferat conſiſtentiam:

Hanc ſi tum ex cucurbita vel terrea firmiori, aut ferrea, appoſito capitello, præpoſito recipulo majori, & juncturis benè clauſis, convenienti igne adhibito deſtillaverit, acquiret ſpiritus Urinæ partem, ſequente vel & ſimul aſcendente Sale volatili armoniacali philoſophico in magna copia, inſequente demum Oleo admodum fœtido.

Omnibus his jam in tuo recipiente commixtis affunde aquam calidam, quo Sal volatile recipientis lateribus adhæreſcens liqueſcat, ut tum cum reliquis confuſum effundi, & ab oleo ſeparari per chartam queat:

Separato oleo quod reliquum eſt, & chartam tranſivit, Sal volatile videlicet, aquâ ſolutum, immitte phialæ, ac capitello & recipiente adlutatis ex M. B. deſtilla, & aſcendet Sal urinæ armoniacale volatile, pulcherrimum, odorem ſalis. C. C. volatilis exactè referens.

Hæc eſt verior urinæ analyſis, unde inſignia ortum habent medicami-

dicamina, & varia alia curioſa producta; Hacque ratione te nactum eſſe, Philoſophorum Sali armoniaco analogum Sal, ex ſequentibus patebit; Philoſophorum etenim aquilam uti nonnulli vocant hoc mediante conficere docent.

Sume v. g. *Salis hujus armoniacalis philoſophici, ſ. Salis urinæ volatilis, & aceti deſtillati aa. p. æq. paulum digeſta igni vel cinerum vel arenæ committe, ſed leni igne, phlegma abſtrahe, relictæ maſſæ novum aceti deſtillati pondus adde, digere, & deſtilla ut prius, donet videlicet Sal urinæ duplum ſibi junxerit acidi pondus, & parata erit materia pro exaltanda philoſophorum aquila, ut ſalia fixa reſuſcitare & in altum elevare glorioſe queat hoc modo.*

Sume nimirum ſalis tartari ſiccisſimi partem unam, materiæ jam pro aquila exaltanda paratæ partes tres, minutisſimè invicem in mortario marmoreo calido trita, phialæ immitte, & ſublima, ſublimatum capiti mortuo ſ. materiæ in fundo reſiduæ commiſce, rurſusque ſublima, hancque cohobationem repete aliquoties, donec totam ſalis tartari ſubſtantiam aſcendiſſe obſerves, & paratam habes aquilam, quæ tibi inſerviet pro ulteriore volatiliſatione recentis ſalis tartari & quidem ſucceſſivè in infinitum, nec prioris materiæ pro aquila elevanda amplius indigens eris.

Quos hoc volatiliſatum Sal præſtet effectus *Tackenius in ſuo Hippocrate chymico* pap. 73. nos docet vocat eum penetrantiſſimum, & dubitat utrum in natura quid ſit ſubtilius, proptereaque non ſatis laudare poteſt in antiqua oppilatione; *Mindererum* propterea maximè commendans, quod hoc liquore *in obauditione & auditus difficultate uſus, fuerit:*

Cum enim *ſpiritus* hic, inquit, *ſalſus & volatilis eſt*, nec ſudoris conſtitutivis abſimilis, hinc *membranam tympani* propter ſymbolum *leviter pervadere*, ac lubenter item admitti confirmat. Cumque reliqua & vel omnia ſalſa juxta *Galeni* ſententiam incidant, attenuent, diſcutiant, excrementa ſiccent, virtutem colligant, & roborent, ac id in rudi ſalis mole, quid in id efficiet potentius ſpiritus hic ſubtiliſſimus.

Ex

Ex hoc fonte porrò emergit *ſpiritus inſignis antepilepticus*, non tamen illum hic æſtimo quem ex ſpiritu urinæ & ſpiritu vitrioli *Hartmannus* parare docet, ſed hunc, qui *ex ſale volatili urinæ aquâ ſoluto*, ſive ut vocant, ſpiritu urinæ, & *vitriolo entis veneris*, digeſtione longa paratus eſt: hunc altioris eſſe indaginis *Cl. Ettmüller in Commentario Ludoviciano* p. 108. confirmat, hâc ratione, quod *ſpir. urinæ* vol. ſive alcali urinæ, ſub digeſtione *cum vitriolo veneris*, agat in hujus ſulfur, idque rodendo ex parte ſolvat, ut ſic ſpiritus volatilis ſimul ſulfureus acquiratur, qualis aliàs ex miſcela ſpiritus urinæ & vitrioli haberi haud poſſit.

Non tamen vitriolum veneris communi more paratum hic intelligendum putes, ſed illud quod *Helmont* parare docet, mediante Sale armoniaco, quodque capite de cupro indigitavi: Ex hoc etenim cum ſale armoniaco parato vitriolo tum, cum philoſophorum ſale armoniaco volatili, ob analogiam reſurgit fœtus parentibus longe nobilior, & fit vitriolum, ſaphirum ipſum & colore, & figura excellens, emergitque inde medicina magni ſanè momenti.

Patet hinc *quanta in urina hominis lateant arcana*, tanta ſanè quam quæ unquam ex alia re in natura erui poterunt, & ſi rem paulo intimius trutinamus non poſſumus non cum *Starckio* ſentire, qui menſtruum ſive *liquorem alcaheſticum* ex ea elaborari debere, certò ſibi perſuaſum habet, Magni noſtri *Helmontii* commendationibus hujus ſubjecti commotus, quando in ſuo ſex digeſt. tractatu expreſſis verbis effatur: *Sal ſcil. urinæ non habere ſui ſimile in Mundo, nec Sal marinum aut ex fontibus excoctum, aut nitrum, vel lapidum quorumcunque pretioſum Sal, uno verbo nullum plane Sal in rerum natura, quodcunque etiam eſſet, imò nec animantium reliquorum Sal, huic noſtro ſali urinæ aſſimilari aut comparari poſſe*; & quæ ſunt alia hujus ſubjecti hinc inde in ſuis operibus inſignia encomia, quibus commotus *Starckius* certo nobis perſuadere conatur, *Alcaheſticum liquorem* in nulla alia materia quæri debere quam *in Urina Humana*, neque eſſe liquorem alcaheſticum

quid aliud, quam ex Philoſophorum Sale armoniaco elaboratum ſpiritum volatilem ſalſum.

Quid verò ſit illud *Philoſophorum Sal armoniacum*, & quâ methodo id acquirendum, his expreſſis verbis explicat. *Spiritum videlicet ex urina humana admodum acrem, ſubtilem, & penetrantem, conjungi debere cum acido non corroſivo, ſed ſuæ naturæ gratiſſimo, neque alio & à ſuâ natura diverſo fermento, ſed tali quod in centro cum ſe ipſo unum ſit, ac æque volatile, quo ambo ſibi ubique ſimilia, intimam ſubire queant unionem, ut tum repetitis circulationibus, emergat Ens Salium, Salium ſummum & feliciſſimum.*

Quid autem ſit *acidum iſtud non corroſivum & volatile*, *Starckei* vinoſum vocat ſpiritum, quippe qui in centro cum urinæ humanæ ſpiritu conveniat, unumque & idem eſſet.

Huic *Starckei* aſſerto facile applaudere poterunt illi, qui conſiderant quam libenter volatilia volatilibus ſe aſſocient, & hoc illi, & illud huic ſe jungat amiciſſimè: ſaltem nitrum hac in re teſtem ſe ſiſtit: Unde etenim ſummus ejus volatilis ſpiritus, quam ex alcali urinæ volatili, & acido illo volatili aëreo ſulfureo lucido, rudi artificio à natura, combinatis, & amiciſſime conjunctis:

Plurima certe experimenta tibi veritatem demonſtrabunt, alcali & acidum volatilia intimiorem initura eſſe unionem, & tertium inde reſultans longè ſubtilius & penetrantius, atque ſic fœtum parentibus multo nobiliorem inde emerſurum eſſe, quam ſi hoc, aut illud, cum minus volatili vel fixiori combinaveris ſalino.

Sunt quidem nonnulli, qui *Starckium* fallaciæ arguunt, eumque ea, quæ *in ſua pyrotechnia* circa hanc materiam latius pertractat, non ſecundum literam, ſed ænigmaticè intellexiſſe credunt.

Aſt ſi *Helmontii* elogia, multifarias commendationes, laudesque pariter, quam occultatos expreſſos labores, & manuductiones, pauliſper conſideramus, *quibus de Urina & Sale armoniaco* ſcripta ejus hinc inde multum referta reperimus: Imò ſi curioſum illud experimentum, nunc poſt *Helmontii* tempora erutum, phoſphorum

rum scil. ex urina intuemur, vix fallaciam subesse posse inducor ut credam.

Quò verò veritas emergat paulo altius, ipsam *Starckii* mentem *in sua Pyrotechnia* asserta contentam, quam quidam *Joh. Astell* in quodam Germanico tractatulo latius sub nomine **von dem unsterblichen** solvente communicat, perlustremus.

Eousque tandem perveni incipit *Starckei*, ut sperem me magnum illud *circulatum, vel incorruptibile illud solvens Paracelsi & Helmontii*, aperuisse & communicasse, antequam de usu & præstantia, mundo jam satis cognitis, quid ediserui, adeoque eis acquisitionem potius, quam valorem aperui.

Est itaque alcahest Sal spirituale, sive spiritus salsus, qui ob præstantem & transcendentem puritatem, nunquam perverti vel corruptivè annihilari potest, & nisi corpus aliquod, vel materiam offendat tam subtilem ut ipse est, consortium ejus & conjugium respuit, nec ullius fermenti peregrini, extra sui ipsius capax est, neque ideò alterationi totali vel transmutationi subjacet.

Corruptivè annihilari haud posse implicat annihilationem apparentem, dum particulæ liquoris hujus sive spiritus salsi ita à se invicem separari & discontinuari poterunt quidem, ut appareant omninò in nihilum redactæ, sed re ipsa, ipsæ spiritus hujus salsi particulæ discontinuatæ, sunt & manent iidem spiritus salsi, quales erant antequam artis ope discontinuati, & ab invicem separati fuerunt.

Neque transmutationi vel alterationi totali subjacet spiritualis hic liquor: quoquo etenim modo in varias figuras se cogi patitur, manet idem spiritus salsus volatilis, sive liquor spiritualis, qualis fuit ante.

Experimentum confirmare videntur res omnes naturales, quippe *vix in rerum natura invenietur subjectum* (excepto intimo & centrali mercurii corde, ac alia adhuc & unica re, quæ similitudinem & convenientiam inter se habent) *quod ab urinoso spiritu vel in suam naturam, aut plane destrui, vel in aquam elementarem redigi haud queat, eodem semper manente quasi ex lege, viribus suis ne hilum quidem elanguescens.*

Sic omnia metalla & mineralia redigimus vel in ſalia, vel ſpiritus acidos, hi *cum urinoſo ſpiritu* ſive ſale *migrant in ſal armoniacum*, occultatum videlicet ſub Blas Lunari urinæ ſpiritum, ſi vel ſal ſpirituale, & quod larvam hanc haud induit, & in ſal armoniacum ita dictum haud migrat, nec cum eò unum fit, facili negotio vel ſeparatur, aut deſtruitur planè.

Lapides omnes, qui igne hoc gehennæ ſe calcinari haud patiuntur, rediguntur alia encheireſi in ſal, quod denique repetitis circulationibus & cohobationibus cum liquore hoc ſpirituali volatiliſatur partim, vel additione quadam alia in aquam tandem redigitur.

Qui verò lapides calcinari ſe patiuntur, alcali ſuppeditant, quod ſi per olea eſſentialia volatiliſatur, juncta cum ſpiritu vini rectificato, tunc per urinoſum ſpiritum ſimul coagulantur, hocque ſubtile coagulum tum per conveniens acidum in ſal corporale ſublimatur, quod verò cum eis cohærere ac intimè ſe miſcere haud cupit, ſeparatur, & methodo facili in aquam redigitur.

Animalia omnia cum carne, ſanguine, & oſſibus, ſuppeditant ſulfur unctuoſum, & ſal urinoſum; vel mediante deſtillatione, immediata, aut prævia putrefactione, vel fermentatione: Relinquuntque caput mortuum, quod cum ſale hoc circulato cohobatum, in Sal purum migrat, hoc verò in aquam.

Urinæ Sal poſtquam rectificatione purificatum exiſtit, & propria ſua aciditate aliqualiter fixum & ſtabile corpus nactum fuit, fit Sal armoniacum *Unctuoſum* deſtillatione volatiliſatur, & mediante alcali eo devenit, ut ſe patiatur combinari cum ſpiritu vini, ut tunc capax fiat coagulari cum urinoſo ſpiritu, propriaque aciditate inde emergat Sal armoniacum.

Omnium creaturarum urina, dum ſpiritum ſuppeditat, mediante acido in corpus faceſſit ſalinum, & ſi tum cum aliis ſublimetur, fit Sal armoniacum, quod verò non adhæret intimè, & non concoagulatur, hoc ſeparatur & deſtruitur facile.

Cornua, Ungulæ, Oleum, & Sal urinoſum volatile præbent, & in

Sal

Sal armoniacum, ſicuti de carne, ſanguine, &c. dictum, migrant.

Vegetabilia omnia dum cremantur, exhibent liquorem alcalinum, mercurialem, vel fixum, ſulfur volatile, & Sal urinoſum volatile in fuligine.

Aromata quædam, *Flores, ſemina, radices, herbæ & ſimilia*, ſuppeditant olea; hæc mediantibus alcalibus & ſpiritu vini commixta, per ſpiritus urinoſos intimæ coagulationis capacia fiunt, quod verò ſubter hoc jugum ſe trahi haud patitur, tanquam heterogeneum ſeparatur, & in aquam redigitur.

Omnia acida mediantibus ſpiritibus urinoſis partim vel in Sal armoniacum migrant, vel deſtruuntur.

Uno verbo quicquid in mundo eſt (excepto centrali mercurii corde) *vel fixatum eſt, vel volatile.* Fixum vel eſt ſalinum, aut non: Quod non eſt ſalinum eo adigitur, & ambo arte & labore fiunt volatilia, & poſtquam ſunt volatilia, & poſtquam ſunt volatilia, facile in aquam reducibilia exiſtunt, ſeminali craſi orbatam.

Alcalia fixata volatiliſantur, ſi cum ſpiritibus vinoſis uniuntur, & maritantur, & tunc apta redduntur mediantibus ſpiritibus urinoſis coagulari.

Spiritus quilibet tandem vinoſus, ex quovis etiam ſubjecto vegetabili, fermentatione mediante factus, & optimè dephlegmatus, in urinæ ſpiritu coagulabilis exiſtit, qui tunc poſtquam in Sal armoniacum fixatus eſt, cum ſpiritu urinæ homogeneè eſt unum & idem.

Quemadmodum verò omne illud quod (ex quovis etiam ſit regno, vel minerali vegetabili, aut animali) in ſalis armoniaci formam, & in naturam ſpiritus urinæ receptum eſt, idem Blas Lunare ſibi vindicat, & hujus larvam induit, ſi hoc rurſus absque virium deperditione, cum urinæ ſpiritu exinde revificari poteſt, & denuò ſuppeditare ſpiritum coagulantem, qui ſicut ab initio fecit, recentem vini ſpiritum coagulabit, inque ſuam naturam transformabit, & hoc in infinitum.

Hæc jam eſt Univerſalitas naturæ admiranda, cujus ſuſtentaculum urinæ ſpiritus miniſtrat; in quo nimirum ſalis iſtius primigenii particulæ, omninò explicatæ, copioſiſſimè latitant, cujus beneficio tam coagulantur, quam diſſolvuntur omnia corpora naturalia.

Aliter verò ſe habent ſolutiones aliis factæ menſtruis, ibi etenim diſſolvenda corpora, cum ſolvente intimè nunquam combinari poſſunt: neque ideo talis ſolutio (etſi corrodi conſpiciantur corpora) pro vera, & intima ſolutione æſtimanda eſt: *quilibet* etenim *ſpiritus acidus corroſivus, corrodendo quoddam corpus ipſe coagulatur, & figitur quodammodo*, inque ſalinam transmutatur formam, non ac ſi corpus ſolvendum huc quid contribuat (absque alteratione hoc etenim patitur in ſe ſpiritus corroſivi actionem) ſed ipſe corroſivus ſpiritus, propria ſuâ culpa & corroſiva activitate coagulatur.

Aliter longe ſe res habet cum ſpiritu noſtro ſalſo, ſive *Philoſophorum Sale armoniaco*, in hoc namque deliteſcit influentia iſta Lunaris, ſive Blas Lunare, principaliſſimum illud inſtrumentum, res quascunque in prima ſua primordia reducendi, vel in ſuam naturam cogendi.

Videtur verò coagulatio talis irregularis planè & anomala, dum ſpiritus ſubtilis, ſubtiles ſimiliter ſpiritus coagulat, imprimis autem vinoſos, vel à vino ortos: Eo ipſo autem dum coagulat, & in ſuam naturam vertit acidum non corroſivum, deſtruit ſimul iſtud, quod eſt corroſivum in acido, & in aquam inſipidam hoc vertit.

Dum enim corroſivus ſpiritus acidus, corrodente ſuâ ſpirituoſa vi hunc volatiſſimum deſtruere nititur ſpiritum, hic pro ſua meliori defenſione corporis coagulati formam aſſumit, & ſub hâc ſe occultat ſaltem, integris viribus denique emerſurus (non aliter uti aqua quæ frigori reſiſtendo ſe ipſam vi ſuâ innata in glaciem vertit, & hâc quaſi cortice ſe munit, ubi aliâs à frigore in gas deſtrueretur) ac ita *volatilis noſter ac penetrans urinoſus ſpiritus, ſub larva quaſi ludit*, vel ſub forma aliqualiter fixati, re ipſa verò adhuc volatiliſſimi corporis, ſalis armoniaci videlicet.

Coagu-

Coagulationem verò hanc, & larvatam fixationem, cum omnimoda urinosi acris odoris retentione, à se ipso esse, & non ab acido spiritu effectivè, inde clarum est, quoniam à quovis acido, vel fixo vel volatili, eandem salis armoniaci formam spiritus noster volatilissimus assumit.

Tandem si urinæ noster spiritus coagularetur ab acido passivè, in aliam rem transmutatus esse planè deberet, quod verò haud fit: sed spiritus hic volatilissimus manet idem identicè & numericè qui ante coagulationem erat, & sub larva saltem corporis magis fixati delitescit, non aliter ut supra modò dictum, uti aqua, quæ etsi sub forma vitrea, sive glaciei delitescit, re ipsa attamen nil est nisi eadem aqua, quæ ante erat.

Hanc *veritatem manifestabit additum salis tartari*, vel alterius cujusdam alcali lixivium, *tali etenim adjecto, in momento separabitur destillando idem urinæ spiritus*, eodem pondere & qualitate, iisdemque formalibus proprietatibus, quibus antea gaudebat: Propriumque rursus & subtilem odorem fœtidum, & volatilitatem nactus, spiritum vini tam cito coagulabit, ac si nunquam coagulatus antea, vel larvatus fuisset.

Denique si coagulatio spiritus urinosi, sive semifixatio, dependeret à spiritibus corrosivis activè, Tum illi quia ignei quasi sunt, & in sua actione furiosa aliàs penetrantem, igneum calorem opponunt, in hunc urinosum simul igneum spiritum realiter Lunare aliquod Blas, quale in Sale armoniaco observatur, imprimere haud possent.

Nam prout *Sal armoniacum ipsum naturâ calidum est, & re ipsa, occultatum tamen igneum urinæ spiritum continet*, cujus unica guttula linguæ & labiis applicata vesicas excitare valet, tam subito ac si penetrantissimum actuale cauterium applicueris; idemque spiritus si rectificaretur & penetrantissimus fieret, adeò volatilis deprehensurus esset, (quod signum caloris ignei) ut vix quovis vase coërceri, & retineri posset, quocunque modò id etiam obturaretur: prætereaque penetrans adeò suo odore, ut neque homi-

nis

nis aut alterius animalis organa illum perferre diu poſſint, quin ſyncopen incurrant: Tamen mirificè adeò & penetranter operatur per Blas aliquod Lunare, ut ſi Sal armoniacum vitro immittas, & aquam affundas, ſubitò tale inſigne excitabitur frigus, ut aquam etiam, ſi vitrum ei imponeretur, vel huic aſperſa ſit, in glaciem ire faciat.

Nec Blas hoc Lunare unquam à Sale armoniaco ſeparari poterit, quam diu corporis Salini formam retinet, etſi cum igneis etiam ſubjectis ſublimaretur toties

Hinc obiter jam notandum quid *Frigus* ſit, videlicet *non eſſe illud caloris privationem, ſed ſubſtantiam poſitivam & realem*, quæ in momento irradiantis Blas, & humectati ſalis armoniaci, per vitri impenetrabiles parietes, glaciem & ſummum frigus producit, quod tamen momento ante non aderat.

Non ergò poteſt eſſe Blas hoc ab acido igneo & corroſivo ſpiritu, urinæ ſpiritui impreſſo, ſed eſt Blas hoc res quædam, propria ſpiritus urinæ activitate producta, ad quam producendam, à corroſivo acido ſpiritu ſollicitata, & coacta fuit, ne deſtructionem aut annihilationem incurreret, non aliter ac aqua, quæ ne ſuæ formæ deſtructionem pateretur à frigore intenſiſſimo, cortice quaſi ſe munit, & corporis coagulati figuram aſſumit.

Planè ergò ſingulare hujus ſpiritus privilegium Altiſſimus ei conceſſit, quo Lunare frigidiſſimum Blas ſibi rapit, & unit, tam ſubito quam humidi quid ei accedit.

Atque hæc eſt formalis Salis armoniaci origo, dum nimirum ſubtiliſſimus & penetrantiſſimus urinæ ſpiritus, cum acido quodam corroſivo concurrit, tunc hoc cum impetu illum deſtruere nititur, illam verò deſtructionem ut evitet ſpiritus urinoſus, corporis larvam aſſumit liberrima coagulatione, hancque furioſæ ſpirituoſæ aciditati opponit: huic verò larvato corpori, ſive ſali armoniaco, ſe jungit Lunare Blas, inque eo habitat inviſibiliter, viſibiliter verò operatur.

Non verò particulariter ſoli ſali armoniaco ſive urinæ ſpiritui ſe jungit

jungit dictum Lunare Blas, ſed univerſim omnibus compoſitis Lunari influxu imprimis videtur, ad temperandas vel reſtinguendas igneas corroſivas quasque concreti particulas, dummodo urinoſæ ſimul præſto ſint & ubi tales modò ſe jungunt, Lunare frigidum Blas in ſui converſationem adſciſcunt.

Urinoſa verò ſpicula & ſubtiliſſimi ſpiritus hoc maritata, omnia alia quæ ſunt de natura acidi vel in ſuam naturam transmutare, vel quod ſubter hoc jugum ſe trahi haud patitur, deſtruere, & in aliud plane ens vertere nituntur, & hâc ratione omnes acidi ſpiritus & corroſivi, in aquam elementarem potiſſima parte verti poſſunt.

Cum verò valdè differant non acidi modo ſpiritus, ſive acida quæcunque, ſed & urinæ ſpiritus ratione animalium, in quibus naturali quâdam deſtillatione ex cibis & potu deſtillantur, hinc admodum item inter ſe differre Sal armoniacum hoc ab alio, credibile facile erit. *Diſtinguimus* ergo *Sal armoniacum commune, ab illo Philoſophorum.*

Commune ex acido quovis corroſivo, & urina cujusvis animalis conſtrui poteſt.

Philoſophorum verò *nonniſi ex urina humana, & acido vinoſo ſpirituoſo*, ſive vini ſpiritu, ſicuti *Helmont* manifeſtare videtur in ſuo elogio, quod de coagulo ſpiritus urinæ cum ſpiritu vini habet: Hoc, nimirum coagulum, inquit fieri non per ſimplicem partium mixtionem, ſed per intimam copulam.

Spiritus nimirum vini ab urinæ ſpiritu re ipſa coagulatur, & ipſe ſimul concoagulatur, atque adeò hæc inſeparabiliter unita, novum productum, ſubtile videlicet corpus præbent, à ſuis parentibus maximè diverſum: Secus ac fit in ſale armoniaco communi, ubi urinæ ſpiritus, ante, in, & poſt coagulationem, eſt & manet idem urinæ ſpiritus, qui erat ante, nec cum acido corroſivo iniit copulam intimam, ſed larvam quaſi aſſumpſit, ut ſe deſtructioni, quam acidum corroſivum minabatur, eriperet.

In noſtro verò hoc Philoſophorum ſale armoniaco, ambo ingredientia intima ineunt copulam, quoniam vinoſus ſpiritus in

centro cum urinæ ſpiritu idem eſt, protereaque amice in ſe agunt, & ſe invicem coagulant, & generant corpus planè ſpirituale, ſibi ubique ſimile & homogeneum.

Primarium ergò objectum quod à ſpiritu urinæ humanæ ſe intimè coagulari patitur, eſt influentia vinoſi cujusdam ſpiritus, absque quâ urinæ ſpiritui intima & centralis coagulatio accidere haud poteſt.

Atque hæc eſt præterpropter *Starckei* mens, quam pluribus expreſſit in ſua pyrotechnia aſſerta, circa liquorem alcaheſticum.

Sanè ſi rem paulo altius trutinamus, obſervamus certò univerſalitatem dictam in urinoſo ſpiritu, præprimis eo humano, nil etenim in rerum natura eſſe, excepto centrali mercurii corde, & unica adhuc alia re, quod ab illo vel in ſuam naturam, vel in aquam elementarem transmutari vel deſtrui, aut annihilari haud queat, ſupra experimentis breviter indigitatum reperies.

Et cum experimenta ipſa nobis ob oculum ponant veritatem, cur ænigmaticè intelligenda eſſe *Starckei* verba, nobis perſuaderi patiamur.

Interea tamen etſi jam ex præmiſſis materia liquoris alcaheſt ſatis innotuit, manebit attamen ejus elaboratio & acquiſitio difficilis, nec omnibus ſtatim, etſi via ſit patefacta, licebit adire corynthum.

Quantas verò vires non Philoſophorum Sal armoniacum modo, ſed & ex eo exaltatus liquor alcaheſt contineant, commune ſaltem Sal armoniacum, & vulgaris urinæ ſpiritus exinde paratus, obiter teſtari poterunt.

Quo propius verò ad Sal armoniacum Philoſophorum accedit Sal armoniacum aliquod commune, eo majores vires continere probabile multum erit.

Tale vero *eſſe ſupra dictum Sal urinæ volatile*, ex ingredientibus propriis patet: ſpiritus etenim ſubtiliſſimus, ex proprio acido in oleo & ſale fixo contento, adeoque ex propria familia ſibi corpus forma-

formavit, & factum fuit Sal armoniacum, Philosophorum non multum absimile.

Cum ergò Sal armoniacum commune, tanquam insigne stomachicum hodiernis Medicis celebretur, quidni multo magis hoc nostrum Sal armoniacum longè illud quoad volatilitatem, & ingredientium puritatem antecellens, lucis immediatum habitaculum.

ESSENTIA STOMACHICA THOMSONI.

Non ergò *Thomson* immerito & præter rationem Sal armoniacum hoc Philosophorum, *sub Essentiæ stomachicæ titulo describit*: Est enim potens stomachicum, omnium digestionum & ventriculorum vigorem instaurans, & conservans.

Processus ejus obscuris verbis in suis epilogismis chymicis traditus hic est.

Recipe, inquit, Materiæ fluidæ, à microcosmo sequestratæ ac putrefactæ, q. s. octies, nonies vel decies destilletur, pro rei exigentia: singulis destillationis vicibus admisceantur particulas volatiles corrigentia, & mundificantia: Hunc spiritum probè defœcatum per digestionem, mensis circiter spatio, symbolicis congruisque ulterius clarifica, donec summam puritatem adeptus sit: Deinde fac ut semel, bis vel ter subtiliores atomi lento igne ascendant. Huic liquori illibato, indesinenter alta petenti, adjiciatur salis volatilis tartari legitimè parati portio, ac semel iterum calore quo possibili mansueto eliciatur spiritus, ad omnia paratus, æthereæ indolis, qui cum vitalibus nostris intimam & affinitatem, & concordiam tenet.

Hanc esse obscuram tamen *Starckei* liquoris alcahestici descriptionem firmiter mihi persuadeo, sed plurima verba à *Thomsone* ad occultandum opus superflue adjecta esse *Starckei* confirmare mihi videtur, hic namque requirit saltem spiritum urinæ humanæ rectificatissimum, qualem idem hic processus innuere videtur, loco volatilis salis tartari verò spiritum vini itidem rectificatissimum

ponit, tanquam fundamenta, baſes, & ingredientia liquoris Alcaheſtici.

Vires præſtantes multum deſcribit dictus *Thomſon in ſuis epilogiſmis* p. 80. Eſſentia noſtra Stomachica inquit *corroborat, fermenta invigorat, ſpiritus refocillat, lienis vitia corrigit, flatus diſcutit, gas ſylveſtre compeſcit cicuratque, laticis acorem, ſuccos degeneres urentes mulcet.*

Partes ejus ſubtiliſſimæ vaſa pertinaciter tranſeunt unà cum ſanguine circumrotatæ, quem à ſordibus liberant.

Poros cutaneos recludit, ut plurimæ exhalationes nocuæ proſcribantur, ſic evadit diaphoreticum elegans.

Solatur renes urinam provocans, arenæ geneſin prohibens, genitam verò diſturbans, dyſuriam ſtranguriamve mitigat.

Dolori colico utque torminibus opitulatur.

Cardiacum præbet eximium, nec non alexipharmacum.

Antiſcorbuticum eſt præſtantiſſimum, acidum ejus malignum retundens.

Antipyreton miniſtrat ſingulare, febrium male moratam indolem, ipſamque peſtem aliquatenus ſubjugans.

Affectionem hyſtericam, uteri ſuffocationem, furorem & indignationem compeſcit, *Fluoremque album corrigit.*

Hypochondriacas vexationes placat, *Cachexiæ*, *Hidropi*, *arthritidi* &c. medetur: cerebrum, membranas, memoriam, cunctosque ſenſus refocillat.

Externè facultatem obtinet *anodynam*, *antiodontalgicam*, nec graviſſimos ſolum dentium dolores ſedat, ſed & à carie eos ſoſpitat: & quæ ſunt plures à Thomſone decantatæ laudes.

Doſis eſt à 20. ad 60. guttas, in quovis liquore, vino, cereviſia &c. quavis noctis vel diei hora, quando morbus urget.

Qui hucusque ad tam nobilis menſtrui fabricam appulerit, pergit *Thomſon*, prompte deinceps, ſi *Helmontii* Sophiam mediocriter intelligit, ad ultimam ſuæ intentionis metam absque ductore progredietur.

Lucu-

Luculentiſſimè ex his patet, hanc *Thomſoni* Eſſentiam ſtomachicam, quam hic menſtruum nobile vocat, cum *Starckei* alcaheſt unum eſſe & idem.

Qui propterea tam nobilis remedii poſſeſſionem anhelat, ſupra indigitatam methodum eſt *Starckei* mente ſibi commendatam habeat.

Qui verò prima ſtatim fronte ad tam nobilis remedii confectionem haud poterit penetrare, ob manuductionis expreſſæ defectum, is parabilioribus paulo acquieſcat, & ſupra deſcriptam philoſophorum ut vocavi aquilam, vel item *Sal urinæ volatile*, ſalis armoniaci philoſophici ſuccedaneum, quale ſupra docui, morbis ſupra à *Thomſone* recenſitis opponat, & effectum obſervabit non vilipendendum.

Sic in *Febribus*, præprimis quartana, mihi ſolet eſſe in uſu hâc vel ſimili formula. v. g.

℞. *Salis urin. volat.* ℈ß.
Unicorn. foſſil.
Oſſis ſæpiæ aa. gr. viij.
myrrhæ gr. v.
theriac. cæleſt. gr. j.
ol. garyophyllor. gtt. ij. mſ. pro doſi.

Vel ℞. *Chin. de chin.* p. ℈ij.
Salis urin. volat. ℈ß.
theriac. cæleſt. gr. j. mſ.

Vel ℞. *Theriac. opt.* ℈ij.
conchar. p. ℈j.
Salis urin. volat. ℈ß.
ol. garyophyll. gtt. j. mſ.

In Affectibus calculoſis.

Vel ℞. *Nitri præparati* ℈j.
Salis urin. volat. ℈ß. mſ. pro doſi.

Vel ℞. *Ocul.* ♋. ℈j.
Salis urin. vol. ℈ß.
Eſſent. ſuccini meæ. gtt. xv.
Træ anodyn. gtt. vj.
Aq. veron. eſſentif. q. ſ. pro vehiculo, & mſ. pro doſi.

In Hydrope loco diuretici & diaphoretici.

℞. *Antimon. diaph. non edulcorati* ℈j.
Salis urinæ volat. ℈ß. mſ. pro doſi.

In Affectibus hypochondr. hyſtericis & ſimilibus flatulentis.

℞. *C. C. philoſoph. calcinat.*
Unicorn. foſſilis aa. ℈ß.
ſalis urin. vol.
caſtorei aa. gr. vj.
cinnab. ♂. gr. iij.
laud. opiat. gr. j.
ol. ſuccini. gtt ij. mſ. pro doſi.

Vel ℞. *Caſtorei part.* iiij.
Sal urin. volat p. j.

tritis affundo ſpiritus vini rectificatiſſ. q. ſ. ut fiat Eſſentia, quam guttatim cum vehiculo conveniente propino.

Has vel ſimiles formulas, mediante ſale urinæ volatili, cujus elaborationem ſuperius docui, ſæpius concinno, nec fruſtraneo cum effectu, unde ſæpius concludo, quod, cum hoc urinæ volatile Sal, ſive rude ſalis armoniaci philoſophici ſuccedaneum tantos præſtet effectus, multo potentiores vel nobiliores exhibiturum ſit in ſalſum ſpiritum volatiliſſimum, ſive Sal ſpirituale redactum hoc noſtrum Sal urinæ volatile.

Exhibui quandoque item non absque effectu *in convulſivis*, & *hypochondriacis, colicisque affectibus ſpiritum ſalis armoniaci ſive urinæ reſuſcitatum*, ſed cum in orgaſmo ſive turgeſcentia flatulenta, ſpiritus flatulentos peregrinos jam expanſos attenuet, & ad majorem expanſio-

expansionem urgeat, agitationemque propterea, & effervescentiam magis intendere quandoque mihi observare contigerit, nunc cautius agendo notavi, Sal illud urinæ, proprio suo acido fixius quodammodo sibi corpus fabricatum circumferens, securius in affectibus dictis flatulentis effectus suos præstare:

Cautelam ergò hanc *Practicis junioribus*, quibus spiritus salis armoniaci multo est in usu, hic in proximi commodum communicare debui, videlicet *ut probe distinguant, num affectus, cui dictum salis armoniaci spiritum opponunt, flatibus originem potissimam debeant*, tum enim cautius agant, ne flatus subtiles magis subtiliando & expandendo, malum potius augeant, quam minuant: hæc obiter.

DE PHOSPHORO.

Revertamur ad propositam nostram *urinam*, in hâc delitescere *magnale aliquod* magnum, & multo plus quam hactenus à tam vili subjecto creditum fuit, præmissa non docebunt tantum, sed & nunc dicenda testabunt luculentissimè: Quid etenim quæsò concludis ex nupero curioso invento *Phosphoro*, seu *Boylei Noctiluca?* ego sanè non satis mitari possum curiosum hoc urinæ productum, Lunaris Lucis verum quasi succedaneum: nec dubito, quin Lampada perpetua, priscis seculis cognita, & nostris adhuc temporibus hinc inde reperta, ex hoc fundamento rursus sint quasi resurrectura.

Quò verò curiosis elaborationem insignis hujus inventi faciliorem reddamus, lubet ejus fabricationem hic paulisper pertractare.

Erat ante annos non multos magnus de phosphoris rumor, quilibet jactabat possessionem curiosi hujus inventi, sed possidentes gaudebant, nec mundo communicationem concedebant, donec Nobilissimus *incomparabilis Boyle* paucis ante annis in singulari quodam tractatulo, sub nomine die lufftige noctiluca oder neue phœnomena, allerhand phosphoros zu machen / processum expresse communicaret hâc circumscriptione.

„ *Recipiebatur inquit satis magna urinæ quantitas, hæc partim* “
longo tempore steterat in digestione, & putrefactione: ab hac abstra- “
hebatur

„ *hebatur moderato calore omne quod aquoſum erat, donec tandem re-*
„ *manentia in mellis vel ſyrupi aut extracti liquidioris forma reſtaret:*
„ *Hæc cum tribus præterpropter arenæ albæ partibus commixta, retor-*
„ *tæ forti immittebatur, recipuloque capaci (cui aquæ quantitas inerat)*
„ *appoſito, junctturisque curiosè & exactiſſimè clauſis, furno venti &*
„ *igni aperto concredebatur: & tum ignis per 5. vel 6. horas gradatim,*
„ *donec omne quod inerat phlegma & Sal volatile expulſum obſervaba-*
„ *tur, poſtea per 5. 6. horas adeò fortiter intendebatur, quantum fornax*
„ *ferendo erat: Fortiſſimo hoc igne egrediebantur primo nebulæ, quem-*
„ *admodum ſpiritus vitrioli aſcendere videtur, his transgreſſis egredie-*
„ *batur alia quædam ſpecies ſubcærulea, lucis vel ſulfuris ardentis inſtar,*
„ *& denique cum maximè fortis eſſet ignis aſcendebat alia materia priore*
„ *ponderoſior, quæ per aquam ad fundum recipuli cadebat. Omnibus*
„ *tandem refrigeratis apparebat expectata Luminoſa maſſa.*

Proceſſus hic & phoſphori fabricatio, etſi clarè admodum & apertè communicata eſſe videatur, difficultatibus tamen maximis implicatam eſſe, ipſe teſtatur *Boyle*, ſe ipſum etenim, licet manuductionibus ritè cognitis & adhibitis rem aggreſſus fuiſſet, in caſſum aliquoties laboraſſe, mox vaſorum, mox circumſtantiarum aliarum cauſa, refert.

Videtur verò rem longè tutius aggredi poſſe, ſi, quæ ſunt principaliora, Phoſphori conſtitutiva exactius paulo examinemus, Sal videlicet urinæ fixum, & oleum fœtidum, uti ipſe *Boyle* teſtatur.

Hæc namque ſi ſeorſim prius ſeparata ſingulari methodo combinarentur, facili methodo & minori cum detrimento vaſorum, inde Phoſphorum elici poſſe, credibile facile erit, nec deſunt aliæ quæ hoc mihi confirmant experimenta: edidit namque quidam *Theolog. Doct. & Math. Prof. Comierius* nomine, *Pariſiis* aliam Phoſphori conſtruendi methodum, in ſingulari de Phoſphoris & eorum ſecreta confectione tractatu, his verbis.

„ *Ubi bonam urinæ quantitatem, parum fermentatam evaporare*
„ *ad mellis conſiſtentiam feceris, immittas eam in terream retortam,*
„ *(vitream firmiorem fore crederem) & extrahes inde lento igne quic-*

quid

„ *quid reliquùm est de phlegmati videlicet, & spiritu vel sale volati-*
„ *li, usque dum guttis rubentibus Oleum destillare incipiat, quod illicò*
„ *applicato recipiente alio colligendum est.*

„ *Augeatur verò tum aliquandiu ignis, ut quicquid inest Olei*
„ *exeat, & invenies in fundo caput mortuum, cujus superior pars*
„ *nigra erit & spongiosa: eam adde alteri prorsus simili materiæ,*
„ *quæ in alio vase remanebit, postquam leni igne separaveris omne hu-*
„ *midum ab urinoso oleo quod erat in retorta.*

„ *Ex hâc duplicis materiæ mixtura tolles* ℔. j. *medicam, eamque*
„ *injicies in retortam fictilem, septem libras aquæ continentem, &*
„ *applicabis recipiens magnum, lutoque probè munitis juncturis, de-*
„ *stilla igne aperto, gradatim eum intendendo, donec retorta rubescat,*
„ *quo viso, ignis augendus est per* 9. *vel* 10. *horas, ac tunc prodibunt*
„ *in vas recipiens nubeculæ albæ, quas sequetur materia subflava,*
„ *quæ sublimata formabit phosphorum ad interiora colli & latera reci-*
„ *pientis.*

„ Is altero mane inde poterit auferri, si vas recipiens aquâ fri-
„ gida lavatum fuit, tum totam massam in vase vitreo igni leniſſi-
„ mo impones, & emerget ex aqua materia oleosa, & congrega-
„ buntur minutæ phosphori partes.

„ *Omnibus refrigeratis collige massam phosphori*, & immitte
„ eam in lagenam vitream, *quæ aquâ communi implenda*, & exactè
„ obturamento vitreo, vel alio subereo & vesica claudenda
„ est.

Ex variata hac phosphori fabricatione facile quis fundamentum penetrabit.

Discordes sunt processus, & attamen quilibet expectato gaudet phosphoro, ille arenam ad impediendum in igne fluxum commiscet urinosæ sapæ, hic eandem omittit, certo signo, principaliora Phosphori constitutiva, & oleo fœtido, & sali fixo originem debere, & idem esse an addatur vel omittatur arena pro intermedio quodam, ad fluxum inhibendum, dummodo propria terra capitis mortui, vicem intermedii suppleat.

Atque hoc eſt præclarum & curioſum hujus ſeculi inventum, è cujus fundamento *priſcum* illud *Urnarum* per plurima ſecula *ardentium* opus, erui rurſus poſſe, firmiter mihi perſuadeo, præprimis cum ex ſanguine etiam phoſphorum cònſtrui poſſe, quorundam experimenta confirment.

Sanè hi ex univerſalitate naturæ enati phoſphori, quanto abſtruſiores ſunt cum ſuis phœnomenis, tanto propius ad increatam Lucem, ceu creati univerſi centrum, in quo latet numerus, menſura, & pondus accedere videntur. Eosque cum mundi vita eſſe extractum quoddam à naturæ luce, & cœleſti ſulfure concentratis, materiæque æthereæ iisque primi elementi particulis inhærentes, ſecretioris philoſophiæ alumnis non videbitur abſurdum, iis præprimis qui excitatiore & altius repetita mentis indagine in operationes & effectus naturæ paulo intimius introſpicere ſolent.

Obſervamus facillime ex prædictis phoſphoris, magnâ lucis copiâ dotatum eſſe hominem, cum enim ratiocinatio lucis potiſſima ſit ſoboles, hinc videmus neceſſariam amborum concatenationem, neque enim ratio absque luce, & ubi multum lucis, ibi rationis multum ſubeſſe poſſe, concludentum erit, modo organa ſint convenienter conſtituta, & lucis motui accommodata.

Pro complemento & priorum proceſſuum majorem dilucidationem, adponam methodum *Lemerti* ubi in nona editione ſuæ chymiæ, ſequens communicatur.

PHOSPHORUM conficiendi modus.

Recipiatur bona quantitas urinæ recentis, quæ emiſſa fuit ab hominibus cereviſiam pro ordinario potu bibentibus, evaporetur humiditas, in vaſe terreo leni igne, usque conſiſtentiam mellis vel extracti liquidioris nanciſcatur. Tum maſſa hæc in vaſe terreo, cellæ concredatur benè clauſa, atque relinquatur inibi ad fermentandum tribus vel quatuor menſibus.

Hoc facto & peracto recipias materiæ hujus fermentatæ libras duas,

hanc

hanc commiſceas cum arenæ libris quatuor; mixturam immittas retortæ vitreæ, & adpoſito recipiente magno longiori collo prædito, ac probè lutatis commiſſuris, primo adhibito ignem lenem per duas horas, ut ſenſim incaleſcant omnia, & ſpiritus urinæ prodeat; Poſtea augeto ignem, ut ſal volatile cum oleo fœtido egrediatur. Peracto hoc ignem intende, ſummis viribus, ſic tranſibunt nubeculæ albæ, quæ ſenſim lateribus recipientis adhærebunt inſtar cuticulæ flaveſcentis, pars verò ad fundum ſedebit in forma pulveris.

Tribus horis ita ſummo igne peractis, quando nil amplius prodire conſpicitur deſiſte, & ſic refrigeratis omnibus, ac delutato recipienti aquam infunde, & probe agita, ut id quod recipientis lateribus adpoſitum fuit ſolvatur. Facto hoc effunde omnia in vas vitreum magnum, & quieſcere permitte, ſic ſal volatile ſolvetur ab aqua, materiæ verò phoſphori cum oleo fundum petet. Tunc verò decantes aquam; materiam autem commixtam vitro rurſus immittas, affuſa pauca aqua, ac calore arenæ imponas, adhibito digeſtionis igne, & mediante ſpatula lignea diligenter agitata, materia phoſphori, ſeparabitur ab oleo, & fundum petet, ex qua dum adhùc calet, formato baculos parvos, quos vitro parvo, aqua repleto immittas atque aſſerves.

Si liquidum velis hunc Phoſphorum, recipe partem aliquam hujus phoſphori quam contunde, atque phiolæ immiſſæ, affunde Eſſentiam caryophyllorum ad digiti eminentiam, tum verò in fimo equino relinque mixturam quæ tamen ſæpius agitetur, ut diſſolutio eo promtius peragatur; tandem aſſervetur liquidus hic phoſphorus.

1. Circa Proceſſum hunc obſervari vult Author ut ſumatur Urina admodum recens, quò ſaltem phlegma evaporetur, omne verò Sal volatile cum oleo remaneat.

2. Et ſi inter evaporandum, materia ora vaſis transgredi vellet, hoc omni cura impediatur ne levior Phoſphori materia perdatur.

3. Si materia ad mellis formam inſpiſſata eſt, tum cellæ im-

mittatur, in vaſe minime clauſo, ſed aperto, ut conceſſo longo tempore, fermentatio peragatur.

4. Antequam verò recipiens retortæ, adlutatur, immittatur prius aliquid aquæ, ut ſic materia phoſphori condenſetur & extinguatur.

5. Ab initio omninò moderatus adhibeatur ignis, ne maſſa in recipiens transgrediatur & attollatur; id quod in fine haud amplius metuendum, dum maſſa exiccata extat;

6. Vaſa etiam aperiantur demum vaſis omninò refrigeratis, ne ſi adhuc calida eſt maſſa, admiſſo aëre phoſphorus accendatur. Olei magna pars rareſcendo in phoſphorum migrat.

7. Obſervatum etiam eſt urinam vinum bibentium non admodum conducere ad conficiendum phoſphorum, quoniam nimis eſt volatilis & ſpirituoſa; *optimam verò ad hoc opus eſſe urinam cerevisiam bibentium*; unde & in *Anglia* vel illis in locis melius conficitur phoſphorus, quam aliis in locis ubi continuò vinum bibitur.

8. Phoſphorus liquidus plus luminis ſpargit quam compactus; ſi enim vitrum aperitur, in tenebris, omninò ignitus apparet.

9. Loco Eſſentiæ caryophyllorum, poteſt addi oleum cinamomi; unde plus luminis de ſe ſpargit phoſphorus, ſed minus durabilis erit.

10. Sic & ſpiritus therebinthinæ Phoſphorum omnino diſſolvit, & quidem citius quam alia olea, ubi tamen inter diſſolvendum aliqualis ebullitio ſentitur, pro ſigno acidum aliquod ſubtile ſive volatile ſubtili Oleo therebintinæ ineſſe, & hujus effectus cauſam exiſtere. &c.

CAPUT

CAPUT VIII.

Mellis Resolutio.

ANtiquis loco sacchari multo erat in usu mel, quo, cum balsamicam vim & tenuitatem tanquam optimorum florum Essentiam obtineat, ut in multos perstent annos, medicamina plurima conservabant: præsenti verò seculo cum saccharum vili veniat pretio, in Medicina non adeò magni est usus. In *Lithuania* enim, ubi maximus ejus proventus, & aliis regionibus septentrionalibus, copiosè eo utuntur in conficiendo Hydromelle, potu non ingrato nec insalubri, vinum ferè generosum æmulante.

Constat mel, ut & alia vulgaria dulcia veluti saccharum, *ex particulis quadratis lamellulatis, blando dulcoris sensu linguam titillantibus*, quia uno lamellularum angulo, nec limatis spiculis tam altum penetrant, & linguæ poris sese insinuant, hinc etiam figuratæ schesi maximè adversaria sunt dulcia, inprimis etiam cum variæ matetiæ copia inter se mixta extet, unde & constantior eorum natura, si particulas hasce mechanicè demonstrare animus sit, & ab invicem separare placeat, instituatur.

DESTILLATIO MELLIS.

Sume *mellis* v. g. ℔. j. *silicum contusorum vel arenæ mundæ* ℥. iij. & ultra, destilla per retortam gradatim magno recipiente adhibito, & primo exit *aqua alba*, dein *flava cum spiritu* & *oleo*, quæ omnia separari, & pro usu rectificari possunt.

Silices vel arena ad præcavendam efferveſcentiam, ad quam maximè inclinat mel, adjicitur.

Phlegma, *spiritus*, & *oleum*, acidæ sunt naturæ, hinc *spiritus solvit corallia*, oculos cancri &c. ac calculo ideò mederi perhibetur.

Constat hinc quantum errent delicatuli, qui saccharatis sæpius dele-

ctantur, cum talium usu minimè dulcem reddant sanguinem, sed eum potius acuando, scorbuticum augeant sal, & pulmones exasperent.

Porro ex Acido constare dulcia hæc, probat exactè, *aceti, ex melle* cum aqua simplici *confectio*, ut & *oleum antimonii saccharatum* triduana & leni destillatione extractum, quæ certè absque Acidi spiculis minimè fabricarentur.

Hæc itaque documento esse certo possunt, *male applicari in pulmonum vitiis vulgaria dulcia*, cum ea in corpore pugnam excitent naturæ inimicam, & corrosionem pro lenitivo aut consolidatione intendant, profundiusque pulmones exedant, si accedente fermentatione acida separentur spicula & per se existant, quæ segregatio facilis ex jam enarratis patet.

Oleum quod aquæ vitæ adinstar ardet, vires insignes acquirere perhibetur, si per dies aliquot *cum spir. vini circuletur*, hocque rursus separato oleum dulce remanere credunt, grati saporis, *vulneribus & ulceribus phagædænicis conducens, maculasque faciei cum oleo camphoræ* discutiens.

Facile hic persuademur mel esse substantiam sulfuream, aëream, extensam per arborem folia, flores, fructus, imprimis cum matureſcunt, tunc enim ab intimâ particularum pugnâ & celeriori inde enato motu aculei deteruntur & hebeteſcunt, ac suâ subtilitate per subtilissimas vegetabilium cavernulas perterebrando nutritionem adimplent. Sunt ideoque hæ dulcedinis particulæ ultimi alimenti subtilissima & perfecta ac summè exaltata spicula, uti conspicuum nobis præbet exemplum *vini spiritus*, qui *quo rectificatior*, si modo nimiis flammis non adustus sit, *eo majori dulcedine palato abblanditur*, & odoratui fragrantia placet.

Videmus hinc intensissimæ subtilitatis proprium esse summam dulcedinem licet à salino oriantur principio.

Ex his ultimò perfectis particulis mel per apes collectum constat, quod verò cum ex diversis vegetabilium subjectis diversæ naturæ & temperiei ortum ducat, maximè sæpè differt, optimum putatur à rosetis & lilietis collectum, ac quod anno sereno ac salubri æstate

æstate confectum est. *Apum ratione* omnibus *præfertur Virgineum* dictum, quod novellæ apes collegerunt, ex flavo albicans, quo tamen flavum calidius existit.

Vires mellis in genere sunt *calefacientes*, *exsiccantes*, *abstergentes*, *nutrientes* ac putredini resistentes, tanquam subtilissimæ ultimò elaboratæ Acidi sive sulfuris particulæ.

Apud *Cyrinos Corsicæ* incolas in maxima erat existimatione, & assiduo usu, unde *Athæneus* eos longævos credebat: Et interrogatus *Democritus*, quo pacto quis diu sanus vivere posset? respondit: Si interiora melle rigaris exteriora oleo. Mel enim cum sit à particulis perfectissimis dulcis, succum gignit tenuissimum, hinc in senibus sanguinem optimum, nisi Acidum in corpore superfluum offendat, hocque subtilitate sua informet, & nutritionem plus destruat.

Constat etiam hinc dulcia sola nutrire, non vero vulgaria de quo hic nobis pro exemplo mel est, sed per tot vasorum gyros circulantes spiritus, qui suâ mixtione dulcificationem perficiunt nutrientes partes penitissimè tingunt. In his subtilissimis spiritibus summa consistit dulcedo, quæ subtili sanguine vecta carnis penetralia subit, & tenuissimis fibrillarum latebris sese insinuat, nec aculeis celeriori motu detritis carnem depascitur.

Humores enim spiritibus orbos, hominem potius fatigare quam nutrire, constat. Hinc ergò ipsi humores nullum aptius acquirere possunt dulcificandi instrumentum, quam dictos subtilissimos spiritus à cerebro post tantam circulationem derivatos, qui in sensilissimis nervis nulla aculeorum rudimenta amplius produnt;

Ex hac causa Acidum venis hostile pronunciavit Helmont. *cum nutritionis destructor infinita secum ducat mala. Nutrimentum itaque omnium rerum dulce sit, hoc est, ex subtilissimis & perfectissimis particulis, crebra circulatione, & motu dulcificatis constet.*

DE-

DEPURATIO MELLIS.

Depuratio mellis à ſua cera non inſtituatur per decoctionem cum aqua, quia tunc partes ſubtiliores in auras abeunt relictis craſſioribus, ſed *ſimplici ac leni ſaltem liquefactione, cum favis ollæ incluſum*, & in locum moderatè calidum poſitum, *quo mel à favis per ſaccum linteum colari poſſit*, depuretur. *Cavendum* autem *ne calore nimio cera una liqueſcat*, ſed tantum mel purum tranſeat, quod ſine omni deſpumatione aut ulteriori coctione ſatis purum, & genuinis viribus non orbatum aſſervetur, certa verò à reliquo melle affuſa aqua ſeparetur.

Ut ſupra indigitavimus conficiunt *Lithuani*, & alii, ex melle, potionis genus *Hydromel* vocatum, quod illis loco vini in multo eſt uſu, hocque ſæpiſſimè antecellit. Paratur autem ſequenti modo.

HYDROMEL.

℞. *Mellis optimi, Virginei* ſi haberi poſſit, menſ. unam, *aquæ fontan. puriſſ.* menſ. octo, aquæ *in aheno ſtanno obducto calefactæ adde mel*, & leni igne *ad tertiæ partis conſumptionem coquantur*, ſemper ſpumam auferendo, vel tam diu donec ovum injectum non demergatur, ſed ſupernatet. Potiſſimam artem in conjunctione conſiſtere deprehendes, ne aut nimium quam par eſt, aut minus quam debebat coquatur. *Quo diutius* tamen *aſſervari debet, eo melius coqui neceſſe habet*, ſi verò ſtatim in uſum cedere debet, non opus habet nimia coctione, ſed tum flatus facile generat.

Decoctione convenienti peracta mediocriter calidè *per manicam coletur*, ut ſecernantur craſſiores contentæ feces, atque tunc inde *doliolis, quæ vinum vel malvaticum*, vel aliud generoſum *continuerint*: tum ſi æſtas, radiis ſolaribus expone, vel hyeme, hypocauſto calido impone per menſem vel ultra, ut fermentetur & feces ſegregantur,

gantur, quo peracto, dolia in cellam reconde : sed usus non sit ante trimestre, intra quod tempus simile redditur vino malvatico.

Si *ad fermentationem promovendam* ad singulas 25. mensuras *addas fermenti* eodem hydromelite, q. s. prius soluti, & *Tincturæ Tartari* uncias aliquot, fit hydromel plane vinosum, quod nullum amplius mellis refert saporem, & quo diutius asservatur, & generosius fit.

Ex hoc vinoso hydromelite postmodum fit aqua vitæ, item acetum, ad extrahendas quarundam rerum essentias plus præstans, quam spiritus vini ipse, cum à subtilissimis salinis particulis enata hæc sint, magis fere quam vini soboles.

Alii ut hydromel conficinta morba alicu aut parti magis specificum, specificas ita vocatas incoquunt herbas, radices, flores, &c. v. g. ad conficiendum.

Hydromel Pectorale.

℞. *Herb. hyssopi.*
ungul. caballin.
veronic. ana. m. j.
liquirit. ℥iij.
rad. fœniculi.
farfaræ.
heleni. ana. ℥j.
sem. anisi, fœniculi. ana. ℥ß.

Grosse incisa includantur nodulo, & hydromeliti immittantur, cum ferè decoctio & despumatio peracta est, & tum porro ad justam decoque consistentiam, donec ut dictum, non demergatur ovum, tumque coletur & doliolis aptatis immittatur.

HYDROMEL AROMATICUM.

Si placeat hydromel aromaticum, tum post tres dies *cum nodulo immitte, cinamomi, caryophyll. galang.* &c. q. l. & *maneant* cum eo *in*

fermentatione debito tempore postmodum tamen doliolum rursus repleas cum alio remanente hydromelle ac justè claude relicto simul nodulo, tunc post tres menses generosum obtinebis hydromel satis efficax, *in incidenda pituita, calefaciendis visceribus, roborandis viribus*; & aliis similibus corporis infirmitatibus, ubi activæ desiderantur particulæ.

CAPUT IX.

CERAM SOLVIT.

CEra ex iisdem cum melle constat particulis, sed flexilibus ramis tenacius sibi implicatis, ac multo crassioribus, unde sua non exserit spicula, nisi separatæ fuerint particulæ.

Odor ejus gratus à subtilissimis mellis particulis, ac diuturniori earum sodalitio & motu adfricatis dependet, qui accedente caloris motu, facile rursus perit, ut cera insolata docet.

OLEUM CERÆ & SPIRITUS.

Si particulas ceræ tenacius implicatas separare animus sit, intermedium requiritur ut particulæ cohærentes facilius à calore sejungibiles existant, nec adustionem patiantur, v. g.

℞. *Ceræ flavæ odoratæ* ℔iij. in olla vitreata *liquatæ* admisce *argillæ siccatæ & pulverisatæ* ℔. vj. vel quantum sufficit ad conficiendam pastam, *ut possint formari globuli*, hos inde *retortæ vitreæ* optimè lutatæ, *ut tertia pars maneat vacua*, tum pone in furno reverberii magno recipiente adhibito, lutatisque optimè juncturis, à principio adhibe ignem lentum, & prodibit phlegma cum spiritu, tunc auge paulisper ignem & egredietur *liquor*, qui *in recipiente instar butyri* coagulatur, quando aucto igne nil egreditur amplius tum recluſis juncturis, spiritum cum phlegmate separa à cera butyri instar coagulata.

Spiritus

Spiritus conducere perhibetur *nephriticis* cum aqua raphani ad 20. 30. guttas.

Si vero *butyrum* hoc *cereum*, quod tamen tumoribus resolvendis plus prodesse creditur, *in oleum* redigere desideres, rursus *cum argilla recenti* ut prius commisce, ut possis formare globulos, quos *ex arena per retortam destilla*, & primo egredietur phlegma cum spiritu, postea aucto paulum igne prodit *oleum flavum & clarum*, & cum hujus unciæ quatuor sunt egressæ, muta vas recipiens, ad excipiendum ut prius butyrum cereum, quod repetitis vicibus omne cum bolo in oleum destillare pro lubitu poteris, spiritu cum phlegmate semper separato ab oleo, quod pro lubitu *rectificare poteris cum vino albo ut fiat purum.* Vel ut odorem gratum & mellis dulcedinem recuperet, poterit rectificari super recentes ceræ particulas, si pauliſper prius invicem digestæ fuerint.

Alii *ceram liquefactam*, & *à lateribus ignitis imbibitam destillant*, & facilius egrediens recipiunt oleum.

Vires olei *sunt resolutivæ*, *anodynæ*, *vulnerariæ*, &c.

Ex difficili hac ceræ in suas partes resolutione videmus quantus sit amor formæ & materiæ, & quam difficile ab invicem separentur, præprimis cum tenaces ramuscúli ut hîc concretionem instituerunt.

DEALBATIO CERÆ.

Flavedine sua spoliatur cera, vel solaribus exponendo radiis, vel cum vini spiritu ebulliendo, in usu verò medico tunc viribus debilitata existit, quia fragrantiores & subtiliores particulæ Solis motu detractæ denuò sunt.

Boyle de coloribus, Experim. 7. p. 171. hoc producit Experimentum.

℞. *Ceræ flavæ parum, rasæ*, vel *tenuius sectæ*, inque cucurbitam vel aliud vas idoneum immissæ q. v. huic *satis magnam spir. vini* copiam affunde, & vase in arenam calidam posito calorem gradatim auge, donec spiritus vini trepidare, *paululumque bullire incipiat*, atque isto ignis gradu continuato, mox dummodo satis adsit liquo-

ris, ceram videbis ſolutam, tum eam ab igne remotam refrigerari ſine, quantocius citra vitri fracturam fieri poterit, vel dum adhuc calet, filtro chartaceo infunde, & vel in vitro in quo refrigeſcit, vel in filtro mox reperies ceram & menſtruum in ſubſtantiam albam butyro ferè ſimilem ſimul redacta, quæ ſpiritu exhalari permiſſo in molam multò minorem ſe contrahet, ſuæ tamen albedinis tenacem, flavedo verò neque in ſpir. vini, neque in butyro conſpicienda amplius.

Poloni, *Veneti*, aliique, qui *in magna dealbare ſolent copia*, ita procedunt:

Sumunt *ceræ flavæ* q. v. tenuius ſectam ceram *ſolvunt in aheno cupreo inferius anguſto* ac ſtanno probè obducto, *cum parva aquæ quantitate* ſaltem ne in fundo adhæreat, ac aduratur: Ceram, quamprimùm liquefacta eſt, remoto igne per 6. horas vel ultra in quiete relinquunt ut ſubſidant feces. Sed antequam planè refrigeſcat maſſa, per inſtrumentum transfundunt, quod molam vocant; ut per hoc in aquam ſuppoſitam decidat, ac ſi cultro in tenuiſſima folia ſciſſa eſſet. Hanc ita ſectam *ceram* eximunt, *& in tabulis panno albo lineo obductis dilatant*, *graſſitie digiti*, *& radiis ſolaribus exponunt* per 30. dies, die & nocte non tectam, tunc repetunt laborem, fundendo ut prius, omnique ex parte procedunt ut à principio, hocque repetunt tam diu, donec dealbata ſatis deprehendatur cera.

CAPUT X.

Saponem conſiderandum ſiſtit.

SUbjectum hoc Saponariis relinquendum eſſet, niſi Acidi & Alcali in eo conſiderari mereretur actus, *ex cineribus* etenim *& oleo* conſtans, ſuo uſu *maculas veſtium delet*, quas ramoſa pinguia laneæ implicarant texturæ, poſtquam lixivium ſaponis ſal, cum pinguium Acido concertavit, ac Alcalina pars, ſuo ſimili, quod etiam in

oleo

oleo eſt, ſe aſſociavit, concors enim concordi adhæret. Confectio in hunc modum ſe habet:

SAPO VULGARIS.

℞. *Cinerum fagi vel quod lubet, partes* ij.
Calcis vivæ partem. j.

Cineres alcaliſatas paulum humecta, atque eis calcem vivam cooperi, atque ita relinque donec calx dehiſcat, tum hæc miſce, & *affunde aquam*, ut maſſa fiat humidior, juxta Regulam: ſalia non agunt niſi ſoluta: facto hoc *maſſam dolio amplo* (in eine Bütte/) impone comprimendo eam, & virgultis ſuperpoſitis perge affundendo calcem cum cineribus mixtam, & ut prius humecta, ita verò continua, ſtratum faciendo ſuper ſtratum cum calce, cineribus, mediantibus virgulis, donec ſufficientem pro lubitu ad conficiendum ſaponem habeas copiam, & calx viva mortificata ſufficienter extet. Tunc maſſam ex dolio effunde in terram, & comminue, optimeque commiſce, & ad conficiendum lixivium labro rurſus immitte, ſtramine cum urticæ foliis in fundo ſubſtrato.

Hiſque *ſuperfunde aquam ferventem*, & cum per horas aliquot ſteterint, per epiſtomium *deprome lixivium, quod ſi ovum in eo non demergatur magiſtra vocatur*, & tanto Alcali ſaturatum eſt lixivium hoc, ut igneam quaſi obtineat vim, in momento enim hoc bulliens lixivium hominem ebrium caſu illapſum conſumſiſſe refert *Tackenius in ſuo Hippocrate Chymico.*

Relictæ *maſſæ ſuperfunde aliam aquam ferventem*, ut fiat *ſecundarium lixivium*, minus ſaturatum quod ovum non ſuſtinet, cum ultimo hoc *oleum vel pinguedinem* Acidum continens, *primo commiſce*, & lento igne coque, donec albeſcant, tunc *adjice magiſtram* in tripla olei vel pinguedinis proportione, & bulliendo oleum coagulabit Alcali, donec in unum coëant corpus, quando verò maſſa ahenum tranſcendere vult, affunde aliquid lixivii ut ſubſidat: linguâ tamen ſæpius explora, *ſi ſapor dulcis, adde magiſtram*, ſi verò mordax coque donec oleum abſorptum, ſin verò mordacior, ſenſim *adde*

oleum ad discretionem. Cum verò incipit massa fila dulcere & pellucida à spatula defluit, tum per trium horarum spacium coquatur, in fine verò sal adjice ut separatur à sapone superfluum lixivium. Ultimò cum ad justam deventum est consistentiam, formis ad id convenienter paratis infunde, & donec refrixerit relinque.

Ingredientium proportio hæc est:

℞. *Cinerum* ℔. x. viij.
calcis vivæ. ℔. vj.

Præbebunt lixivii mensuras xviij. quæ requirunt.

sævi. ℔. v.
resinæ. ℥iiij.
salis. ℔. j.
amyli. ℔. ß.
glutinis. ℔. ß.

Alii ad *lixivii* ℔. j. ß. addunt *sævi* ℔. j. gluten & resina adduntur in medio operis, sal verò & amylum in fine.

Hæc saponis est confectio, unde resolutio rursus emergit, omne enim corpus resolvitur in id ex quo constat. Si itaque constitutiva saponis separare rursum animus sit.

DESTILLATIO SAPONIS IN OLEUM &c.

Sume *saponis optimi* ℔. j. *calcis vivæ* ℔. ij. mixta *retortæ immitte* optimè lutatæ, *& ex arena* f. a. destilla, oleum quod prodiit quia empyreumaticum obtinet fœtorem, superfuso *spir. vini* rectificato *corrige*, vel ex alia retorta cineribus commixtum rectifica.

Vel superfunde *saponi vini spiritum*, & digestione diebus aliquot peracta, institue destillationem, *relictæ massæ recentem spir. vini* superfunde, & rursus abstrahe, hocque aliquoties repete. Tandem rursus superfunde spiritum abstractum, & ita stent per dies 6. tunc filtra spiritum per chartam, & in balneo eum abstrahe, ut remaneat *oleum saponis rubicundum.* Vires *à Zvvelffero*, *Hoffmanno* & aliis deprædicantur, si *in doloribus arthriticis*, ac *dissipandis tumoribus* cum oleo lumbricorum, mane & vesperi illinatur.

Verum

Verum maximè illis contrariatur Tackenius in ſuo Hippocrate Chymico his verbis : Zvvelferus, inquit, ſi Alcalium fixorum habuiſſet notitiam, Podagricis oleum ſaponis Veneti, non promiſiſſet, (in appendice ad animadverſiones fol. 84.) nam quicquid olei à ſapone ſtillat eſt laterino ſimile, & nil de Alcali continet. Sic & qui, quocunque etiam modo ſit ſaponis corpus, diſſolvunt, ajuntque Podagricis conferre, in maximo ſunt errore, fructum enim quem percipere ſperant, docet ſapor, qui planè falſus deprehenditur.

In deſtillando aliàs *ſaponis oleo* alii addunt præter calcem vivam *oleum hyoſciami* expreſſum, & tum per retortam deſtillant in balſamum, pro ſpe inſignium virium in doloribus Arthriticis, contracturis, &c. Si modo à ſuperfluo Acido mala iſta non traxerint ortum.

Ut hic delicatulorum benevolentiam captemus, communicabimus eis methodum quâ ſaponem conficiunt ad cutem exſuccam maculoſam, ac cruſtoſam, ut amœnam ſuavitatem recuperet, v. g.

SAPO COSMETICUS.

℞. *Amygd. el. excortic.* cum aliqua aqua odorata ad pultis conſiſtentiam redact. ℥ viij.

vitell. ovor. num. ij.
aq. roſar. odorat. ℥ *iij.*

Coque hæc in vaſe æneo vel argenteo ad conſiſtentiam craſſam pulticulæ adinſtar, vaſi non adhærentem cum diligenti agitatione, tunc *adde ſaponis albiſſimi ſubtiliſſ. raſi*, & cum aliquâ *aqua odorata* aliquoties loti & perfumati ℔. ij. contunde omnia optimè in mortario ſemper admiſcendo olei Tartari per deliq. v. g. ℥. ß. tandem inſpergantur ſequentes pulveres vel ingredientia:

Magiſter morcaſit. ℥. j. ß.
Camphoræ aq. fort. ſolutæ & rurſus aqua præcip. ℥. ß.
amyli. ℥. j. ß.

Quibus optimè ſubactis porrò adde.

Ol. ligni rhod.
jasmini.
moſchi, ambræ ana. pro lubitu.

Vel

Vel *ex calce viva & ſale Tartari* ana. calcinatis fac lixivium omnino igneum, cum hoc lixivio & ſævo cervino addito ſpermate ceti, fiet ſapo omnibus aliis anteponendus coſmeticis, præprimis ſi camphoram aq. fortis ſolutam, & aq. rurſus præcipitatam artificialiter conjungas,

Si deſideretur ſapo communis odoratus,

℞. *Saponis Venet. albiſſ.* ℔.j.
biaccæ Hiſpanic. ℥iij.
radic. ireos flor. pulv. ℥j. ß.
amyli albiſſimi m. j.
magiſter. marcaſit.
ſperm. ceti ana. ℥vj.
ſalis Tartari. ʒij.

Miſceantur optime & ſubigantur in mortario lapideo cum aqua odorata, uti *Naphæ* vel *Angelicæ*, aut *flor. roſar. arant.* &c. ultimo adde *ol. ligni rhod. jasmini* ana. ℈j. *ambræ, moſchi* ana pro lubitu.

Si ad veſtium maculas ſaponem velis,

℞. *Saponis Veneti ſubtiliſſ. raſ.* ℔ß.
olei ſpicæ ℥ß.
fellis tauri cochlear. iiij.
ſuccci citri. q. ſ. ad humectandam maſſam, ut addito pauco amyli poſſint formari globuli, ſapo verò prius ſiccus optimè eſſe debet.

Si veſtium maculas delere velis, laventur eædem aquâ calida, tum illinantur hoc ſapone, & recenti aqua diligenter eluantur, ac diſparebunt maculæ.

Hoc item ſapone, optimo cum ſucceſſu, alii utuntur *in ſcabie maligna*, ſi cum lixivio ex cineribus hæderæ terreſtris facto ſolvatur aliquid ſaponis, & hæc mixtura ſcabies abluatur aliquoties & repetitis vicibus.

SECTIO

SECTIO III.

REGNUM VEGETABILE PERCURRIT.

CUm Omnipotens Benedictus Naturæ Parens, Summus & Maximus omnis universi motor, omniumque Creaturarum verum principium, ita providisset, ut interna vis & efficacia, quam verbo FIAT impresserat, *visibili & comprehensibili corpore includeretur*, in quo & per quod exereret vires, & quo mediante operationes perficeret; ex unione vero ista intrinseca & amicâ concordantiâ, vires rerum principaliores Quales sint; hinc unumquemque verum & naturalem Philosophum eo adactum sentio, ut in veras rerum causas inquirat, & non chimæricis vel fictis incubet, veluti magna *Galenicorum caterva* in *plantarum* indagandis viribus aberrans egit, quæ harum *vires*, *caloris & frigoris gradibus dimensa est*, in magnum certè sanitatis humanæ nocumentum, ignorans Qualitates has à rebus abstractas constitutivis advenire principiis, ab objecti tantum appropriatione, neque hæc Qualia esse Qualitates, utpote quæ nunquam causarum vices suppleant: *Nec frigidum*, *calidum* pro substantiis habenda esse, sed juxta *Hippocratem Acidum*, *amarum*, *salsum*, *acerbum*, *austerum*, &c. Atque ita *non generari morbos à frigido*, *calido*, &c. sed à Qualibus vario modo depravatè dispositis, neque plantas ab iisdem dependere Qualitatibus, sed à dictis *Hippocraticis* acido, salso, amaro, &c. tales esse constat.

Sic quæ inter plantas illis *primo gradu frigida* audiunt, deprehendimus *acida esse*, ut *acetosa*, *acetosella*, *ribes*, *berberes*, &c. Hæc cum copiosiori aquâ defricata obtineant Acidorum spicula, ut linguæ fimbrias adeò punctim non intrent, debiliora existunt, ab illis primo hinc frigiditatis gradu insignita.

Quæ verò *ſecundo gradu frigida* ab eis pronunciantur, *auſtera ſunt, & adſtringentia*, ut *tormentilla*, *biſtorta*, &c. Hæc ob terræ copiam, ſal volatile plantæ coarctantem talia ſunt, & non à frigore ſecundo gradu concentrato.

Obſervamus hoc in fructibus immaturis, ubi particulæ ſalinæ viſcoſis, & terreſtribus detinentur heterogeneitatibus, quæ vero Solis æſtu & motu ita exaltantur, ut terreis particulis ſubactis, ſaporem auſterum mutent, & dulcia reddantur. Auſteræ itaque, mediantibus aliis, particulæ ſalinæ redditæ, ſunt, quæ papillas linguæ adſtringunt, humores inſpiſſant, & non frigus.

Quæ illis ſunt *Quarto gradu frigida*, hæc *Acerba ſunt* à terrearum particularum exceſſu, & ſtyptici ſalis amaritudine, veluti inter Vegetabilia *quercus*, *hypociſtis*, *acacia*: inter terras, ſigillatæ variæ, bolus, &c. inter Mineralia *vitriolum*. Hæc papillas vehementius conſtringunt, ac concentrant, ſpiritus ſtupefaciunt, fauces ſtrangulant, niſi aculei aliis oblinantur vel deterantur.

Patet hinc *non frigore dimenſuratos gradus, ſed particulas* ſalinas eſſe, *varie commixtas, alteratas & figuratas*, quæ hos producunt effectus, dum à circumferentia ad centrum tendere, vel concentrari coguntur, ab aliis impeditæ, irretitæ, vel vario modo alteratæ.

In calidis majus *Dominium cepit Volatile, & ſubtilius ſal*, quod heterogeneitatibus non adeò obrutum, nec aquâ dilutum, à centro ſemper ſurſum exilire intendit. Et cum particulæ ſalinæ non adeo acuatæ ſunt, ac papillas linguæ jucundè feriunt, concomitante propter agilitatem ſenſu calidi, ab eis primo caliditatis gradui adnumerantur.

Sed cum ſubjectum *flagrantiori Solis motu* ſalinas *particulas plus acutas, & volatiles* obtineat, ab aliis impedimentis liberas, linguæ fibrillas paulo potentius vellicant, hinc magis reſolvunt, abſtergent, *Diaphoretica*, *Diuretica & Errhina* ſunt, ut quæ amaricant, & ex amaro dulceſcunt veluti *aromata, & aromatica omnia*, ut *gentiana*, *Angelica*, *abſynthium*, *card. benedict.* &c. Quæ tamen in locis Meridionalibus intenſius & fortius linguam afficiunt, quam quæ in his

his noſtris enata fuere, ac ideo tanquam plus excocta & perfecta multum ſpiritus & olei ſtillant è ſale pronata. Ecce! hæc *ſecundo & tertio caliditatis gradui adnumerarunt.*

Cum autem ſal adeò exaſperatum ſit, ut quaſi erodat, veſicasque excitet, uti *Euphorbium*, *Helleborus*, &c. hæc *ultimo caliditatis gradu* concreta eſſe ſibi fuere perſuaſi.

Videmus ex his multum aberrare *Galenicorum* catervam, dum *Qualitates pro ſubſtantiis*, & *effectus pro cauſis ſubſtituerunt*, unde etiam non mirum, ſi veras ſimplicium medicaminum vires adhuc dum maximam partem ignoremus, cum adeo ruditer in eis verè indagandis progreſſum ſit, ut centeſima vix planta eundem præſtet effectum, qui à *Dioſcoride* inſignitus deprehenditur.

Cum ideo videmur adacti, ut in ſimplicium vel Vegetabilium indagandis Qualibus plus navemus operam, ignis Analyſi ſubjicienda erunt, quæ verè, ex quot & quibus ea conſtent, docebit.

CAPUT I.

Aromata reſolvit & ex his primo Cinnamomum.

HOc cum ardentiori ſale acuatum ſit, eique celerior à Sole adfricatus motus, minima exſerit ſpicula, & ſenſu aduſtioni analogo linguam titillat, oleo ſubtiliſſimo utplurimum conſtans: Si enim ex retorta deſtillemus, copioſum extillat phlegma, ſpiritus acidiuſculus, & duplex oleum: hinc conſtat, quantum ſalinæ in eo obriguerint particulæ.

Ut vero has ſummè exaltatas & perfectas particulas ita ſeparemus quo aptè corpori humano applicari queant, varie deſtillamus, v. g. pro acquirenda.

Aqua Cinnamomi.

℞. *Cinnamomi electi* ℔j. craſſiuſculè contuſum excipiatur *Aq. roſar. fragr. & vini generoſi* ana. ℔. iiij. maceratione factâ in vaſe bene

clauſo 14. dierum ſpatio, deſtilletur ex veſica ſtanno probè obducta, cum capitello ſtanneo, & refrigeratorio optime munito.

Aqua quæ primo exſtillat ſublactei coloris, quia melior, ſeorſim excipiatur, ut & altera quæ prodit clara; tertia vero quia vilior eſt, aſſervetur pro novâ cinnamomii infuſione.

Si loco aquæ roſarum addimus *Aq. borraginis*, *bugloſſæ*, vel *vinum cydoniorum*, tum vocatur *Aq. Cinnamomi borraginata*, *bugloſſata*, vel *cydoniata*. Et ſi loco vini ſimplicioris, *Malvaticum*, *Moſchatellinum*, ſubſtituimus, Cinnamomi Aqua efficacior evadit. Si vero horum loco ipſum addamus *ſpir. vini*, ſpirituoſa admodum edeſtillat.

Vires hujus *omnium aquarum nobiliſſimæ*, non ſatis deprædicari fere poſſunt, in omnibus corporis humani infirmitatibus, propter ſubtiliſſimas ſummè dulces particulas ſpiritui noſtro Animali maximè ſimiles, & convenientes, unde *addunt robur*, *confortant ſtomachum*, & omnes functiones naturales. Uſus verò inſignis eſt *in virium diminutione*, animi deliquiis, cerebri, cordis, ventriculi, & uteri frigidis affectibus, ubi tum particulis nobilioribus irretitis, & aliis heterogeneitatibus obrutis, ſuccurrunt, ut fortificati vincant & ſubigant impedimenta & obſtacula Acidum crudius foventia.

Doſis eſt à cochlearia ß. ad j. vel ij. prout vel debilis vel fortior exiſtit.

Gravidis cautè propinatur, cum facilè effervescens, & ſanguinem nimium movens, partum acceleret ante tempus, tempore vero debito propinata percelebres exertura ſit effectus.

AQUA AD PARTUM FACILITANDUM.

Quæ ſi ex profeſſo in hunc ſcopum dirigi debeat, præparetur, addendo libræ uni *Cinnamomi*, *corticum citri*, *angelic. imperator*, *Zedoar*, *flor. arant. fol. meliſſæ*, *pulegii* ana. ℥j. hæc debitâ maceratione peracta deſtillentur, & prodit aqua admirandarum virium, in partu accelerando, menſtruis ſuppreſſis, &c.

ELIXIR

ELIXIR CINAMOMI.

Paramus etiam ex *Cinnamomi* cortice elixit jucundum, ex contusis grosse, optimi corticis fragmentis, cucurbitæ inditis, affuso ad trium digitorum eminentiam *spiritu vini* non rectificato, in balneo leni, quod coloratum est separatur, postea novus affunditur spiritus, repetiturque labor donec color omnis sufficienter est extractus. Postmodum verò liquore in eodem balneo ad dimidias abstracto, in fine additur *Essentia moschi*, & *ambræ*, cumque *julepo sacchari* dulcoratur, ut fiat Heroum nectar.

Vel ex *aquâ ipsâ Cinnamomi* auxilio *Tincturæ santali croceati*, & *sacchari*, adjecta aliquâ *Alkermes* particula, paratur Elixir visu jucundissimum, & usu excellentissimum.

OLEUM CINAMOMI.

Si ipsas olei particulas ex nobili Cinnamomo concentratas desideremus, quæ in aquâ, spiritibus vectæ non apparent, hoc procedas modo:

℞. *Cinnamomi optimi odoratissimi & acrioris* ℔. iiij. crassiuscule fractum hinc inde conspergе cum *vini albi generosi* ℔. j. tum *vesicæ* immitte cum 8. vel 10. mensuris *aquæ fontanæ*, & subitò *non interjectâ morâ destillare incipe*, donec duæ præterpropter mensuræ egressæ sunt, quæ lactei erunt coloris, cui supernatat oleum Cinnamomi clavum ad flavedinem verò inclinans, partim aquæ commixtum in fundo residebit: his edestillatis mutato vas recipiens, & alio adhibito destillare perge tam diu, quam diu aliquid olei egredi sentias, quod tamen intra paucas finitur horas.

Hac ultimo egressa aquâ agitando peroptime recipulum elue, & priori adde, in capaci vitro, tunc agita, sed leniter vitrum, quo supernatans oleum descendat ad fundum, post benè clausum vitrum in loco frigido repone, per dies aliquot, intra quod aqua fit clarior, & plus olei descendit. Hoc facto *aquam leniter decanta*, donec oleum cum aliquot cochlearibus aquæ præter propter remaneat, cui adde *aquæ fontanæ sale sufficienter*

cienter impregnatæ, & per chartam filtratæ ℔. j. tunc ſupernatabit oleum, ut ad modum aliorum oleorum facilè ſeparari poſſit.

Maxima hîc opus eſt diligentia, ut omne oleum colligatur, nec vitro plurimum adhæreſcat & perdatur.

Hac methodo ex ℔. iiij. optimi Cinnamomi acquires olei puriſſimi ʒ. v. Si verò quid hæreat in vitro, poterit miſceri *cum ſaccharo Candi*, & inde fieri *Elæoſaccharum* pretioſum.

Aquam verò reſiduam cujus præterpropter tres erunt menſuræ vel ultra, *veſicæ parvæ* immitte, & *menſuram unam abſtrahe*, ac aquam cinnamomi optimam nactus eris, hanc ſerva, reliquam verò quæ ſequitur, ſerva pro vehiculis generoſiorum propinandorum.

Hac etiam methodo genuinè reliqua deſtillantur aromata, videlicet *caryophyllor.* quorum ℔. j. plus dabit olei, quam Cinnamomi ℔. xij.

Alii prægreſſa prius maceratione, dierum aliquot ſpatio facta, oleum hoc deſtillant, qualem modum reliquit *I. F. Hoffmannus*, v. g.,

℞. *Cinnamomi optimi* ℔. j. craſſiuſcule confracto adde *aquæ* menſuras iij. in quibus *aliquid ſacchari* ſolutum eſt, hæc per dies aliquod in digeſtione relicta, deſtilla, deſtillatam aquam reaffunde recentis cinnamomi ℔. j. relinque cum brodio primæ deſtillationis relicto rurſus in digeſtione, deſtilla, & nanciſceris non ſolum aquam Cinnamomi elegantiſſimam, ſed oleum item copioſiſſimum. Labor hic continuandus eſt decem vel duodecim libris cinnamomi, deſtillatio verò per veſicam inſtituatur cum ſuo alembico ſtanneo probè munito. *Ex fecibus in cineres redactis* ſ. a. *ſal eliciatur.*

Magiſterium fit extractione cum ſpir. vini rectificato, quæ cum aquâ fontanâ præcipitata vel cum aquâ cinnamomi viliori præcipitatione parata Medicinam ſuppeditat pretioſam, cujus *locum Elæoſaccharum ſupplet*, quod ſemper recens paratum eſto, cum aliàs ab aëre alteretur quam diligenter etiam aſſervetur.

Vires olei aquâ fortiores exiſtunt, ut magis concentratis conſtantis

ſtantis particulis, eundem verò cum aqua effectum obtinens, at doſi unius vel alterius guttulæ ſaltem.

Si guttulam unam vel alteram ore parturientis detentam *partum accelerare Poppius* affirmat.

Oris item fœtorem efficaciter emendare, in ore detentam ejus unam ſæpius guttulam, *Platerus* in praxi habet.

Cum oleo myrrhæ mixtum, & partibus genitalibus applicatum, *fœtum pellere* dicitur.

Hoc porrò *oleum* ad guttulas iij. *cum aquâ Cinamomi propinatum* tremoribus, convulſionibusque ſingulariter convenire *Kunrath* obſervavit: propter enim particulas celeriori Solis motu exaltatas & dulcificatas Acidum optimè infringit, cui tales nervorum inſultus ortum ſæpius debent. Sic *in linguæ tremore & ejus paralyſi*, una vel altera guttula plumaceolo applicatur.

Doſis eſt à guttulis j. ij. ad v.

SAL VOLATILE CINAMOMI &c.

Ut verò aromatica talia olea rigiditate ſua liberentur, & ſubitæ ſint ac citiſſimè penetrationis, monuit van *Helmont*, ut *in ſal volatile* redigantur, ubi *de Febribus cap.* 15. n. 7. inquit: Si oleum Cinnamomi, garyophillorum, lavendulæ, &c. noveris tranſmutare in ſal volatile, nactus eris medicamen temperatum efficiens quantum de iſtis ſimplicibus ſperari poteſt, in veteri Vertigine, Palpitatione, Apoplexia & ſimilibus, modum vero reticuit van *Helmont* quem Alcali abſolvendum communicamus, v. g.

℞. *Spiritus vini rectificatiſſ.* ℔. ij.
Salis Tartari puriſſimi. ℥iiij.

Ms. & deſtilla: ſpiritui edeſtillato tantum admiſce *olei Cinnamomi*, vel alius aromatici, quantum haurire poterit, tunc *ſpiritum ſalis armoniaci* rectificatum cum temperamento adde: miſce & ſerva curioſè.

In Epilepſia, *Apoplexia*, *Convulſionibus*, Acido rectificando venis hoſtili, & ſpiritibus dulcificandis ac confortandis admirandæ virtutis.

Doſis

Dosis est gutt. x. xx. & ultra *cum julepo Cinnamomi*, ex aquâ ejusdem cum saccharo ad ignem leniter coctis parato, convenienter adhibita.

Sunt qui in nobili hoc destillando oleo *amygdalas vel alia adjiciunt oleosa subjecta*, ut inde majorem olei acquirant copiam, *at fraudem committunt*, quæ detegitur, si una vel altera guttula vino immissa fundum non petit, nam *quod verum est deorsum tendit, quamprimum infunditur vino.*

Sequitur pretiosum alterum Aroma.

NUX MOSCHATA.

Hæc vera *Nucis Indicæ, medulla*, inclusa est *cortici duro*, qui cortex iterum tenuiori obductus est involucro, *eoque flavescente rubeo, seu floribus macis*, quæ omnia contenta exterius *carnoso sed crasso obteguntur putamine*, quod maturum dehiscit, ut in juglandibus nostris conspicimus. Eligenda verò est recens, pinguis, gravis, quæ acu compuncta oleum emittit.

Constat ex particulis salinis, oleosis, multò crassioribus in genere quam Cinnamomum, quibus copiosè particulæ terreæ continuo Solis motu implicatæ & combinatæ deprehenduntur, unde adstringit, & spirituum diffluxum restinguit, eisque robur addit, & archæum pacat.

In hunc finem ex ea paramus aquam, separamus oleum & pro lubitu sal, v. g.

Si Aquam velimus nobilem:

℞. *Nucis moschat.* ℔. j. grosse contusis adde
Succi vel vini cydonior. ℔. iiij. vel v. cum
Medulla panis albi. q. s. misce.
& ex MB. destilla.

Vel ℞. *Nucis moschat.* crasse confract. ℔. j.
Aquæ cydonior.
plantag. ana. ℔. iiij

De-

Deſtilla per veſicam artificialiter, & oleum ſeparetur ab aqua, quæ, ſi lubet, rectificetur.

Vires inſignes ſunt in vomitu, alvi profluviis, ſtomachi debilitate, obſcuratione viſus, nimio menſium fluxu, &c.

Doſis eſt à cochl. ß. ad j. mane & veſperi.

Si oleum arrideat:

Sume N. M. *optimè ponderoſ.* quantum placuerit, groſsè contuſa *ſimplici & ſola aqua* ſ. q. *addita deſtilla ex veſica*, & ex ℔. j. *olei clari albi*, ſpiritus therebintinæ inſtar aquæ innatantis ʒvj. habebis: *remanente in veſica craſſiori*, quod expreſſione vulgò aliàs parari conſuevit, innatante, hoc refrigeratis omnibus cochleari auferatur, & ſi quid de nucis moſchatæ fragmentis commixtum ſit, liquefiat rurſus in olla vitreata vel cacabo, & coletur per pannum. Vel cum adhuc omnia calent, filtro infunde, ut craſſiores relinquantur contentæ partes, & liquida tranſeant, ubi poſt refrigerationem oleum innatans purum auferre poteris.

In hunc modum *ex pipere*, *cardamomis*, *cubebis*, *macis*, & aliis aromaticis quæ ſubtilius ſecum vehunt *oleum*, *deſtillatur*.

Vires olei deſtillati, ceu ſubtiliſſimarum partium à terreis magis liberatarum magnæ ſunt, in *Apoplexia*, *ſpaſmis*, &c. Si enim in aquâ Cinnamomi aut alia Apoplectica diſſolvatur, & ori, *naribus* & *auribus Apoplectici inſtilletur*, *eum revocat*, quem eundem effectum expreſſum etiam oleum, ſpir. vini ſolutum tanquam ſingulare ſecretum præſtare *Mercatus* profitetur.

Aliàs *expreſſum convenit in omni alvi fluxu*, ex ſtomachi debilitate, *torminibus infantum*, internè & externè, *in ſtranguria* cum ſpir. vini *eſt infallibile ſecretum*, ut & *in abortu* præcavendo *cum melle ſæpius propinatum*, ut habet *Mœbius in Inſtit.* de Diæta gravidarum, ſic & in omni menſium fluxu, &c.

Externè inſignes obtinere vires, experientia comprobatum habemus, ut in conciliando ſomno, *confortanda memoria*, ſi deraſis capillis, vertici & temporibus illinatur: In torminibus item ventris, *umbilico illitum*.

Est insuper *balsamorum* principalissima *basis* expressum oleum, cui reliqua addunt symbolum, v. g. in præcavenda Apoplexia, absumendis catarrhis, vertigine &c. tale combinetur balsamum:

℞. *Olei N. M. destillati.*
macis dest. ana. ℈j.
ligni rhod- ℈j. ß.
garyophyll. gutt. v.
succini.
rutæ.
citri. ana. ℈ß.
moschi gr. viij.
N. M. express. q. s. pro balsami consistentia.

Parant etiam alii ex oleo N. M. expresso *Magisterium* v. g. superfundunt spir. vini rectificatiss. & repetitis vicibus omnem extrahunt colorem, ita ut oleum fixum, & instar nivis album, restet, quod ne rubescat, & leniissimo calore exsiccant. Usus potissimus est ut suppeditet *nobile balsamorum corpus*, inprimis ubi cum spir. vini Tartarisato, extractio facta est.

Jam ad ea quæ Aromaticis adnumerari meritò debent pergimus v. g. *Citri*, *Arantiarum* &c. *cortices*, qui ex Acido, Solis æstu, & inde celeriori motu enato, oleum nacti sunt admodum pretiosum; quod ita separabis, v. g.

OLEUM CORTICUM CITRI &c.

℞. *Pomorum citri* recent. optimè odorat. & integrot. ac maturor. num. 100. *flavos rescinde cortices* & minutim conscissos, vesicæ inde, *cum s. q. aquæ fontanæ*, junctirisque bene clausis, & observato refrigeratorio, ac apposito recipiente, destillationem institue, *absque prævia maceratione*, & intra 4. vel 5. horas omne egredietur oleum, clarum & crystallinum, quod separamus. Ex centum citri pomis mediæ magnitudinis, sæpius habemus ℥x. vel xij. puri olei, quod in vitris anguisti colli probè obturatis servetur in loco frigido, & durabit viribus integrum, aliquot annis.

Non-

Nonnulli *ex fermentatis*, vel leviter putrefactis oleum deſtillant *corticibus*, ſed *acquirunt oleum ingratum*, & à citro naturali plane alienum, quod temporis tractu olei therebintinæ ad inſtar olet. Præſtat ideò unica, ex recentiſſimis corticibus, & legitimè deſtillati olei guttula, plus, & magis efficit, tum in odore, tum operatione, quam decem guttæ olei ex corticibus fermentatis deſtillatione extracti.

Oleum, cum ex Acido concretum ſit, & hinc particulas obtinuerit vi concentrandi imbutas, *reficit ſpiritus vitales diſſipatos, concentrat flatus*, hinc *in colica flatulenta*, ſtomacho vaporibus infeſtato optimè conducit.

Pomum integrum comeſtum, maximam obtinet *vim alexipharmacam, in viperarum morſu, aliisque venenis imbibitis.*

Pulpa acida, in febribus malignis, & aliis, à ſpiritibus ſolutis & efferatis, ortum trahentibus, efficaciter exhibetur, *acrimoniam* enim *ſalis effervescentis volatilis, reſtinguit*, & *ſpiritibus ſolutis concentrandis ſuccurrit.*

Semen in Emulſionibus propinatur pueris verminantibus, febribus item malignis &c.

Doſis olei ut plurimum eſt ad gutt. vj. & ultra, prout vel fortius vel vilius exiſtit. Potiſſimum tamen *in Elæoſaccharo propinatur*, ubi ad ſacchari ℥j. olei ℈j. vel ʒß. ſumimus. De hoc datur tantum, quantum cultelli cuſpis capit pro doſi, cum juſculo vel alio intentioni accommodato vehiculo.

Si *vinum citratum* expetis, vitro vini pleno immitte *Elæoſacchari* hujus ʒß. vel donec palato arrideat.

CAPUT II.

RADICES RESOLVIT.

QUamprimum terræ concreditum eſt ſemen, cujus *fores pulſant radii Solares*, & contrariæ indolis particulas ſecernunt ut pu-

gnatim edant certamina, & diſſidiis exerceantur crebris, quo quæ brevibus nexantur ſpatiis, ab ictu Solis reſultent. Sed cum omnis ſcaturigo aliunde foveri debeat, nutritivas, quas ipſum non habet, è terrâ elicit ſemen; quod cœleſtem nactum ſodalem, cum comitibus particulis colluctatur, ac terræ operculum ſubmovet, ut Solis propinquiore contactu, & aëris vegetante fruatur ſale, pro quorum copia & robore maturius, aut ſerius, plantæ augeſcunt: hunc in finem ſæpius *delicatiores plantas, tentoriolis vitreis, radios Solis reflectentes, obtegimus*, ne eorum laxiores pori frigore conſtipentur.

Primò *radicem fingunt activa, & febris arctioribus connectunt*, quo plantæ ſal ſe intimius irretiat, aquâ tunc minus diluendus, hinc craſſiores nutritii ſucci, & diverſæ materiæ partes ſemper inſunt, ſubtilioribus particulis faſtigia petentibus, ubi per compactiſſimas fibras magis rectificantur: hinc ſemen efficaciſſima plantæ energia dotatum, oleo, ex ſalibus per longiſſimam commixtionem & circulationem ſolarium radiorum, abundat, magis quam radix.

Jam ſi particulas, accretionis authores, dignoſcere cupiamus, ignis anatomiæ ſubjiciamus ſingulas plantæ partes.

Ex radicibus ſemper efficaciorem, quam ex trunco ſubſtantiam ignis ope elicimus, ex cortice vero & faſtigiis ſubtiliorem. In radicibus conſiderandæ nobis veniunt diverſæ materiæ partes utpote aqua, oleum, ſal, Extractum, reſinæ &c.

DESTILLATIO RADICUM &c. in AQUAM.

Si aquas radicum velimus genuinas, imprimis *ſi ſucculentæ ſint, ſuccum expreſſum deſtillationi ſubjicimus*, & ſi fit ex refrigerantibus, *per arenam humidam* aquam extrahimus, quæ enim refrigerare debent aquæ, moderato calore deſtillati neceſſe habent.

Si vero *radices ſicciores ſint*, nec ſucco abundantes, vel odoratæ, vel non, his inciſis *ſuperfunditur aqua fervens*, quantum ſufficit pro humectatione, ut pultem referant, tum ſtent in olla donec refrigeſcant, poſt, *expreſſus ſuccus per veſicam deſtillatur*.

Si

Si verò tantum non lubeat impendere laborum, *herba* saltem *conciſa veſicæ immittitur*, & *tantum aquæ ſuperfunditur*, ut herba ebulliendo non aduratur, ac ſ. a. deſtillatio inſtituitur, donec aqua odorem & ſaporem herbæ non amplius ſecum ferat. Si verò *aqua egreſſa*, viribus magnis haud imbuta ſuſpicetur, *recenti ſuperfundatur herbæ inciſæ*, & repetatur opus, donec aquam viribus volatilioribus, vel radicis, vel herbæ, imbutam deprehendas ſatis.

Non autem pro more Pharmacopæis uſitato ſimpliciter deſtillandæ ſunt aquæ; Hi in genere herbis magnam ſuperaffundunt aquæ fontanæ copiam, & deſtillant donec magnam aquæ copiam nanciſcuntur, quas tum ſimplices vocant, ſed *revera ſunt ſimplices*: quia præter aquam fontanam nil ſecum vehunt, unde *non mirum ſæpiuſculæ homines defraudari*, non tantum *de pecunia*, ſed & theſauro omnium pretioſiſſimo, *ſanitate ipſa*.

OLEA EX RADICIBUS DESTILLARE.

Si oleum ex radice ſeparandum veniat; ſume *radicem ſiccatam*, *contuſam groſsè inde veſicæ cum ſufficienti aquæ quantitate*, & deſtillationem perſequere tam diu, perque dies aliquot, donec omne oleum ſentias prolectum: Aquam decedentem ſemper reſarcias vel recenti vel prius egreſſa, oleo ſeparato, aquâ. Ita fit *oleum Angelicæ*, *Carlinæ*, *Gentianæ*, *Imperatoriæ* & ſimilium, quæ ob arctiores fibrillas, denegato hinc ſuperfluo & nimio humido, olei ſufficientem copiam implicatam obtinent.

EXTRACTA RADICUM.

Si Extracta ut vocamus Radicum expetimus, quæ ex diverſæ materiæ, terræ, ſalis, olei ſcil. particulis conſtant, accipimus *Radicem* vel *Angelicæ*, *Valerianæ*, *calam. aromat. Carlinæ* &c. Inciſam radicem minutim, immittimus *cucurbitæ*, & *ad uncias duas* radicis addimus *duodecim*, *aquæ*, *vel fontanæ vel ex ipſa radice deſtillatæ*, *uncias*, cum *ſpiritus vini* unciis quatuor. Atque in cucurbitâ probè clauſa macera-

ramus, ſpatio viginti-quatuor horarum, balneo impoſitâ, poſtea *expreſſum ſuccum ad ſiccitatem radicum* per ſubſidentiam depuramus, ut tum filtrari probè poſſit: liquorem hunc *filtratum deſtillamus ex M. B.* donec tres liquoris partes egreſſæ ſunt, quem ad alias radices extrahendas, vel alii uſui aſſervamus, quia quaſdam radicis vires vehit. Tunc *ſuccum remanentem* exime, vitro vaporatorio immitte, & *lento igne ad juſtam inſpiſſa conſiſtentiam.*

Hac methodo ex omnibus radicibus, ac aliis ſubjectis aromaticis, fiunt Extracta. Quæ verò ut legitimè fiant, ſequentia veniunt obſervanda:

1. *Ut M. Balnei calor in abſtrahenda aqua*, ſeu humiditate, *ſit temperatus*, quò vitrum ſine aduſtione tangi poſſit, *principaliter cum ſuccus craſſeſcit*, ne tunc calore fortiori adhibito aduſtionem empyreumaticam contrahat Extractum.

2. *Quando* ſuccus craſſeſcere incipit, ac *cuticulam nanciſcitur*, per quam humiditas evaporanda impeditur *ſpatula lignea*, *crebrò agitetur*, & quod parietibus vitri adhæreſcit, cum reliqua commiſceatur maſſa. Quæ, cum ad conſiſtentiam debitam redacta eſt, vitris ſiccis indatur, & loco ſicco cautè ſervetur.

Spiritus vini additur aquæ, ut tam ſalinæ quam reſinoſæ extrahantur partes, & prout ſubjectum vel plus vel minus reſinoſum, ſpiritus vini doſis, vel augenda vel minuenda erit.

3. Cum præcavere haud poſſimus, quin ſubtiliſſimæ & volatiliores avolent particulæ ſalinæ, hinc illæ reſtitui debent v. g. *Si ex Cinnamomo*, *citri corticibus*, *roremarino*, *majorana*, *ſaſſafras* &c. Extractum extet, accipe ſacchari candi tantum, quantum eſt duodecima Extracti pars, huic *adde olei ex eadem radice deſtillati* q. ſ. pro Elæoſaccharo, & hoc Extracto commiſce, ac reſtituetur ablatum.

Vires cum radicibus concordant, niſi quod hîc concentratæ, & ℈j. plus earum obtineat, quam radicis uncia una, vel binæ ſæpius.

Exhibentur convenientiſſimè *in rotulis*, & *Morſellis.* v. g.

℞. *Saccha-*

℞. *Sacchari albi* ʒvj. *aquâ Angelic.* vel *Meliſſæ* ſoluto & ad conſiſtentiam manus Chriſti inſpiſſato, adde

Extracti Angelicæ ſubtil. pulv. ʒj. ß.
Carlinæ ʒij.
Olei eorundem ana. gutt. v.

Ms. f. Morſelli qui ſunt *bezoardici*, *alexipharmaci*, & ab aëre maligno inſigniter præſervant.

FECULÆ RADICUM.

Præter hæc ex radicibus parari ſolet farinaceus pulvis fecularum nomine inſignitus, cum fecum inſtar ad fundum deſcendat: Hæ ob cenſuram *Zvvölfferi* ſeveram, vilius habitæ hactenus fuere, tanquam pulvis viribus orbatus, *ſunt verò alii qui non penitus è foro Medico eliminandas cenſent*, cum ſint aliud quam ſubtiliſſimus pulvis, à craſſioribus ſeparatus particulis, ex hac causâ inventæ, ut palato magis arrideant, nec tanta copia, vel majori doſi offerri neceſſe habeant, parantur hunc in modum:

Primo ſtatim vere, uti *Martio*, *Aprili*, quamprimum folia egrediuntur, ut cognoſci ſaltem queant, *collige fodiendo radicum ſufficientem quantitatem*, quæ à terra mundentur, & ab exteriore cortice ſeparentur.

Poſt *in mortario lapideo contuſis tantum affundatur aquæ, ut pulticulam quaſi referant*, hæc lineo immiſſa *ſacculo fortiter exprimatur* ut exeat lacti ſimilis liquor: qui *in olla tectâ reponatur* per dies aliquot, donec fecula ad fundum ſedeat, tunc decantatâ aquâ, fecula cum ſpatula lignea exempta, in loco ſicco, ſed umbroſo extendatur ut ſicceſcat.

Alii absque aqua addita, contundunt radices, & ex ſucco expreſſo, per ſubſidentiam feculas colligunt.

Conducunt in affectibus, ad quos radix ipſa laudatur.

Doſis eſt à ℈j. ad ʒß. & ultra.

CAPUT

CAPUT III.

DE TRUNCO SIVE ARBORE.

RAdicem truncus ſequitur, hic denſioribus, ſed laxioribus, patentioribusque conſtat poris, unde tam potens minimè obtinet ſal quam cortex, cui ceu ſpongioſiori copioſius communicatur, & utplurimum volatile, trunco verò firmitatis cauſa fixius: huic verò in ſpecie trunco plus, alteri minus virium ductoris voluntate conceſſum eſt. Cum verò particulæ omnes ferè in oleum & ſal obriguerint, ignis ope ea ſeparanda erunt. Sic ex truncо deſtillamus ſpiritum, oleum, ſal, &c. v. g.

SPIRITUS & OLEUM LIGNORUM.

℞: *Ligni vel Quajaci, Buxi, Aloes, Ebeni, Santali* vel quodcunque libuerit, *minutim conſciſſum retortæ immitte, ad collum replendo*, ne vacuo conceſſo, materiaque calore extenſa, vitrum patiatur naufragium, repletam ligno retortam *cupellæ impone arenariæ*, & recipiente adhibito, igneque gradatim admoto, *deſtilla leniter* donec phlegmate egreſſo, *ſpiritus cum plus liberiori* prodire incipiat oleo, quo viſo ignem intendere poteris, donec nil amplius exeat. Tunc refrigeratis omnibus *ſepara ſpiritum* cum phlegmate, & *oleum*, quod ſi à fœtore empyreumatico liberare cupias, miſce *cum ſabulo puro*, & de novo ex retorta per arenam, leniſſimo ſemper igne, rectificato, donec leni calore ſubtilius oleum edeſtillatum ſentias, craſſiori cum ſabulo relicto, quod remove.

Vel *ſi ſubtilius* adhuc *expetis oleum*, ſume *ejus partem unam*, *aquæ fontanæ partes duodecim*, & ex cucurbita per Balneum deſtilla, ut cum aqua ſubtilius ſaltem aſcendat oleum, relicto craſſiori in fundo.

Vel ex veſica cum refrigeratorio deſtilla, ac citius rem perficies, præprimis ſi majorem olei copiam rectificare animus ſit.

Remanentes in retorta carbones, in cineres redigi poſſunt, & ex eis ſal ſeparari.

Jam

Jam dantur ligna, quæ *præter oleum*, *volatili sale* infarciuntur, ut optimè odorata, *Lignum Rhodium*, *Cypressum*, *Sassafras*, &c. hæc aliter tractanda: pro exemplo:

OLEUM LIGNI RHODII.

℞, *Ligni Rhodii* ℔. x. vel xx. prout libuerit, divide per medium, & inodoram albam partem ligni separa, flavam verò optimè odoratam *minutim scobinatam* vesicæ immitte *cum sufficienti aquæ quantitate*, additis *salis* tribus vel quatuor manipulis, *ac subitò destillationem institue*, & prodibit oleum subtile & clarum quod semper separa; *aquam* verò *reaffunde rursus* & destilla tam diu, semper reaffundendo aquam egressam separato oleo, donec nil olei amplius exeat, quod *intra tres vel quatuor sæpè dies* cessat; oleum verò primo die egressum subtilissimum: ut & odore suavissimum deprehenditur: reliquum etsi in copia majori egrediatur, vilius tamen est, & admodum tenax ac inodorum, quod lucri causa, subtiliori miscent destillatores, unde est, quod rarò purum inveniatur hoc oleum. Quod *si suavitatem perdat, ei restituitur* guttulis aliquot vel *cinnamomi* vel *caryophyllorum*.

In destillatione *sassafras*, & *cypressi*, multi non adjiciunt sal.

In destillatione Ligni per retortam, Liquor egreditur; qui ex cucurbita per arenam lenissimè rectificetur, & exit primo phlegma, postea *spiritus acidus*, quem seorsim excipe, in *Febribus malignis*, *insignium virium*, propterque acidas volatiles particulas, *Diaphoreticum eximium* suppeditans. Dos. ʒß. ad ʒj. cum aq. card. bened. vel alia.

Porrò ex quibusdam paramus Lignis duplicem Essentiam, sive Extractum, Resinosum, & salinum, v. g.

RESINA LIGNI QUAJACI.

Si ex Quajaco *rosinosum velimus*, sume hujus *ligni nigri resinosi raspati q. v.* affunde *spir. vini Tartarisati*, q. s. macerentur in B. donec spiritus sit probè tinctus, & Essentia saturatus, tunc *ad mellaginem abstrahe*, & remanet Extractum sapore & odore ligni satis imprægnatum.

Si salinum desideres, Resp. *Ligni rasspati* ℔. iij. *coque in vesica cum aquæ fontanæ mensuris* vj. clausa tamen vesicâ cum suo alembico, & refrigeratorio munitâ, recipuloque apposito, horis 24. liquorem egredientem semper reaffundendo. Hoc decoctum ovi albumine clarificatum ad mellis formam inspissa.

Hæc Essentia liquore aquoso solvitur facilius, quam resinosa, unde optimè cum jusculis, cereviſia, destillatis aquis, pro intentione Medici exhibetur, sed dosi optimè mensuratâ, propter salinas acriores particulas.

Si spirituosum simul & aquosum affundas menstruum, utrumque & resinosum, & salinum nactus eris Extractum.

CAPUT VI.

Foliorum & herbarum constitutiva docet.

HÆc pro fibrarum, & in fibris pororum coarctatione, vel dilatione, vires vel fortes, vel dissolutas magis obtinent, unde & *in quibusdam plantis salia & copia & robore antecellunt*, è contra in aliis. Sic quæ poris præditæ sunt arctioribus, *aquæ copiosiori* præcludunt aditum, quæ *si abundantior irruat*, salia nimium solvendo, *plantarum debilitat vires*: conspicimus hoc in eis quæ frigide vulgo vocantur, hæ copiosam aquam, rorem efficaciâ vix prævalentem, promunt, per aquam igitur nimia diluitu, salinæ conspicuitatis hostis est: quo plures itaque ac subtiliores plantarum fibrillæ, eo copiosiora ac volatiliora salia obtinent, unde pro horum quantitate, vel plus vel minus calida existit herba.

Virtutibus hisce delineandis non aptior datur via ac per ignem, hic nobis constitutiva plantarum primordia, ut phlegma, spiritum, sal, olem &c. ob oculos ponit, inter quæ unicum *sal pro copia & robore viribus conspicuum est*: nec enim oleum afficit linguam nisi salinæ in eo obriguerint particulæ, cum hoc ex illis oriatur.

Sed

Sed hic ad ignotum ſpecificæ virtutis aſylum tamdiu confugiendum erit, donec conſpicuæ reddantur harum particularum, *variatæ figuræ & compoſitiones:* inſudandum itaque ſedulò hic eſſet, ut omne herbarum ſal ad genuinum redigeretur ſchema, quod tamen in uno, quam alio facilius perficietur; ſiquidem *quæ ſale turgent, facilemque ſpirituum ſeceſſum*, & acceſſum patiuntur, figuris *magis conſpicuis donantur.*

DESTILLATIO HERBARUM in AQUAM.

Primò ſeparanda adſtat aqua, hæc *ſi ex vulgò frigidis*, utpote poſtea ſalis quantitate conſtantibus ſeparari debeat, procedimus hoc modo: pro exemplo ſit *Endivia, naſturt. aquar. cichoreum* &c. Ex his *contuſis ſuccus exprimatur*, & *depuretur* vel per ſubſidentiam, vel filtratione, ſi verò *viſcoſus* fuerit ſuccus, ut *borraginis, buglosſæ &c.* caleſiat; atque tum *cucurbitis ſtanneis immiſſus, ex arenâ humidâ deſtilletur*, vel leniori, vel fortiori calore, prout vel refrigerare, aut magis, aut minus aqua debet, *ſi enim fortiori pellatur igne, aſcendunt magis particulæ activæ*, caloris ſenſu præditæ.

Si verò herbæ ſint calidiores, & aqua plus activis imprægnata expetatur particulis, nec verò herba ſucco abundet, ut *majorana, rosmarinus, lavendula*, &c. tum ollæ immiſſa, *fervente humectetur aqua pulticulæ inſtar*, tumque reponatur olla, donec refrigeſcant, ac poſt *exprimatur ſuccus*, ut remaneat herba exſucca; hunc *ſuccum per veſicam deſtilla* primo leni poſt fortiori igne, donec ſuccus leniter bulliat, & aqua ad filum ſpiritus vini inſtar egrediatur, continuando hunc caloris gradum, *donec dimidia ſucci pars egreſſa* judicetur, non vero fortior ignis adhibendus, quam qui requiritur *ut ſuccus bulliat*, obſervato exacte refrigerio, ultimo vero caute ignem regendo, ne aqua aduſtionem empyreumaticam ſapiat.

Vel ſi tantum laboris impendere haud velis, exprimento ſuccum, *ſaltem herbam conſciſſam veſicæ immitte, & ſuperfuſa aqua fontanâ deſtillationem inſtitue*, & tantum aquæ abſtrahe, quantum ſentias ſapore & odore plantæ imprægnatum, primo enim ſemper melior exiit, viliori ſequente.

Si aquam desideres magis essentificatam, & particulis salinis volatilioribus imprægnatam, hoc procedas modo: pro exemplo sit.

Aqua Veronicæ Essentificata.

℞. *Herbæ Veronic.* bonam quantitatem, *concisam vesicæ immitte ad dimidias*, superfusaque *aqua* s. q. herbam coque, post exprime, ac *expresso succo rursus recendem infunde herbam*, coque, & exprime, hocque reitera ter vel quater, quo plus eo melius: hunc ita paratum succum destilla ex cucurbita vitrea in arenam humidam posita, ac primò exit aqua vilior, quam remove, & cum flavescentes incipiunt egredi guttæ, recipulum mutato, & alio apposito, ac firmiter adlutato, destillare perge, donec meliorem Essentificatæ aquæ partem egressam sentias, tunc cessa ac Essentiam serva.

Vires ob particulas salinas alcalisatas volatiliores insignes sunt, *purificat enim sanguinem, acidum infringit, urinam pellit, sudorem movet, obstructiones aperit, ac putredini resistit* &c.

Hinc conducit *in Febribus cum sale absynthii, conchis præparatis* &c. ad ʒij, & ultra propinata.

In Phthisi, vel ab ulcere, vel ab acida pituita maximè conducit, expectorat, consolidat.

Hepatis & Lienis obstructiones reserat, *icterum sanat.*

Renum obstructiones aufert, dispositionem calculosam destruit, & expellit.

Sanguinis scorbutici acres particulas oblinit, deterit, ac ideò in erysipelate convenit.

Obstructiones uteri reserat.

Anginam sanat pro gargarismo adhibita.

Vulneraria est interne propinata, & externè pro collutione applicata &c.

OLEA PLANTARUM DESTILLATA.

Si olea plantarum parari debeant v. g.

Si

Si *Menthæ*, *Meliſſæ*, *Salviæ*, *Ruthæ*, *Abſynthii*, *Majoranæ*, *Lavendulæ*, *Rorismarini*, *Thymii*, *Baſiliconis*, &c. Oleum deſideretur :

℞. *Herbæ unius vel alterius* bonam quantitatem, *cum ſemine, groſsè conciſam veſicæ immitte*, & *affuſa aquæ ſufficiente quantitate*, ut continuo bulliat, ſed leniter, deſtilla, & repetitis vicibus, ſemper recenti herba deſtillationi commiſſa, colliges faciliter duas vel tres olei lotones, plus ex hac quam ex illa, ſic ex *foliis rorismarini ſiccatis*, duæ vel tres poſſunt haberi olei drachmæ, ex aliis minus, prout vel arctiores ac ſubtiliores, vel magis patentes, à naturâ vel ſpecificâ ac intrinſecâ formâ obtinuerunt fibrarum poros, & inde vel copioſiori vel pauciori ſale imprægnata extant.

Si fixum ſal expletis.

Sume *herbæ bonam quantitatem*, craſſiori caule prædictam, hanc *combure loco aperto in cineres*, ac *in aheno ferreo*, *aqua ſufficienti coquendo elixivia repetitis vicibus*, donec omne ſal ex cineribus extractum ſentias. Hoc facto *omne lixium celeri igne decoque* ut remaneat ſal, quod *repetitis ſolutionibus & filtraturis* aliquoties *purifica*, & habebis verum & genuinum plantæ fixum ſal, at in multo minori doſi quam *ſi cum ſulfure calcinatio facta* ſit, quo conjuncto elegantiores & abundantiores nanciſceris cryſtallos, at multo à priori & genuino differentes, hac enim additione *convertitur Alcali in muriaticum*, *viribus genuinis hac alteratione orbatum*, & acido ſaturatum, quod ceu Alcalinum, imminuere in corpore debebat acidum errans, jam verò hoc ſaturarum genuinis facultatibus orbatum reſtat, *Vacuum igitur eſſe debet*, ſi pro intentione acidum ſuperfluum & errans ſibi aſſociare debet.

Ex hoc eſt quod omnia Alcalia unius ſint ſpeciei, *nec differant niſi vel volatilitate vel fixitate*, vel copiæ ratione, in hoc vel illo ſubjecto : ſic *arbores* qui *per hyemem viridantes* gerunt comas, qua volatilem hoſpitem arctioribus poris conſtiparunt, *copioſius & efficacius promunt ſal*, *inprimis ſi virides calcinentur* : ſic videmus

lotrices lignorum viridium cineres arefactorum cineribus anteponere, cum fortius ex illis lixivium parent. Prout jam inter viridia compactiſſima, ita inter arida, quæ à putredine longius diſtant, plurimum largiuntur ſalis; per putrefactionem etenim exhalant ſponte, quæ alias fortioribus flammis quantis per fixari potuerint volatiliores particulæ.

Non igitur ſibi perſuadeant Medici, *Alcalia plantarum viribus ad amuſſim eſſe æmula*, dum *ſal abſynthii inventriculi* affectibus, *euphraſiæ verò* &c. *in imbecillitate viſus, ſtipiti fabarum in nephritide* præſcribunt, ſed omne hoc diverſæ concretorum craſi, vel volatilitati vel fixitati adſcribunt, & hinc pro majori, vel minori volatilitate, vel fixitate, variantibus pororum diſpoſitionibus:

Alcalia etenim *volatilia longe fixis præſtant*, cum & Acido abſorbendo, & ejus ſpiculis obtundendis, plus conveniant, ſicuti nobis volatilium effectus ſufficienter commonſtrant.

Hinc tanto levamine *arthriticis*, *Hypochondriacis* &c. *ſal volatile* C. C. *viperar. ſpir. ſalis armoniaci* &c. propinantur, quia cum his expeditius, intimiusque, acutiores Acidi copulantur particulæ, quam cum fixioribus, quæ ſemper terreſtreitatis quid, etſi ſæpius calcinata & purificata ſint, combinata continent, nec appropriatos etiam obtinent poros propter Acidum ex igne jam hauſtum.

Cum itaque volatilia majoris ſint fixioribus efficaciæ, & energiæ, hinc laudem merentur illi, qui loco ſalis fixi, *volatile ex plantis per fermentationem parare docuerunt*, quo major ſalinarum particularum copia, ſoluto nexu, diſponatur, ut loco ſalis fixi, olei &c. volatile nobis reddant ſal. Excellit in hoc nobiliſſ. *Wedelius*, qui ſingularem de his edidit tractatulum, ex quo methodum huc transferamus, & quomodo eliciatur.

Ex plantis ſal volatile videbimus.

Æſtatis medio, ſeu calidiori tempore, bonam plantæ quantitatem, quam volueris recipe, *ſepara inde folia*, & ſeorſim caules, ſtipitesque abjice. Hinc eadem vaſi firmo indas bene claude, & *repone*

donec

donec omnimodè fermententur, & putrefiant, atque in pultis formam redigantur, quod in quibusdam tardius, in alius citius fit. Hoc facto *massam destilla*, igne primum mediocri, & exit aqua, qualis ex plantis elicitur ordinariè, *hinc spiritus, & sal volatile succedunt*, & circa finem oleum crassum, nigrum, & fœtidum exit, quod cum sale volatili jungendum, sæpiusque ab eo rectificandum, quo olei major pars in sal volatile faceſſat.

Circa hanc fermentationem, vel putrefactionem notandum venit.

1. Dum hæc inchoatur, *valde incalescit herba*, præprimis circa medietatem seu centrum, hicque calor tam fortis est, ut impositam manum lædere soleat.

2. *Posthæc corruptio incipit*, vel putrefactio, omnes plantarum naturales qualitates immutans, non solum sensibiles, sed & specificas: adeo ut

3. Planta bonum gratumque odorem exhalans, *fœtida corruptaque evadat*, æque ac alia, cui hæ qualitates, vel qualia non insunt, atque fœteat, ut odor æque intolerabilis vix alius detur. Sed fœtor hic non multum durat, sed omnino disparet, simul ac planta destillationi subjicitur.

4. *Plantæ humiditate & pinguedine pollentes, duplo citius* quam magis siccæ, aromaticæ, & tenere *putrefiunt.*

5. Putrefactione durante, interdum in medio vasis, licet nullus eo patuerit aditus ab extra, *magna vermium, muscarum, aliorumque insectorum quantitas fuit reperta*, quæ verè ex putrefactione orta sunt.

6. *Vermes hi sal volatile non largiebantur*, verum alium ab hoc diversum liquorem.

7. In hanc plantarum destillatione primo apparet aqua ascendens, sub guttarum satis grossarum forma, congregaturque, & in recipiens cadunt: secundo, ascendentibus spiritibus, *sub nubium seu nubecularum specie* illos evehi cernes, *qui difficulter colliquantur*, & strias habent diversificatas, ac intortas, quemadmodum in destillatione spiritus C. C. accidit: *tertio denique oleum apparet fœtidissimum*

mum, quod, cum volatiliores particulæ in ſal volatile mutatæ ſint violentiſſimo, & ſumme aucto igne exit.

8. Nunquam aliud præter hoc oleum obtinui, peracta putrefactione, quæ ſi perfecta non ſit, exit oleum Eſſentiale, plantæ odorem adhuc referens.

9. Plantæ quæ olei Eſſentialis multum dant, plus olei fœtidi emittunt, quam aliæ, & contra.

10. Inter ſpiritus & olea hæc, quædam ſæpius ter, vel quater rectificari amant.

11. *Hoc ſal volatile rectificatum, omnes ſalis urinoſi qualitates habet*, adeo ut inter ipſum, & ſal volatile C. C. *urinæ*, vel *ſalis armoniaci*, nulla ſit differentia: Omnes etiam effectus producens, quos hoc, ac *Diaphoreticum*, *Diureticumque* ſit, Acidum ſibi jungendo, cumque hoc muriaticum vel armoniacale æmulando.

12. Quod magis eſt, hæc ſalia volatilia à ſe invicem neque quoad qualitates ſenſibiles, neque quoad effectus differunt.

13. Nullam deſtillavi plantam, quæ omnes has partes, de quibus modo dixi, non reddiderit.

14. *Poſt deſtillationem in vaſe ſe offert odor moſchum fere redolens*, qui nullo modo tolli poteſt, licet per annos aliquod aëri expoſitum fuerit vas.

15. Caput mortuum nullum largitur ſal fixum.

Hæc Wedelius. Ex quibus luculenter noſtra defenditur aſſertio, *ſalia in genere Alcalia præſertim vegetabilium non differre à ſe invicem, niſi vel fixitate, vel volatilitate*, hancque plantam, aliâ vel volatilius, vel fixius, ex diverſa concretione obtinere Alcali: quippe quod in levi tilia undique diffuſum ſit ſal volatilius, indicat ejus ex celeri motu proceritas; & quid ni *volatilius ſal in chelidonia, ophthalmicum magis eſt*, quod calcinatione non perit. Non enim calcinatio totalis eſt virium deſtructio, ut erroneè nonnulli volunt.

SAL

SAL ESSENTIALE PLANTARUM.

Portò parant alii ex plantis, inprimis acidis, ſubſtantiam, quam ſal Eſſentiale vocant. Nil vero eſt aliud quam diverſæ ſalis, & tam acidi, quam Alcali particulæ, aqua nimia dilutæ, nec firmiter hinc ſibi implicatæ, quæ contuſa herba, & ſucco ſeparato, facile fundum petit, hæc ita paratur:

Sume *herbæ acetoſæ vel acetoſellæ ſuccolentæ viridis* q. l. ſereno cœlo collectam *contunde in mortario lapideo*, & *ſuccum exprime*, huic addè *albuminis ovorum* q. ſ. tum coque, donec feces ope albuminis ſeparatæ conſpiciantur, & ſpuma ſeparata ſit, ubi tunc coletur ſuccus per manicam ut clareſcat, hunc *clarificatum ſuccum evopora ad dimidias*, & ad cryſtalliſandum loco frigido committe, *vel ad conſiſtentiam melleam inſpiſſa*, & in Eſſentiam redige quod melius eſt.

Hæc ob acidas ſalinas particulas facilem bilis effervescentiam refrænat, ac hinc hepatis calidiori diſpoſitioni conducere videtur.

CAPUT V.

Florum Anatome.

HI ultimum ferè *plantæ*, & *perfectum productum*, ex ſubtiliſſimis olei in ſulfur concretis particulis conſtant, ubi latior earundem, per tenuiores lamellas, expanſio, flores colorat; & quo compactiores eædem ſulfureæ largiuntur particulæ, eo colorem implicant rubicundiorem, in flavum, ſubflavum, & albidum declinantem, pro particularum variata textura, & mixtura:

Quò enim *particulæ* hæ *ſulfureæ in minores diſtrahuntur partes*, tantò magis evaneſcit, & extinguitur color ejus, & contra, quando impetuoſior ſulfureorum agitatio & intimior mixtio colores intendit; velo-

ciſſimus enim & aduſtioni ſimilis motus nigredinem, imbecillior flavedinem, ex rubedine emergentes infert.

Sulfuris itaque *appropriatæ particulæ* ſunt, quæ *diverſimodis extenſionum, & contractionum formis ſubjacent*, quibus interveniens luminis ictus, pro partium poſitura, colores variat.

Horum verò colorum differentias accuratè dimetiri, difficile eſt, niſi *per figuratorum ſchematum ſitum demonſtretur*, utpotè maximè variantem; Non enim ſimili particularum poſitura componuntur delectabiles, quam qui non delectant colores.

Subtiliores florum particulæ ſalinæ in ſulfur transmutatæ, variè ab artificibus ſeparari conſueverunt, vel *absque prævia, vel nulla prægreſsâ fermentatione*, verùm fermentatione liberatæ, majori & copia & ſubtilitate prædita exeunt. Simpliciorem prius dabimus methodum: pro exemplo nobis ſint *Roſæ*, quæ *duplicem* nobis præbent *aquam*, vel *refrigerantem*, vel *calefacientem*. Si refrigerans plus expetatur.

Aqua Roſarum Refrigerans.

Deſtillatio inſtituatur per B. arenæ humidum, moderato calore, cui intentioni *Roſæ albæ* melius adhibentur, ceu ſulfure minus perfecto præditæ, minusque ideò calidi ſenſum inducentes, inprimis *ſi leni admodum Balnei calore deſtillatæ fuerint*, ubi ros ſaltem vegetabilis, activis particulis minus ſaturatus prodierit.

Si vero Roſarum aqua maximè deſideretur odorata, & activis particulis maximè impregnata ac ſpirituoſior, deſtillatio *per veſicam* inſtituitur, *adjectâ tamen aquâ*, ne hic adurantur flores, cum fortior in his requiratur calor, ac in eis per M. B. deſtillandis, *ut activæ expeditius liberentur particulæ*, quæ ſi *leni calore* pellantur, vel *ægrè aſcendunt*, vel aquâ decedente ultimò empyreumaticum imprimunt odorem. Deſtillatio itaque hunc in modum fiat:

AQUA ROSARUM CALEFACIENS.

Recipe *roſarum optimè odoratar.* vel *recentium* vel *ſalitarum*, menſuras quatuor, veſicæ inditis ſuper affundæ *aquæ fontanæ* menſuras ſex,

ſex, & deſtilla, *refrigeratorio optimè obſervato, ut quarta ſaltem liquoris pars excipiatur ſeorſim*, reliqua verò quæ ſequitur, ceu vilior, recentibus roſis reaffundi poteſt, atque ita exaltari in nobiliorem roſarum aquam, ſemper tamen primò egredientem quartam excipiendo partem, quam ſi ultrò ſuper recentes rectifices roſas, efficaciſſima, & maximè ſpirituoſa evadet.

ROSARUM CONSERVATIO.

Cum ſæpè major roſarum ſuppetat quantitas, quam commodè, eo quo proveniunt tempore, deſtillari poteſt, inventus eſt modus quo diutius aſſervantur roſæ, ut poſtea tempore plus convenienti in aquam deſtillari queant: hoc verò ita fit: Sumitur *roſarum ſufficiens quantitas*, roſæ *ſale inſperguntur, miſcentur & doliolo vel ollæ induntur magnæ vitreatæ*, vel cucurbitis vitreis, *& fortiter comprimuntur*, atque hoc modo vaſculum repletur, quod tum *loco frigido aſſervatur*, ſalis tantum additur quantum pro conſervatione ſufficere videtur.

Hæc de aquis absque prægreſſa fermentatione deſtillandis: ſequitur earum deſtillatio, prægreſſa levi digeſtione paulò aliter inſtituenda. v. g. pro exemplo nobis ſit.

Aqua florum ſambuci ſpirituoſa, per Fermentationem.

Reſp. *Florum ſambuci* recenter à caulibus mundat. q. l. *imple eis cucurbitas aliquot vitreas*, fortiter eoſdem, & quoad poſſibile, comprimendo, tum cucurbitas claude alembicis cæcis, ne quid reſpiret (hoc item opus in ſtanneis poteſt inſtitui cucurbitis:) Hæ ita *repletæ floribus cucurbitæ, balneo impoſitæ*, mediocriter calidæ, ut manum ferat, *per tres dies ſemper æquali digerantur calore*, donec flores ſua propria humiditate reſoluti conſpiciuntur, & in pultem quaſi abierunt: tum *exprime ex eis ſuccum, & deſtilla per veſicam*, donec tertia pars egreſſa judicetur, & nactus eris aquam admodum nobilem, in *Hydrope, Eryſipelate, Febribus malignis, variolis* & aliis per diaphoreſin diſcutiendis, maximæ efficaciæ & virtutis.

Sic *ex floribus Tunicæ sivè caryophylli hortensis*, tali modo elegans destillatur aqua odorata, exempl. gr.

AQUA FLORUM TUNICÆ.

℞. *Florum caryophyllorum suavissimi odoris recent.* ℔ iij. concisa minutim immitte cucurbitæ vel vitreæ, vel stanneæ, & superaffunde *aquæ rosarum refrig.* & per balneum destillatæ ℔ iij. clauso vase, cum *superposito alembico cæco, digerantur* ut supra per 40. horas, tum digestam hanc massam ex vesica s. a. destilla, primam tertiam saltem excipiendo aquæ egredientis partem, refrigerio curiosè observato, & aquam nactus eris admodum pretiosam, cordialem cephalicam, in Apoplexia, Epilepsia, Convulsionibus, &c. insignioris usus.

Si omnino spirituosa desideretur florum aqua fermentatio compellanda, quæ particulas ita disponit, & suo dissolvit nexu, ut in spiritum volatilem, pro phlegmatis mensura efficacem evehantur, omnem à volatili sale energiam nactum: exemplum nobis præbet.

Spiritus rosarum ardens.

Quia ita fit. Recipe *rosarum optime odoratarum*, sufficientem quantitatem, in lapideo mortario *contusas, doliolo quercino immitte*, ad sedecim circiter mensuras, tum *in aq. rosar. mensura solve fermenti magnitudine nucis juglandis*, & ferventem infunde, atque doliolum diligentissime claude ne aër penetret, inque loco calido repone, per 14. dies, tunc reclude vas, atque rosas in pulticulam conversas vesicæ immitte, & leni destilla igne, donec duæ circiter egressæ sint mensuræ; quas cucurbitæ vitreæ inditas ex M.B. rectifica, ut quarta saltem excipiatur pars seorsim.

Aliis addito rosis saccharo, fermentatio instituta placet. v. g. ℞ *Rosarum fragrantiss.* tempore sicco collectarum, ac nondum penitus apertarum ℔ xxx. contunde minutim, & cum ℔ iiij. *sacchari candi* f. s. a. f. f. f. in olla vitreata obturata probè, atque ita *stent in fermentatione per dictes* 14. dies præter propter, *in loco calido, vel ad Solem,*

atque

atque *cum Acidum ſpirant aut vinoſum quid*, affuſa aqua roſata ex veſica deſtilla, egreſſamque aquam ut ſupra per vitrum ex M. B. rectifica, ut nanciſcaris ſpiritum roſarum ardentem.

Citius fermentatio inchoatur, *ſi aqua roſarum calefacta*, ut in priori præparatione, ab initio in debita quantitate adjicitur.

Vires magnæ ſunt, ubi ſpirituum vitalium refectione opus habemus, ut in animi deliquiis, virium diminutione, &c. ubi etiam externè pulſibus applicatus præſtat.

SPIRITUS LILIORUM CONVALLIUM.

Porro ſpiritus vini ope volatiles activæ eliciuntur particulæ ex floribus, hoc modo:

℞. *Liliorum convalliam recent.* à caulo mundat. ℔. xij. cucurbitæ inditis ſuperaffunde menſuram unam & ſemis *vini generoſi Malvatici*, vel aliud *Moſchatellini* & generoſioris genus, tumque *compreſſa fortiter*, *ſtent per tres dies in loco frigido*, tum immitte veſicæ, cum quinque cantharis *aquæ fontanæ*, & deſtilla, ac unum & primò egredientem ſolum aquæ cantharum ſeorſim recipe, reliquamque viliorem alii uſui aſſervans.

Vires ſunt in ſpecie *cephalicæ*, unde in *Apoplexia*, *paralyſi*, *epilepſia*, & ſimilibus cerebri affectibus maximo cum effectu propinatur hic nobilis ſpiritus.

DESTILLATIO PER DESCENSUM.

Heic curioſitas artificium adinvenit modum, quo hos & ſimiles ſpiritus mediante ſpiritu vini per deſcenſum deſtillant: pro exemplo:

℞. *Lilior. convall.* q. l. *linteo* mundo ſubtili *indita*, *impone collo cucurbitæ vitreæ*, ſubſtrato in fundo cucurbitæ *ſpiritu vini*, tum alembico ſuperpoſito, ex arena leviter deſtilla, atque aſcendens ſpiritus floribus in ſuperiori colli parte poſitis adhæret, ibique recolligitur ad fundum rurſus deſcendens guttatim, atque ita quaſi circulando Eſſentiam efficiens, modo noto.

AQUARUM INSOLATIO.

De aquarum insolatione nota, eam non omnibus in genere convenire aquis, sed eis solum, quibus activæ non in magna copia insunt particulæ, ut hinc correptioni maximè subjecta extent, nisi solaribus adjuventur radiis: Si verò turbida ac mucilaginosa existat aqua, filtretur per arenam mundam: vel vitrum pulverisatum, atque tum solaribus exponatur radiis per æstatem ut servetur.

OLEA FLORUM DESTILLANDI MODUS.

Hæc de aquis: *sequuntur olea*, quæ itidem *vel cum, vel sine fermentatione*, & infusione alia ab artificibus parari consueverunt, processus *absque fermentatione* in hunc instituatur modum:

Sumitur bona *florum vel liliorum convallium, vel arantiarum, vel citri, jasmini* &c. quantitas, quæ *vino generoso inspergitur*, sicque mixta manet per noctem, postmodum *additur aquæ sufficiens quantitas*, quo in ea natent flores, ac ita destillatur per vesicam leni & æquali semper calore, ut aqua continuatim leniter bulliat, & cum quarta fere pars aquæ egressa est, cessa, atque hanc per tres dies in loco frigido repone, ut supernatet oleum separandum.

Atque hoc modo omnes flores suaviter odorati destillantur ut oleum genuinum præbeant: non verò opus est & necessarium, vinum addere, nisi aquam simul efficaciorem expetas.

Si qui verò sint flores qui tenaciter oleum nobis exhibeant, illi mediante fermentatione eò disponendi sunt, ut hoc leviter fundant. v.g.

Recipe *liliorum convallium* bonam quantitatem, in mortario lapideo *contusa cucurbitæ immitte* comprimendo fortiter, & in cellam repone *per quatuor menses, quo putrescant probè*, tunc alembico superposito juncturis optimè clausis, ab initio leniter destilla, atque *ascendit spiritus adinstar spiritus vini*; post phlegma prodit, quod seorsim colligendum, ultimò remanet massa crassior, cui spiritum primò egressum reaffunde, atque clausa digerantur per aliquot dies, tum rursus abstrahe, rursusque reaffunde, huncque laborem tam diu reitera, donec oleum cum spiritu clarum, quod plerumque in

quinta

quinta deſtillatione fit, exeat, atque nactus eris oleum fragrantiſſimum. Hoc verò modo duplo plus acquiris olei, quam per veſicam, ſicque optimè deſtillantur *rorismarini, caryophillorum hortenſium, jasmini, flor. citri, arant. &c. oleum*, ut *Agricola* habet.

Datur item modus, quo, addito oleo, ex floribus ſimiles & æquales eliciuntur olei particulæ, pro exemplo habemus.

Chamomillæ cæruleum oleum. Per infuſionem.

Quod ita fit. ℞. *Florum Chamomillæ à ſtipitibus mundat.* quantum dimidia capit veſicæ pars, *affunde aquam*, ut tamen adhuc tertia veſicæ pars vacua remaneat, tum *caleſiant*, atque affunde *olei petræ albi* q. ſ. ſcil ſi veſica capiat viginti liquori menſuras, tunc ℔. ß. olei, & ultra additur,) probè mixta ac alembico tecta, ita *ſtent in digeſtione per tres dies absque tamen igne*, poſtea ahdibito igne deſtilla, adhibito refrigeratorio, ſed leniter, donec oleum exeat jucundè cœruleum, quod ab aquâ ſeparandum & aſſervandum: ſi verò colore cœruleo non ſat impræg̃natum ſit, recentibus ſuperaffunde floribus, & laborum reitera, donec at rideat color.

Nonnulli *loco olei petræ, therebintinæ ſpiritum ſubſtituunt*, ſed hic perdit colorem, quem illud tenacius ſervat, cum odore genuino.

Vires inſignes ſunt: *emollit, penetrat, aperit, dolores lenit, confortat, calefacit*: hinc *catharrhos abſumit, dolores artuum pacat, odontalgiam curat, aurium dolorem ſedat* externè adhibitum. Internè *nephriticum eſt & diureticum eximium.*

Eſt hic alius modus Italis uſitatus, quo mediantē infuſione olea ſua odorifera parare ſolent. v. g.

℞. *Florum Jasmini recent. ſuaviter odorat.* q. l. *Amygd. dulc. excorticat.* ac nonnihil ſiccat. ac confract. q. l.

Cum his fiat *in cribro ligneo*, aut alio puro vaſe S. S. S. ultimò orbiculo ligneo ſuperimpoſito paulum gravando.

Poſtero die ab amygdalis ſegregentur flores, novisque & *recentibus floribus* eædem *ſtratificentur amygdalæ*, aliquo ut prius pondere

dere nonnihil gravando; *his labor frequentius semper cum recentibus floribus reiteratus*, tibi fragrantissimum largitur oleum, simplici saltem & absque igne, expressione eliciendum.

Simili modo suavis odor elicietur *ex Arantiarum, citri, anthos, rosarum floribus*, item *ex thymo* & similibus odore fragrantibus plantis aliis.

Præfertur hica mygdalis *oleum Been officinarum*, si hoc *gossipio exceptum* cum prædictis sæpius *stratificetur floribus*, sufficienterque tum fragrantissimo imprægnatum odore è gossipio exprimatur, qui modus durabiliora efficit olea, ut non facile rancorem contrahant, atque hic modus multis in secretis habetur.

SAL FLORUM VOLATILE.

Sic etiam flores sua exhibent salia, si datur illorum copia; volatilia verò cum fixis præstent, atque flores magis volatilibus, quam fixis constent particulis salinis in sulfur exaltatis, saltem ponamus modum qui volatilia separat dispositа.

Sic ℞. *Florum anthos, jasmin, lilior. convall.* &c. *rore majali* imbuti, vitro impositi putrefiant in cella, aliquot mensium spatio, & resolventur in liquorem acutissimi & fragrantissimi odoris, qui *ex retorta destillatus* urinosum volatilem salinum fundet spiritum.

FLORUM TINCTURÆ.

Si florum Tincturæ & colores separata desiderentur, & à substantia reliqua extracta expetantur, ut pictoriæ arti inserviant, & aliis rebus colorandis:

Fiat *ex soda vitriariorum*, vel *sale Alcali*, & *calce viva lixivium* mediocriter potens, in hoc lixivio ad lentum ignem *recentes coque flores, ut lixivium omnem florum extrahat colorem*, cujus signum est, si flores extracti albicantes & decolores, & è contra lixivium instar elegantis tincturæ appareat: tunc exemptis floribus, foco ad bulliendum appone, eique *tantum aluminis rochæ superadde*, quantum dissolvi ab igne poterit.

Deinde ablatum ab igne *lixivium, in vas aqua limpida impletum effunde,*

effunde, & color fundum petet, quo facto quiescat aqua & decantetur, atque alia recens affundatur, & *cum tinctura resederit, decantetur*, idque reiteretur, donec sal lixivii & alumen omne à tinctura ablatum sit, notando *tantò magis pulchrum & elegantem fore colorem, quantò tincturam à sale lixivioso & alumine magis aquâ purgaveris :*

Aquam autem intelligo *communem, cujus beneficio sal lixivii & alumen aufertur*, subinde autem antequam decantetur aqua, subsidere aquam permitte, idque tam diu repete, donec aqua sine salsedine & non mutata exeat: id enim ablati salis & aluminis signum est, & *tinctura in fundo remanebit elegans* atque pura, quam aqua decantatâ super segmentis lini candidi extendes, & lateribus recens coctis in umbra siccabis, & *habebis laccam quæ Victoribus simul & ad Balsama coloranda* inservire poterit.

Multum curæ impensum est in hoc menstruum; Id quod *ex calce viva & soda fit*, ut dictum supra, optimum est, cineres tamen ollares ut vocant vel clavellatos & alumen idem præstant.

Sunt qui omne colorum genus pro plantis, mediantibus his sibi comparant, & flores cujuscunque generis maximè conspicuos, videlicet *genistæ, papaveris, caryophyllorum*, & innumeros alios, propriis suis atque genuinis coloribus in ingenti volumine ad vivum adumbrant.

Colores perspicui solutionem aluminis tantum requirunt, à sale enim acriore destruuntur, ut in arte tinctoria & cineribus smegmaticis apparet.

CAPUT VI.

Seminum Analysis.

SEmen Vegetabilium *à principio duo emittit folia*, per quæ liquorem ex terra attrahit, & hoc tam diu, donec confectæ sint radices, ut ipsarum postmodum ope terræ succum ebibant.

Minori vero aqua imbuuntur semina reliquis, si enim illa, ad altissima plantarum fastigia salia provexit, iis tunc arcetur, quia *in tanta circulatione salia abierunt in olea*, quæ aquam sua lubricitate mixtioni ineptam, subtilissimis seminum poris præcludunt.

Olea verò *ex eis magna copia eliciuntur*, partes enim crassiores nutrientes, porosiores fibras radicis, trunci, ramorum infarciunt, subtiliora verò salia per capillarium fibrillarum anfractus rectificantur in semine, ac in oleum convertuntur, quod subtiliori Solis motu exagitatum expanditur in tenuissimas subdivisorum oleorum lamellulas.

In Sole itaque & sal omnia. Cum enim nulla res corporea suâ vi sursum feratur, impulsore opus est, antequam vertex adeatur, quem quando salinæ particulæ per varias fibrillarum torturas compulerunt, arctissimè unita faciessunt in olea.

Modus separandi hic est pro exemplo:

OLEUM ANISI.

℞. *Sem. anisi* ℔ iiij. immitte *integrum vesicæ*, suo refrigerio optimè munitæ, ac superfunde *aquæ fontanæ* mensuras sex, atque juncturis justè clausis, *recipuloque adhibito*, destilla ut leniter aqua bulliat, idque continua donec nullum amplius egredi sentias oleum: summa verò *opus est diligentia, in hisce oleis colligendis*, nec nimis festinendum, nec tardandum nimium, si enim calorem adhibeas fortiorem aduritur oleum, *si verò leniorem nil ascendit*. Quædam verò leniori, quædam fortiori igni pellenda: sic *oleum anisi facilius ascendit quam aliud*, ac primis id funditur destillationis horis, *secus quam fœniculi* aut *petroselini semen*, quæ, si per biduum destilles, semper aliquid exit olei.

Cautè hinc observandum, ut aquam egressam, vel recenti, vel semper egressa (oleo separato,) resarcias, ne adustionem semina patiantur.

Tria igitur hic veniunt cautè advertenda, ut *ignis* justè mensuretur, *aqua* refundatur, *& refrigerium* sæpius mutetur, quod, quo sæpius alteratur, eò purius olea ascendunt.

SAL

SAL VOLATILE ex SEMINIBUS.

Jam ad ſal deveniendum, quod plus volatile, quam fixum, pro fibrillarum vel denſitate vel poroſitate ſemen obtinuit, ac ita ſeparatur.

℞. *Seminis rutæ, cochleariæ* &c. ℔ j. ſiccatum & mundatum *retortæ vitreæ immitte*, ac lento igne deſtilla, primò exit phlegma, poſt *cum ſpiritu ſal volatile*, pulcherrimis rhombis recipientis lateribus ſe affigit, ſequente oleo eleganti & copioſo.

Paucis horis re feliciter peractâ, *ſeparetur oleum à liquore volatili urinoſo*, vel mediante filtro, vel tritorio minori, conquaſſato tamen leniter recipulo, ut ſal volatile lateribus adhæreſcens, liquori immergatur, in quem finem etiam *modicum ſpiritus vini*, pro majori ablutione recipulo infundi poteſt, & tunc ſervari ad uſum.

Vires cum aliis ſalibus volatilibus communes habet, *oleum poteſt rectificari cum aquâ copioſa*, vel Alcalinis ſordes attrahentibus.

Notabile eſt, quod impetuoſa vi ſeceſſum faciente ſale volatili ab oleo, ſub finem vel in medio deſtillationis facile rumpi ſoleat retortæ corpus, præſertim, ſi paulo major deſtillationi fuerit commiſſa quantitas, licet ignis non adeo fortis adhibitus egreſſum urgeat, exprimento *Cl. Wedelii.*

Paucis hic expediendi veniunt fructus, in quorum maturatione, Qualium gradus accurate obſervantur, *acerbum enim in auſterum, auſterum in acidum, & hoc in dulcem rurſus mutatur ſuccum*: gradibus igitur hæc differunt, ubi *diurnior ſolarium radiorum influxus dulcedinem adfricuit*, unde & hæc ſpirituum elaborationi apta præſtò ſunt, ut *ceraſa, juniperi baccæ* &c. quæ mediante fermentatione ardentem nobilem fundunt ſpiritum.

CAPUT VII.

Gummitum reſolutionem habet.

GUmmita ſuperflui alimenti particulæ ſunt, ad cortices propulſa, hinc ſale minus elaborato, terreſtreisque particulis maxime

imprægnato constant, hincque minus subtilisatæ salinæ particulæ concretionem induxerunt, ramositatibus sibi invicem implicaris admodum, unde tenacius oleum retinent, subtilius vero debito adhibito igne reddunt, quæ vero leviſſime concreta extant, fluiditati proximiora sunt, ut therebintina.

OLEA GUMMITUM.

Modus separandi olea levis est, instituitur optime simplici saltem cum aquâ destillationi, ad ℔ j. *gummi* v.g. *Ammoniaci*, vel *galbani* &c. assumendo *aquæ mensuras duas*, & ex vesica s. a. destillando, prodit vero subtilius oleum, crassiori remanente, quod aquâ exhalari permissâ, pristinam recuperans concretionis gummosæ formam, alii inserviet usui.

Quæ vero multum subtilis continent olei, ut *therebentina, tacamahac. gumm. animæ* & similia, hæc *plus aquæ requirunt pro vehiculo.*

Si vero gummosa concretio plus activis particulis contensata, ac firmissimè sibi implicatis indurata extet, ut *mastix* &c. *Destillatio per retortam adhibetur*, soluto prius gummi *in aceto destillato*, post filtrato; *liquorem filtratum cum argilla impastando, conglobando, siccando*, atque tum retortæ inditos globulos igni committendo, egressum vero *oleum cum aquâ pura per vesicam rectificando*, atque hoc modo galbanum storax, bdellium & similia etiam destillantur.

CAPUT VIII.

Vini analysin exhibet.

SUmmus hic vegetabilis succus, mobili socio stipatus, eundo vires acquisivit, aqua etenim arctissimum cum volatili sale iniit connubium, quò per lentam vitis medullam moveri queant velocissime, constrictiori inclusa ligno, per quod tamen spiritus volatiles

altiori

altiori donanda volatilitate ſubtiliſſima vibrant ſpicula, quæ, ſi ex uvis eliciantur, *vinoſus* illicò *ſuccus* profluit, qui tamen *deſtillatus merum phlegma reddit*, volatilibus ſpiculis ſive ſpiritu remanente, *ob nimium firmum aquæ & ſalis ſodalitium*, quod ex diurnâ circulatione pepigerunt.

Quare *mediante fermentatione demum ex muſto vinum proliciendum*, quod indigeſtum copioſius ſal ſegregetur, ac ſpicula emergant penetrantiora, quæ tamen in his noſtris *Rhenanis*, ac aliis, frigidiori ſub Jove productis, non adeo turgent, ut per ſaporem & vires luculenter patet; ſæpius enim *conſpicimus Bacchi filios pro grato acidatis guſtu, arthritidis pœnas luere.*

Et quis huc morborum transferet ſeriem, quam *Paracelſus* à Tartaro deducit, in quo acidum ſuâ coagulatione omne tulit punctum.

SAL VINI VOLATILE SIVE SPIRITUS.

Jam ſi vini illud volatile ſal expetatur, ſpirituum deſtillationibus & rectificationibus inſudandum, communiori verò methodo, ſed probè ita ſeparatur à vino. v. g.

Veſicam ſuo refrigeratorio debitè inſtructam, *vino ad dimidias reple*, appoſitoque capitello ſtanneo, juncturis probè clauſis, ac recipulo adlutato, igni appone & ſ. g. deſtilla, donec ſtriæ diſpareant *& ſpiritus ſeparatus ſit.* Quem ſi rectificatum velis ex cucurbita vitrea per M. B. rectifica, orificio cucurbitæ (panno laneo, oleo imprægnato) obturato, ut phlegmati transgreſſus denegetur, ut purus ſolùm transferatur ſpiritus: ubi tamen primo egreſſum ſolum ſeorſim ſervare poteris ceu fortiorem & ſubtiliorem.

Alii *ſolâ ſalis Tartari, in ſpiritum vini* etiam non dephlegmatum, *adjectione id præſtant*, ubi phlegma ſali ſe jungit ſubſidens, ſubtiliſſimus verò ſpiritus dulce ſpirans ſupernatat: cui alcoholiſato ita ſpiritu *Helmontius* de novo commiſcet *ſal Tartari*, ut ſummè ſubtilem nanciſcatur ſalino-ſulfureum ſpiritum *Boyle, de inf. Experim. ſuc.* p. 88. 89. 90. ex hoc fundamento, hanc tradit ſpir. vini alcoholiſationem, v. g.

ALCOHOL VINI BOYLEI.

℞. *Tart. ad albed. calcinat.* (nam ut in ſal redigatur, neceſſarium non comperio,) & *probe ſiccatum cucurbitæ prolixæ*, & gracilis fundo, ad pollicis unius eminentiam immitte: huic *ſpir. vini ſemel duntaxat rectificati tantum affunde*, ut Tart. ad unius digiti latitudinem ſupernatet, dein capitello & recipulo probe affixis, *blando calore abſtrahe*, *mutato* ſi libet *cum dimidium exſtillaverit recipiente*, tandem ſi opus fuerit liquor deſtillatus *ſuper ſiccam Tart. calcem denuo ut antea rectificetur.* Hinc modo deſcripto procedens, exſtillantis, prima ſuper ſal rectificatione, liquoris aliquantum in cochleari argenteo accenſum, ne guttulam quidem phlegmatis aut minimum madoris veſtigium poſt ſe relinquere obſervabis: imo examen magis exquiſitum ſuſtinuit, quod ipſum curioſitatis gratia ulterius explorare placeat: Et deſtillationi demum rite peractâ, totum ſpiritum, mutatis ſubinde recipulis, exprimenti cauſa exceptum æqualiter purum eſſe comperies, nam quod ultimò exſtillabit, cum calx ſuperiori vaſis patri adhæreſcens, inchoatæ ſiccitatis indicium faceret, totus conflagratione abſumptus eſt perinde ac qui primus aſcenderat.

Tandem *exemptus Tart.* calcinatus & igne mediocri deſtillatus, *inſipidi* & graveolentis *liquoris aliquantum præbuit*, qui ex guſtu & quod nullo modo inflammari potuit, merum phlegma videbatur.

Eadem *Tart. calx.* in vaſe terreo igni vehementi, donec bene ſicceſcat impoſita, ad hoc negotium rurſus uſurpari poteſt. *Non abs re vaſa alta & gracilia imperamus*, nam in latis & humilibus experimentum non ſucceſſiſſe, inquit, animadvertimus, & multo minus in retortis. Hunc ſpiritum ita exaltatum, *potentiſſimum eſſe remedium contra Gangranam. Experim. ejus Philoſ. p. 25. part. 2. lege.*

Alii ut *volatile* illud *ſal vini* minori in volumine obtineant, hoc procedunt modo;

Recipiunt *vini generoſioris* vel *Hiſpanici*, vel *Bacheracenſis Rhenani*, vel ſimplicioris etiam, pro lubitu, digerunt per 14. dies vel

tres

tres aut *quatuor ſeptimanas in fimo*, vel M. B. Poſtea *per phiolam ſpiritum extollunt*, eundemque aliquoties per eandem rectificant phiolam, donec ad ſummam pervenerit ſubtilitatem.

Hujus ſpiritus ℔. ij. cum ejusdem *recentis vini* ℔. vj. miſcent, & per phiolam denuo eandem ſolum quantitatem duarum nimirum librarum, nec plus nec minus eliciunt. Hunc verò *laborem ſeptima repetunt vice* ſemper, libras duas affuſas ſex libris vini recentis, ſaltem abſtrahando, atque hâc methodo, fugacem adeò obtinent ſpiritum, qui non niſi in vitro Hermeticè ſigillato ſervari poteſt. Uſus eſt in extrahenda *Auri Tinctură* & conficiendâ *Lampadis vitæ Eſſentia Burgrafii.*

Glauberus paulò aliter proceſſit, ut in cœleſtem quaſi Eſſentiam hoc volatile vini ſal redigeret, ac ſalis Tartari volatilioribus ſpiculis exacuaret, exempl. gr.

ALCOHOL VINI GLAUBERI.

℞. *Tartari crudi pulv.* ℔. j.
Salis Tartari fixi ℔. ß.

Miſta bene *cucurbitæ inde*, ut quarta vacua remaneat pars ſuperfunde his *ſpiritus vini rectificatioris* ℔. iij. & ſubitò capitello ſuperpoſito orificium & juncturas claude exactiſſimè; atque in hâc pugnâ *ſubtiliores ſpiritus vini particulæ ſibi ſimiles è ſale Tartari furabuntur* & ſecum evehent, ut ſimul faceſſent in ſal volatile omni Acido deſtitutum, atque maximi effectus *in Podagra*, *calculo*, confortandis & *dulcificandis ſpiritibus*, ac omnibus infirmitatibus ab Acido vel ſuperfluo vel vario modo alterato & acuto oriundis, quo enim rectificatior vini ſpiritus, eo dulcior, atque ita intenſiſſimæ ſubtilitatis proprium ſummam eſſe dulcedinem, ex hac deprehendimus mechanicâ ſpiritus vini operatione.

Aſſimilatur hnic ſpirituum in corpore humano febricatio, qui per tot vaſorum gyros circulantes ſua mixtione dulcificationem perficiunt dulciſſimi, ne aculeis ſuis depaſcantur carnem, & pro nutrimento, cauſam ſuppeditent.

Infinito

Infinito verò *modo ſpirituum impeditur dulcificatio*; modò animi contemplemur pathemata, ubi à mœrore diſſipatur & interrumpitur dulcificandi operatio, ut tum relinquantur corrodentes humores in Acidum proniores: *ab ira verò ferox excitetur Alcalinum ut præcordia exæſtuent.* De externis ac aliis cauſis non hic datur dicendi occaſio, ſufficit hîc quod dulcia nutrire, & ſpirituum nobile eſſe Quale conſtet.

CAPUT IX.

Aceti Analyſis.

Vinum quod in ſui primordio, progreſſu & ſtatu fuimus contemplati porrò *jam in decremento examinemus*; Idem enim hic tornator cœleſtis Sol vinum acuit, & aceſcere facit, quem aliàs ſpiritus fabricare vidimus, ubi uvæ ſucci cruditate auſteræ, tum acidæ, ſolarium radiorum indefeſſo motu, ſpiculis aculeatis defricatis, dulcefactæ fuerunt. Jam ſi vino repletum vas ſub dio exponitur, in ſuperiori parte tantillum apertum, tunc *quæ ſuâ implicatione dulcificationis, nunc ſua ſecretione acoris cauſæ evadunt*; dum auſtero-viſcidus ſuccus, ſpirituum aliàs elaboratiorum retinaculum, iiſdem celeri Solis motu extractis, ſeorſim exiſtit.

Obſervamus hoc ſæpius in aceti confectione, ubi eoſdem ſpiritus, ex ſolarium radiorum ceu primi fontis deſiderio, per aërem diſperſos, jucundo odore ſubolfacimus.

Hinc *cellas profundiores excogitavit ars*, quæ *ſpiritus, alias excedente calore ad exitum pronos, ſolaribus arceant radiis*, ubi ſpiritus verberio frigoris, vini quærunt penetrale, ut ſic vinoſitatem retineant. Atque tunc *in centro vaſis vinum ſemper efficaciſſimum* eſt, aqueum verò magis in ſuperficie, quia in hanc proximus Sol incumbit.

Ex

Ex hoc fundamento *ænopolæ sæpius ex eodem vase duplex depromunt Vinum.*

ACETUM DESTILLATUM.

In aceti destillatione & resolutione, primis ignis gradibus recipitur *phlegma non insipidum*, & pro aceti efficacia multum vel parum exsuperans; *In acidis enim semper phlegma transit prius*, quia in his subtiliores spiritus exhalarunt, remanentes verò fixis sese intimius implicarunt, unde non nisi in totali resolutione, fixis acidorum cancellis firmissimè inclusi, evehuntur. *Deinde acidus prodit spiritus* pro Tartari in vino copia multus, aceti basis.

Ex massa verò *relicta* per affusionem aquæ *Tartarus elici*, exque eo postmodum sal & oleum parari *potest.*

Patet hinc *humores per solos dulcificari spiritus*, iisdem verò destitutos & acuatos, ad sua prima redire. In destillatione aceti probè observes ne igne nimium fortificato empyreumaticum imprimas fœtorem, hinc in tempore ab opere desistas.

ACETUM EX LIGNIS.

Destillatur item *ex quercino ligno* & aliis *per retortam acetum*, quod separato oleo, salis Tartari pauxillo junctum & destillatum insignes obtinet virtutes in alvi fluxibus, *confortandis gingivis sanguinolentis, in hæmorrhagia, fronti applicatum & naribus attractum*, menstruum etiam præbet non infimum *in extrahenda antimonii Tincturâ*, tam ex regulo quam vitro, quæ tincturâ suâ ita spoliat, ut cineri simillima judices.

Sic & *ex melle* non spernendum *fabricatur acetum*, si *tribus mellis libris aquæ mensuræ præter propter additæ quindecim*, una coquuntur ad dimidias ferè, tunc verò vasi indita, & *imposito pauxillo pulvere sinapi albi*, calori apponuntur, donec fermentata acetum forte exhibent, in solvendis lapidibus non contemnendæ virtutis, si legitimè à suo liberatur phlegmate.

Vires Acidorum in genere hæc sunt, *attenuant sed non dissolvunt*, quia in fixis particularum motus est à circumferentia ad centrum,

unde paſſivorum applicatione frigida ſunt; *attenuant viſcoſa inciaendo, penetrando:* morſum inducunt aculeis maximè prominentibus, unde ſi corpora noſtra laceſſant, ſpinæ inſtar pungunt.

CAPUT X.

Tartarum reſolvit.

TArtarus *omnem efficaciam, acido debet*, & vel ab inconcocto Solo, vel ferventiori Sole, vino imbuitur; illius nobis exhibent exemplum, noſtra *Vina Germanica*, Solo, ſalium ditioribus mineris referto, nata: hujus, ubi in Italicis & aliis ardentiori ſub Sole natis Tartarum ad duorum digitorum altitudinem, vaſis lateribus adhæreſcere conſpicimus Si enim ſpiritum, ut in noſtratibus, ex minori copia imbecillius ſit robur, ſpicula ſtatim exſiliunt, quia ſuperficiem atomorum, tanto impetu ſpiritus non circumrotant, ſed exaſperari permittunt, quæ poſt pugnam cum particulis Alcalinis ceu plus corporeis, in Tartarum concreſcunt, fece fundum petente.

Si verò *radii Solares vaſis corticem feriunt, ut ſpiritus exulent, acidæ vaſi undique adhæreſcunt*, quibus tunc concretis, diſſipationi præſtò ſunt novæ ſpirituum turmæ, quæ Acida cæteris aſſociari permittunt: eodem modo, quo dimicantes in prælio cohortes per diſtinctos ordines ſclopeta explodunt, ut qui erant primi poſteriores fiant. Hoc verò modò *ſpiritibus exhauſtis, acidæ particulæ vaſi applicitæ*, per aqueas ſolutæ, *intrò reſiliunt ut vinum aceſcat:* videmus hinc *acetum* ferè nil eſſe aliud niſi *liquidum Tartarum*, quæ omnia per ſolum Acidum activa ſunt; quo orbato & igne preſſius fugato, enervius Alcali remanet, cui tamen ſi vis aliqua acceſſit, à velociſſimo & diuturno ignis motu, ſubtiliſſima adfricante ſpicula habet.

Artifices circa hoc ſubjectum occupati, multis & variis id ſubjecerunt ignis torturis, ut inde concinnarent medicamina doloris, & fulcimenta ſanitatis.

DEPU-

DEPURATIO & CRYSTALLISATIO TARTARI.

Cum enim fecibus ac terreſtreitatibus ſæpius junctum cernerent, depurationem variis inſtituerunt modis, & *vel ſimplici lotione*, dum Tartarum groſſo modo contuſum, aquâ frigidâ ſæpius affusâ lavabant, & abluebant, quam *Henricus ab Heer*, in ſuis obſervationibus magni fecit; *Vel ſolutione*, ubi hanc commendamus depurationis methodum, nimirum:

℞. *Tartari albi integri groſsè contuſi*, non verò pulveriſati q. v. *ſæpius aquâ abluatur frigidâ, non calidâ*, donec affuſa aqua clara exeat & ſordes ſeparatæ conſpiciantur. Tunc lotum hunc Tartarum *ſufficienti aquæ quantitate in veſica per horam fortiter coque*, ſub coctionis fine adjiciendo *albumina ovorum aliquot* cum aqua ſimplici conquaſſata, ut junctas concretione impuritates in ſe recipiant. Hinc *per linteum calidè coletur*, & ſi quid remanſerit Tartari nondum ſoluti, repetatur decoctio, donec omnis Tartarus ſolutus ſit.

Tum verò omnes *colaturas confunde & refrigerari ac cryſtalliſari permitte*, & reperies Tartarum partim vaſis lateribus adhærentem, partim in fundo ſubſidentem, multis adhuc fecibus permixtum, & aquâ ſæpius denuo affusâ, abluendum, & purificandum qui etſi non albicans admodum & cryſtallinus fuerit, ſæpius tamen ſoluto præſtat, utpote cui particulæ acidæ, quæ hic ab heterogeneitatibus ſaltem liberari, non verò debilitari debebant, maximam partem ignis calore extractæ deprehenduntur.

Vires cum reliquis acidis communes habet, attenuat viſcoſa incidendo, unde *purgantibus optimo cum ſucceſſu ſæpè additur*. In *hypochondriacis vero affectibus* ab exſuperante Acido, *perperam propinatur*, ubi ſuo accedens analogo, malum adauget. Multò *efficacius adhibetur in Bile nimia volatilitate præditâ, & turgente*, quæ per modum effervescentiæ cum hoc pugnans, ex ſuis prorepere latibulis cogitur, vel in ſuo centro detinetur.

SPIRITUS & OLEUM TARTARI.

Deſtillatio Tartari ſpiritum, oleum & ſal volatile nobis exhi-

bet, in quibus tamen ſeparandis Artifices multum diſcrepant, dum hic mox acidum, mox alcaliſatum, & neſcio quid exquirit: meliorem nobis conſtitutivorum Tartareorum ſeparand. methodum reliquiſſe videtur Nobiliſſ. *Fridericus Hoffmannus*, in ſuâ *clave Schrôderianâ* ubi docet, deſtillandum Tartarum *ſpiritu vini impregnare*, ut ita latitantes in Tartaro ſpiritus alacrius aſcenſuros incitet; cum præcipit:

℞. *Tartari crudi ſolutione unicâ depurati* pro lubitu, pulveriſatum *ſpiritu vini impregna rectificato*, q. ſ. tum *ex retorta deſtilla* in *recipiens ampliſſimum*, lutatis probè juncturis, & quidem igne gradatim adhibito. Atque primo extillat phlegma, *deinde ſpiritus, & tertio oleum*, ac ſi ignis regimen juxta ignis gradus benè rexeris, *ſal volatile* etiam obtinebit. Quæ omnia peractâ deſtillatione ab invicem ſeparanda, & ſpiritus ex oblonga phiola per B. M. vel cineres rectificandus.

Spiritus hic particulis acido ſalinis volatilioribus ſaturatus, *maximis virtutibus præditus extat*, propter enim acido-ſulfureas, *Peſtis & Febrium malignarum nobile eſt alexipharmacum*, cum acidus ſimul & ſudorificus ſit, atque ita corroſivas veneni particulas & acres, diaphoreſi expellat, & enervem roboret ſanguinis maſſam, ut efferatæ bili reſiſtere queat: dulcificantes enim ejus particulæ penetralia ſanguinis percutiunt, ut quæ acria ſunt & venenata ſalia, ſolvant, & cum ſero foras protrudant.

Atque *hæc ſunt ſpecificæ & propriæ hujus ſpiritus virtutes.* An verò in innumeris aliis quibus adſcribitur affectibus conducat v. g. *in arthritide vaga*, *affectibus hypochondriacis* & aliis ab exſuperante Acido ſæpius ortis, contrarius reluctatur effectus, ſi nimirum acidus eſt ut vulgo adulterari ſolet.

Ut verò ſpiritus hujus acido-ſulfureæ intenderentur particulæ, Mixturam ſimplicem *Paracelſus* excogitavit, quam *Fridericus Hoffmannus* compendiosè hoc modo parare jubet.

MIXTURA SIMPLEX.

℞. *Tartari albi* unica ſolutione depurati, *vitrioli opt.* ana. p æq. deſtilla

deſtilla per retortam, & *ſuper caput mortuum ter cohoba*, quouſque liquor apparet clarus, huic adde *ſpir. vini rectif.* partem dimidiam & *denuo ſuper vitriolum deſtilla*, & Tartarum calcinatum q. ſ. quousque ſpiritus omnis purus & ſubtiliſſimus prodiit. Qui tum per ſe, vel *cum Eſſentia Theriacali* per menſem & ultra circulatus leni calore, in dictis affectibus ubi acido-ſulfureæ deſiderantur particulæ magnarum eſt virium.

Doſis guttularum xx. ad xxx. & ultra, ubi ſpiritus Tartari ſimplex ad ℈j. & duos propinatur.

Oleum fœtidum magna ex parte particulis ſalinis volatilioribus impregnatum *cum ſpiritu vini circulabis*, ut corrigas ingratam odoris vim, nec (ſi Alcalina adderes) ſpicula hæc fœtida liberando enervius oleum recipias, dum iſto opere volatiles, fixis Alcali particulis abſorptæ oleum relinquunt viribus potiſſimis orbatum.

Hoc oleum uſum ut plurimum *habet in externis* artuum doloribus à frigido oris, item tumoribus, contracturis, & ſimilibus.

SAL TARTARI.

Jam ut Acidi cum Alcalino congreſſus dilucidior fiat, ſal Tartari ruminare, quod pro mutata particularum textura, vel *fixum* ſit vel volatile.

Fixum ſimplici fit calcinatione in furno figuli, quod tum repetita ſolutione, filtratione & coagulatione purgatur, donec purum exiſtat.

Hoc cum hactenus vili veſte ſuam luſerit ſcenam, *Helmontius* anſam dedit, & præcipit (ut hâc ſpoliatum, in nuda compareat & ſimplici forma,) *volatiliſare*, ubi inquit: Si quis eſt qui medendo charitatem proximi cordi habet, *diſcat diſſolvens aliquod, quod ſit homogeneum, immutabile*, diſſolvens ſua objecta in materiam primam liquidam: Quod ſi verò ad iſtud ignis arcanum non pertingat, *diſcat ſaltem ſal Tartari reddere volatile*, ut hujus medio ſuas perficiat ſolutiones.

Hoc enim informe accipit formam ejus, cui unitur, unde non immeritò in ferno omnia abſorbendi comparatur, ſi enim *calci vivæ nubas*, ſimulque *combutas forti igne*, *extrahit calcis ſimile Alcali*, &

potens adeò efficitur, ut in igneam ferè natura convertatur, è quo *si mediante ſpir. vini rectificato Tincturam extrahes*, potentem *ad calculum nanciſceris medicinam.*

In genere fixum *Tartari ſal univerſale exhibet abſorbens*, particularum acidarum, ubi reperiat, & ſi *in liquida* compareat *forma*, humido ſolutum ſal, *improprie oleum audit*, quod omnes cutis ſordities Acido ortas eluit, ac internè etiam Acidum quodvis exſuperans infringit & abſorbet.

SAL TARTARI VOLATILE.

Accedimus ad volatiliſandum Tartari ſal, hoc, cum *Helmont* reticuerit methodum, varie ab artificibus ſolet elaborari: Ex omnibus veriorem volatiliſationem, mediante fermentatione, ſe edocere, nobis perſuadere conatur *Ioel Langelot*, ubi hanc communicat methodum:

Calcinentur primo Tartari crudi ℔.ij. vel iij. prout multum Tartari fermentare animus eſt, leviter ſaltem, & ad aliquam tantum nigredinem, ut habeas quo maxime opus, fermentum, Tartari fermentandi. Huic *ollæ capaciſſimæ immiſſo affunde tantum aquæ*, ut ad digiti latitudinem emineat, ignemque primò lentum admove, ut tantum intepeſcat, poſtea *dimidium manipulum Tartari* ſubtiliter pulveriſati inſperge, & brevi videbis bullulas quasdam ſurgere, & accreſcere magis magisque. Hoc viſo perge veluti cœpiſti, *partitis nempe vicibus Tartari pulverem inſpergendo*, & ſic major fermentatio excitabitur, bullis exinde tam concinno ordine ſurgentibus, ac ſi ipſas uvas naturales, accepto colore conſpiceres.

Verum *accurato hic ignis regimine opus eſt*, moderato nempe, quale omnis fermentatio requirit. Cavendum quoque *ne copioſiori inſperſione nimia excitetur ebullitio*, & fermentatum, quod ſolet, *olla elabatur.*

Ceſſante fermentatione mitte omne quod ineſt ollæ *in cucurbitam ferream*, nam de vitrea periculum eſt, ne rumpatur, cum ei ſæpiuſculè lintea frigida madefacta, oporteat applicare, quo nimia

Tar-

Tartari fermentati ebullitio prohibeatur, qui aliàs nimii caloris impatiens rapido curſu ſurſum ferri, & ipſum quoque recipiens vas ingredi ſolet. Atque eâ de causâ *ignis cautiſſimi regendus*, lentoque gradu augendus eſt, in fine tamen ſatis forti ut ſal omne ſurſum pellatur.

Et comperies quoque, ſi ritè rectèque proceſſeris, craſſum illum feculentumque Tartarum, fermentatione dictâ adeò ſubtilem volatilemque reddi, ut ne tantillum ſalis fixi in capite mortuo remaneat.

Liquorem egreſſum, quoniam multa aqua fermentationis cauſa additâ refertus eſt, multum quoque rectificare oportet, & quidem eo usque, donec ſubalbido colore appareat, quod indicat, debitam ei quantitem ſalis volatilis ineſſe.

Quanti hoc æſtimandum ſit, vel ſolius *Helmontii* teſtimonium reſpicere jubet, idque non ſolum in affectibus corporis internis, ſed & externis, adeoque *in ipsâ gangræna* mirabile deprehendiſſe, imo & ejus beneficio *Eſſentias quasdam paraſſe*, quas fruſtra aliis menſtruis tentaſſet, aſſerit.

Alii ex fixo ſale, volatile conficere ſtudent volatilium additione, ſed modum, quo fixa redduntur apta ut à volatilibus pati poſſint, omittunt Acido abſolvendum;

Aceto enim *intra tres horas* id poſſe peragi, polite ingenioſus *Willh. ten Rhyne* contendit, quod ab aliis vix intra tres hebdomadas. *Redditur inquit volatile*, poſtquam volatiles & acidas particulas amiſit, *aceto* (ſpiritibus non plane privo, ſed eos intimis particularum viſceribus includente,) *ſaturandum*, ut etiam intra tres horas (ubi tres ſeptimanas alias conſumunt alii,) Acidum manifeſtè ſpiret, *tum ſpiritu vini aliquoties cohobandum*, ut tranſeat in *volatiliſatum Tartariſal.*

Ex hoc fundo *terram Tartarifoliatam* ortum traxiſſe quis non videt, dummodò ejuſdem ruminetur confectio quæ ita ſe habet.

TERRA FOLIATA TARTARI.

℞. *Salis Tartari albiſſimi* ℔. j. ab hoc abſtrahe *aceti* q. ſ. & inſipidum

pidum elevetur, poſtea novum aceti ſpiritum affunde, & deſtilla, huncque reiterato laborem, *donec ſpiritus affuſus rurſus exſtillare incipiat acidus, qualis fuit affuſus*, atque tunc ſal fixum ſpiritibus acidis volatilibus eſt animatum, *quod nigrum in fundo ſpir. vini ſolvendum*, per chartam *filtrandum*, & leniſſimo arenæ calore in vaſis terreis ſiccandum, *exſiccata materia, iterum ſpir. vini ſolvenda, filtranda & exſiccanda* toties, donec maſſa appareat alba, & foliorum inſtar concreſcat.

Vel ſi compendioſius velis hoc volatile ſal terræ foliatæ nomine inſignitum.

Acetum à ſale Tartari evapora tam diu, donec Acidum ſpiret, poſtmodum coagula, & cum ſpir. vini edulcora ſæpius cohobando. Ingenioſius *Cnæfelium* proceſſiſſe duco, qui propriis ſpiritibus animationem inſtituit, tali modo.

℞. *Salis Tartari albiſſ.* ℔. ß.
ſpiritus Tartari bis per cineres rectif.
ſpiritus vini ana. a. ſ. ut quatuor emineat digitos.

Digerantur aliquandiu in loco calido poſtea ſpiritum abſtrahe ad ſiccitatem: *affunde novum ſpir. Tartari & ſpir. vini*, & iterum deſtilla, idque toties repete, ſcil. ſexies vel ſepties, & ultimò quidem per phiolam altam, donec *ſal Tartai in lateribus vitri, camphoræ adinſtar appareat*, quod vitro probè clauſo ſerva.

Si hoc *augmentare velis arcanum*, adjice illi *ſpir. vini opt. rectificati & alcoholiſati*, ad duorum veltrium digitorum eminentiam in vaſe optime clauſo, tum miſceantur & digerantur tam diu, donec cuncta benè unita ſint, & de maſſa nil appareat amplius: hac ſolutione factâ, repone vitrum in locum frigidum, & cryſtalliſentur rurſus, atque ita augetur *Tartari Arcanum vel volatiliſatum ſal* in infinitum.

Vires ſalium horum volatiliſatorum maximæ ſunt, nec ſatis deprædicandæ in omni corrigendo Acido, ut *affectibus Hypochondriacis, Arthritide, Podagra, Calculo, Febribus & ſimilibus*, inprimis ſale volatili C. C. viperarum &c. fortificatum & exaltatum: ſi verò

Elixire

Elixire proprietatis absque Acido jungatur, exhibet Tincturam Splenecticam, Nephriticam, Arthriticam &c.

SAL TARTARI VOLATILE HELWIG.

Similem inter alia volatilisationis salis fixi methodum nobis communicavit *Joh. Otto Helbius* in sua, ex India Orientali in Europam ad Academiam Naturæ Curiosorum, missa Epistola, his verbis *in suo, in veram atque in auditam Physicam introitu.* Amore, inquit, proximi apponamus incognitum de sale arcanum: illam videlicet omnibus Chymiæ & Medicinæ cultoribus, desideratissimam, veram & placidam gravium ac calcinatorum salium volatilisationem. Ubi breviter notandum, *nullum in natura sal esse naturaliter fixum, sed omne, certo gradu volatile,* & quod fixum possidemus ignis calcinatione nimium exsiccatum, combustum & mortificatum est. Reddatur itaque amissum, & corruptum restituatur per aërem (& inibi volitantia acidi spicula,) sequenti universali methodo.

℞. *Sal aut calcinatum*, aut naturâ grave, *solve in aquâ, lixivio tenui ollam novam non vitreatam intus ad sattetatem imbue*, & super ignem evaporando, aquam sali associatam separa, si *sal fixum ollæ poros ingreditur*, & olla aëri exposita per aërem corrigitur, ut domo exeat, & volatilisatum ac spiritibus rursus animatum, lanæ instar, ollæ parietibus extra adhæreat, quod abrasum paucis manipulationibus sublimatur.

Vel per Acidum particulari modo.

℞. *Salis Tartari calcinati* q. v. superfunde *acetum vini destillatum*, pone in digestionem, usque *dum totum sal in aceto sit solutum:* demum acetum cum soluto sale per 40. dies digere, *post digestionem abstrahe acetum*, & tunc in fundo sal crystallinus relinquetur ferè diaphanus, hoc peracto edulcora, solve aquâ pluviali destillata & semel atque iterum filtrando à fecibus purga, ut sal accipias clarum & albissimum, à quo *per reiteratam cohobationem in B. Vap. destilla spir. vini phlegmatis expertem:* digere rursus per mensem cum spir. vini: tandem igne arenæ vehementiore, detracto prius spir.

vini ſublimatur, & vitri lateribus ſal Tartari volatile adhæreſcere, jucundis conſpicies oculis.

SAL TARTARI VOLATILE HELWIG: faciliori via.

℞. *Sulfuris comm. flavi* ℔ j.
ſalis Tartari ℔ ß.

Prius *leni igne in tigillo fluat*, & poſterius ad finiſſimum redactum pulverem addatur, *ſemper ſpatula lignea in ſulfure fluente moveatur &* ſuper carbonibus ſinatur, uſque dum maſſa aut hepar picis tenacitatem acquirat. Maſſam *in lignum atque paulisper madidum effunde orbem, calidum* adhuc in mortario calido *contunde*, & ſufficientem *ſpiritus vini* quantitatem ad latitudinem duorum digitorum affunde, qui mox moxque *tincturam ſulfuris extrahit:* hanc ſepara, & ex tinctura & fecibus forti igne tractatis ſal Tartari ſulfuris ſale correctum, & volatile paucis horis depromes.

SAL TARTARI VOLATILE Aliud.

Paulò aliter procedunt alii, dum *fixum ſal in proprio oleo occultato Acido*, animatum, volatiliſare ſtudent. Recipiunt enim *olei Tartari fœtidi* part. j. *ſalis Tartari ex capite mortuo* poſt ſpiritus extractionem *relicti* partes ij. terunt peroptimè in porphyrio calefacto paulum, per aliquot horas, *ut mellis formam vel conſiſtentiam referat.* Non verò nimium nec plus olei admiſcendum, quam requiritur, quod enim ſupernatat ſuperfluum eſt nec ab Alcali melioratur: *mixturam hanc cucurbitulæ immitte optimè clauſæ*, ac lentè aliquot menſium ſpatio digere, hyeme ſupra fornacem, ne oleum aſcendat, ſed in ſal omnia vertantur indurata, quod tum fortiori ignis pulſu ſal volatile copiosè transmittit.

Leviter alii procedunt dum *vini feces à quibus ſpiritum abſtrahunt, putreſcere loco aperto ſinunt, ac tum, per retortam deſtillant in ſal copioſum volatile*, denuò per phiolam rectificandum.

Sic & hiſce volatiliſatis ſalibus non abſimilis eſt *Balſamus Samech Paracelſi*, qui fit ſæpiſſimè *reiteratâ ſpiritus vini rectificatiſſ. à*

ſale

ſale Tartari abſtractione, donec videlicet ſal fixum Tartari volatili ſpiritu vini imprægnatum, liquorem ſive ſpir. vini adeò efficacem deſtillari ſinat, ut erat affuſus. Tum verò *ſaturatum ſal cum terra figulina mixtum*, deſtillatur *ex retorta in ſpiritum ſalino*-volatilem Balſamicum magnarum virium.

TARTARUS VITRIOLATUS.

Degeneravit ab hiſce ſalis fixi volatiliſandi modis medicamen, multo ab imperitis in uſu, nomine Tartari vitriolati inſignitum: hoc acido planè immutatum nec verò exaltatum eſt: en compoſitionem!

℞. *Salis Tartari, pulcherrimi* pro lubitu, ſuperfunde guttatim *ſpiritum vitrioli rectificatum* tamdiu donec ebullitio & pugna ceſſet, tum *ſupernatantem abſtrahe liquorem* lento calore ad ſalis vitriolati ſiccitatem.

Hoc vitriolatum ſal mirum quantum commendant *Galenici*, dum *omnibus ſuis ferè purgantibus admiſcent*, *ac pro univerſali commendant* digeſtivo, præprimis *in Hypochondriorum*, *lienis & aliorum obſtructionibus*: ſed quam malè, contraria ſæpè & mala exinde demonſtrant introducta ſymptomata, ut *cardialgia*, *vomitus* ac plus rebelles redditæ obſtructiones, quæ, quando ab Acido variè vel exſuperante, vel alterato ortum ducunt, maximum hoc, & valentiorem nanciſcuntur adjutorem.

Majori verò *cum ſucceſſu propinatur in bilis exſuperantis variis alterationibus*, ubi particulis ſuis acidis earundem bilioſarum particularum levem efferveſcentiam refrænat, vel alteratas & diſpoſitas purganti expellendas tradit.

TARTARUS SOLUBILIS.

Conſideratius elaborarunt alii ſuum Tartarum ſolubilem, ubi ſal fixum Tartari particulis quidem propriis acidis alteratur quodammodo, ſed tamen non immutatur, quin plus ad volatilitatis ſtatum diſponatur, majores tum exerturus effectus, in dictis ab Acido

oriundis affectibus, & alterando superfluo Acido. Elaboratur verò duplici modò, vel fixo vel volatili alcalisato sale addito. Si fixo:

℞. *Olei Tartari* vel *salis Tartari resoluti* quantum libet, *in capaci ollâ calefacto injice per vices* semper pauxillum *Tartari purificati & subtilissimè pulverisati*, injectionem tam diu reiterando, donec lenis pugna non conspiciatur amplius, tunc desiste, & refrigeratum liquorem filtra & serva.

Si volatili addito sale expetas solubilem Tartarum.

Cremori Tartari subtilissimè pulverisato, in cucurbita superfunde *spiritum salis armoniaci urinosum* ad eminentiam duorum digitorum, & cum hæc mista steterint in cella 24. horis, postea adde *aq. fontanæ* q. s. & per 6. vel 8. horas coque, semper aquam decoctam refundendo, post filtra, & in arena evapora.

Nonnulli *addito vitro antimonii* pulverisato, ac unâ cocto, *Tartarum concinnant solubilem emeticum*, eximii usus & effectus.

Si verò cum hoc solubili Tartaro *limaturam martis per mensem fermentant* vel digerunt, tum fabricant *martis tincturam* in hepaticis debilitatibus & variis ejusdem infirmitatibus non spernendam.

CAPUT XI.

Succorum quorundam pertractat anatomen.

DE OPIO.

OPIUM papaveris succus est, qui *è viridi papavere certò tempore vulnerato*, vase circumjecto *excipitur*, ubi tunc ad vasis formam in casei rotunditatem concrescit, atque magis pellucidus pro optimo habetur.

Quod somno lethale sit opium inde est; quoniam in hoc oleosæ cum acerbis à Solari igne partes convulvuntur, ubi pro mixtione inducitur cum acrimonia conspicuitas, & cum hæc læsio, concludi-

cludimus hæc, *quoniam humo pingui papaver, hyoſciamus & ſimilia delectantur*, ut etiam oleum avidius devorando campum enervent, & ſterileſcere faciant, quod tum ſufficienter exprimitur, narcotico ſuo ſulfure cerebrum feriens; *hinc non immeritò opium corrigendum igni exponitur, ut ſulfurea exhalent miaſmata.* In quibus ulterius perficiendis & corrigendis alii varios excogitarunt modos, dum alii iſta miaſmata figendo, alii vel plus exaltando opium corrigere inſudant. Ubi tamen aliqualis fixatio mediantibus Acidis facta omnibus præfertur correctionum modis, nec infima eſt Excell. *Wedelii* correctio quæ hæc eſt:

EXTRACTUM OPII juxta WEDEL.

Recipit *opium, in tenues lamellas ſciſſum*, lento calore exſiccat, tum pulveriſati opii unciæ uni *phlegmatis aceti deſtillati ab arcano Tartari reſultantis* uncias ſex vel octo ſuperfundit, tunc *vitrum calenti arenæ imponit*, ut agitatione cum ſpatulâ factâ ſolvatur opium: ubi pars impurior ſpumoſa, vitri ſumma lambit, pars verò terreſtrior fundum petit. Colaturâ per linteum factâ ad mellaginem abſtrahit vel in Extracti formam redigit. Tunc ſi in liquida rurſus expetit formâ:

Huic in conſiſtentiam melleam redacto opii extracto, affundit *ſpir. vini plus vel minus*, prout vel ſaturatiorem vel dilutiorem Tincturam expetit, ac ita ſuam parat *Tincturam anodynam* maximi uſus & effectus. Doſi gutt. x. ad xx.

Alii omnibus correctionem modis poſthabitis, præferendam volunt *Joelis Langelotti* methodum, *mediante fermentatione* noxia *opii miaſmata alterantem*, & moderatè acidas imprimentem particulas, quæque hunc in modum ſe habet:

EXTRACTUM OPII LANGELOTTI.

℞. *Opii Thebaic.* in particulas conſciſſi ℔. j. affunde ei in cucurbita humili *ſucci cydoniorum bene maturorum recentiſſimi* ℔. x. adde *ſalis Tartari albiſſ.* & *ſiccati* ℥ j. expone leni calori per diem unum aut alterum, uſque dum bullæ quædam appareant, tunc adde

adde istius promovendæ causa *sacchari pulverisati* ℥ iiij. porro *eum caloris gradum observa, quem fermentatio requirit*, sic videbis opium vehementer attolli & resolvi per minima, (cave verò à sulfure narcotico graveolenti, quod tunc solet exspirare.)

Tum videbis partem impuriorem volatilem spumosam superiora petere, *partem verò magis terrestrem in fundo subsidere*, tandem *in medio consistet purior pars*, nimirum liquor rubini instar pellucidus, quem cautè separabis, & debitâ destillatione *ad mellaginem inspissabis*, quam denuò *spir. vini alcoholisato dissolvas & filtres*, ac per mensem digeras, ut quicquid adhuc crudi inest, cœlesti illo igne maturetur. Atque tum spiritu ad debitam consistentiam abstracto, nactus eris essentiam tantæ virtutis, ut etiam *dimidia grani pars*, appropriato propinata vehiculo, mirandos præbeat effectus.

Particulæ namque volatiliores hac methodo quodammodo fixatæ, ac nonnunquam aromaticis temperatæ, incensivos spirituum motus refrænant, atque apto vehiculo hæc provecta opiata (quia oleosa & terrestria obtundunt,) *spirituum claustra obserant, ut fortificati post modum repullulent, nam nullo corporis exercitio dissipantur, quamdiu somnus imperat; adeo ut à moderatissimâ anodynorum dosi introductam quietem, dulci somno peractam, sequatur corporis vigor, mentis valor, acrium dulcificatio & laudabilior nutritio ut politè ac ingeniosè sentit* Wilhelmus ten Rhyne in suis meditationibus de veteri Medicina p. 249.

Maximo ideoque cum emolumento datur *in Colica, Arthritide vaga & fixa, febribus ardentibus*, & aliis variis doloribus, *à spirituum exorbitante motu* & acredine ortis, cum *sale Tartari volatili*, C. C. *spir. salis armon.* & c. Dosi gr. j. ad iij. & iiij. sæpius etiam ultra exhibitum.

Nota hic, fortiora acida volatiles & resinosas opii particulas obtundere nimium; spirituosa verò, ut vini spiritus & similia exaltare, hinc cautè procedendum.

His causis permoti *alii opium simplici saltem tostione correctum*, ceu venenosioribus miasmatibus tunc privum, reliquis verò viribus nondum orbatum præferunt, & dosi unius grani propinatum extollunt.

DE

DE ALOE.

ALOES particulis alcalinis volatilibus, aſperioribus tamen, & hamatim inter ſe nexis conſtat, unde *duplici patet menſtruo*, vel *aquoſo* vel *ſpirituoſo*: indeque patet ſolvendum cum ſolvente ejusdem eſſe indolis.

Socotrina dicitur, cum ex *Inſula Socotra*, ubi copioſe colligitur, advehitur, *alii verò à ſucco* denominationem derivant, cum ex ſucco concreta extet; *optima eſt flaveſcens & pellucida.*

Cum verò particulis ſuis acutiſſimis ſed plus alcaliſatis, *ſanguinem fervidiorem reddat*, hincque caloris ſenſum inducat, artifices hæc hebetare intendunt ſpicula, variâ correctione; Inter quas hic *Pharmacopœorum Francofurtenſium* ab aliis creditus modus, fere optimus cenſetur, dum levioribus *ſeri lactis aciculis*, volatiliores Aloes particulas aliqualiter obtundunt, aliis verò additis purgantem vim forficant. Modus talis eſt:

Solvatur Aloes cum ſeri lactis ſ. q. moderato tamen calore, factâ ſolutione requieſcant, ut craſſiores ſubſidant feces, quo viſo quod clarum eſt decantetur, & legitimè rurſus inſpiſſetu.

℞. *Hujus extracti* ℔. v.
Extracti violarum ℔. j.
colocynth. ℥ v.

Fiat maſſa.

Si verò tantum laboris non impendunt *Pharmacopœi*, hinc *Aloen ſimplici ſaltem violarum infuſo ſolvunt, filtrant, & inſpiſſando debitam Extracti colocynthidis doſin addunt*, & ad conſiſtentiam juſte inſpiſſant.

Violarum extractum, ſæpius repetitâ infuſione cum recentibus ſemper floribus, ac expreſſionibus, ac ultimò cum albuminis ovi clarificatione, ac juſtâ decoctione tandem, paratur.

Vires Pillularum Aloëticarum leviter purgantes ſunt, & *frigidis ventriculis magis quam calidis conveniunt*, non verò tam propter vim quam habet penetrandi ac calefaciendi, quam propter cruditates acidas,

acidas, quas amara, alicalisatis volatilioribus referta, maxime infringunt.

Distinguunt nonnulli *inter partes Aloes resinosas spir. vini extrahendas*, atque ad Elixir proprietatis proprius assumendas: Et *inter salinas plus aquosis educendas ac magis purgante vi præditas*, unde conficiunt non contemnendum Elixir purgans, additis *spir. vini ac arcano tartari.* Vel Aloen succo violarum solutam, eoque sæpius nutritam, ac coagulatam, *cum essentia absinth. alcalisata* in minutissimas efformant pillulas: Quæ ob singularem absterſivam & laxativam vim dosi minimâ scil. ad 4. 7. vel 9. decubitus tempore sumtæ, mira præstare *Fridericus Hoffmannus* asserit.

DE SCAMMONIO.

SCAMMONIUM plantæ lacteſcentis, sed radicis succus, *particulis maxime* volatilibus sed *acrioribus constat*, unde non facilè incorrectum propinatur, nisi acriora spicula, sulfuris acido fumo alterata sint, ac oleoso, quodam addito, *veluti amygdalis dulcibus* eo disponatur, ut tanquam resinosum facilius solvatur nec adhæreſcat, vel humores acrius reddendo tormina excitet. Hinc alii libentius hujus usu abstinent, & ejus loco commendant.

Jalappe Tincturam, quam parant *cum spiritu vini sed rectificato*, ad unam partem *Jalappæ grosso modo contusæ* sex *spir. vini* partes affundendo, additisque *corticibus citri*, in loco tepido locando, donec tinctura legitimè extracta deprehendatur: quam tum pro lubitu *Syrupo Cinamomi*, vel saccharo edulcoratam, ad cochlear. semis vel unum optimo propinant cum effectu. Et si fortiorem volunt. paulum addunt infuso *scammonii correcti*, vel aliud purgantis genus.

DE CAMPHORA.

CAMPHORA arboris cujusdam lachryma resinosa, particulis Alcalinis volatissimis, propria balsamica pinguedine resinosâ saturatis, constat, hinc delectatur maximopere fortioribus ac subtilissimis Acidi spiculis, cum *spiritu enim nitri*, vel *aqua forti*, *olei formam*

mam ludit, non vero cum acido leviori, ut aceto, vel reliquis succis acidis, hinc *maximo cum effectu in febribus malignis ac ipsa peste propinatur*, dum malignum & venenosum suffocans acidum, in sanguine hinc inde fluctuans, & patientes sine intermissione exanimans absorbet, unde & *Tincturam Bezoardicam* efficienter ingreditur, ac ab *Avicenna* olim Theriaca contra Venena calida appellata & celebrata fuit, quod ut inquit, spiritus vitalis ab ea subtilitatem acquirat & luminositatem vehementem, propterea que *latificet*, & *confortet*: causa effectus, poris appropriatis videtur adscribenda, quibus, *subtilissima acidi spicula imbibendo operatur*, eis namque aqua debilitatis acidi particulis, pristinam reassumit formam Camphora, eundem præstitura de novo effectum, nec viribus orbata.

Excell. *D. Joh. Conradus Brodbeck, Tubingensis Professor*, secretis suis adnumerabat Camphoram, quam *spir. vini tartarisato*, vel *liliorum convallium*, vel *granorum actes* solutam, *externe optimo cum effectu* adhibebat, *in tumoribus durioribus emolliendis, inflammationibus compescendis*, & artuum doloribus sedandis &c.

Interne eam propinabat, *spiritu melissæ* & *spir. vini Tartarisati* ana. p. æq. resolutam, & additis sæpius aliquot guttulis *olei castorei still.* vel meliss. in *suffocationibus uterinis exhibebat* maximo cum levamine. Vel detur in hujusmodi affectibus *oleum succini camphoratum*, ex *olei succini* p. ij. & camphoræ p. j. paratum, quod mira præstabit.

Sic & in Colica furiosa, *unicam drachmam camphoræ cum olei cortic. arant. dest.* ℥j. dissolutam calore leni, & *Extracto absynth.* liquido addito, sæpius exhibitam dosi aliquot granorum, Acidum corrosivum absorbendo, infandum tollere dolorem, *Frider. Hoffmannus* habet.

OLEUM CAMPHORÆ.

Ut in oleum abeat camphora, artifices varios excogitarunt modos, quos hic recensere omnes, pro supervacaneo reputo, si quis verò hoc absque additione expectet oleum, *misceat cum bolo vel terra sigillata camphoram, & in arena per retortam destillet*, ac ascendit instar

butyri camphora, quàm *cum ſalis Tartari* p. ij. *addito ſpir. vini* ad trium digitorum eminentiam, ex balneo per alembicum deſtilla. Atque tum vini ſpiritum camphorâ imprægnatum, cum aqua miſce, & ſeparabitur de eâ Oleum, quod ſupernatat; quodque ſi rubeſcat, ſuper talcum calcinatum rectificetur.

Olei hujus uſus maximè à *Paracelſo* commendatur *in Mania* ad ʒj. datum, quod furibundos ſpirituum motus glaciei inſtar coagulet. Ubi *Riverius* ſequens laudat epithema camphoratum, quod ex *Aqua Nymph.* ℔ j. *ſalis prunellæ* ʒj. *camphoræ* ϑj paratum, linteis duplicatis tepidè ſyncipiti admovet.

Porro *Paracelſus* miris extollit laudibus camphoram *in ſedandis inſultibus Epilepticis*, & extinguendis pungentibus acidi ſpiculis nervos vellicantibus.

Sic etiam *in variis capitis doloribus* ab acido ortis, *miram præſtat efficaciam*, modo non adſint vigiliæ, ubi tum *optimè combinatur cum Opio*, & externe ſæpius fronti adhibetur: teſtatur hoc *Mindererus*, quod camphoram extrinſecus fronti adhibitam in cephalalgia plurimum prodeſſe obſervarit. Ac in hâc, *Khunrath ſolvit camphoram in ſpiritu Vini* rectificato, addit *albumen ovi*, & *aceti roſacei* cochlearia aliquod, & fronti applicat.

Externè *ad calidas oculorum lippitudines* collyriis utiliſſimè additur camphora, ut & aliis variis opthalmicis v. g. ℞. *Albùm ovi* q. v. bene agitato cum *Alumis fruſto*, donec in linimentum album abire videas: tum adde *camphoræ* q. ſ. ac paulum *Aquæ roſarum*, & cum cannabe applica.

In dentium dolore cum *Oleo caryophill. & opio* mixta omnibus odontalgicis facile palmam præripit.

Denique *inter coſmetica non infimum tenet locum*, cutim enim aridam maculisque fœdis ſqualidam, grato vigori donat, lacteamque reddit, præprimis ſi *aqua forti ſoluta* & *aqua reducta*, eumque *ſpermate ceti* & aliis juncta applicetur, poſtmodum vero aquâ quadam appropriata rurſus abluatur.

Paucis omnia contraham: conducit & peroptime adhibetur ad omnes

omnes Affectus, ubi exſuperantia, vel vario modo alterata deprehenduntur miaſmata acida, omnis doloris cauſa; furias etenim haſce doloris, ſpiritus exagitantes nervosque excruciantes, ſibi aſſociat camphora, eos vero priſtinam in libertatem vindicat.

Exulet vero ea, ubi bilem nimia volatilitate in morbis dominari ſuſpicamur.

DE FULIGINE.

FULIGINEM paucis perpendamus. Hanc vero ex fumo, *fumum ex combuſtorum aduſto Oleo* provenire comperimus; ſi in papyraceo cono ad extremum conflagrato, fumum in empyreumaticum concreſcere oleum conſpicimus, Odontalgiæ conducens.

Primordia ideoque ejus in flamma, continuationem in fumo; vigorem in camino, ceu in aperta deſtillatione; Perfectionem verò in retorta acquirit.

Deſtillatio per retortam fictilem, aperto igne ſucceſſivis gradibus inſtituta, exhibet primò *phlegma cum ſpiritu albicante*, poſtea *Oleum flavum*, & ultimo *rubeum cum ſale volatili*, quod ſæpiſſime etiam in prima deſtillatione impetratur, ſed non ſemper, atque interdum non niſi in tertia rectificatione aſcendit, ſi verò recte paratum fuerit leni calore, promptè ad ſummum aſcendit phiolæ.

Spiritus rectificatus ex ſale ſuo volatili imprægnatus *Syntopizantes reſtaurat, ſuffocationes uterinas reſtinguit*, &c.

Sal volatile, ut aliorum volatilium ſal, inſtar camphoræ granulatæ rectificatum, facile, excepto unico tartari ſale volatili, *omnibus aliis in tota rerum naturâ palmam præripit*: de hoc enim *Cl. Hartmannus* deprædicat, quod ſi æger aſſumpto hoc animam agens non convaleſcat, eum certò eſſe moriturum, ſi autem hujus uſum inſequatur levamen, ad valetudinem rediturum: atque hoc eſſe verum à ſe non ſemel probatum *F. Hoffmannus* in ſua *Clave Schröderiana* confirmat.

Inter Olea hoc altero magis aduſtum prodit. Quod magis aduſtum eſt levi aſpergine illitum combuſtionum dolores mitigat:

minus combuſtum acria temperat, & cancroſa ulcera ſanat, præprimis ſi ex capite mortuo ulterius calcin. extractum Sal fixum, volatile acuerit, tum enim carnis luxuriei occurrit; ubi oleoſæ partes eſcharam juvant.

Externè ipſa fuligo, arcendis febribus intermittentibus, affectionique hyſtericæ, à mulierculis laudabili cum ſucceſſu *carpis imponitur*; & ab *Hippocrate* inter ipſa fœtum pellentia refertur.

OLEUM FULIGINIS.

MIRABILE ex Fuligine OLEUM communicat *F. Hoffmannus in ſuâ Clave*, ac ita parare præcipit:

Recipe *Fuliginis ſuccini inſtar ſplendentis* nigri, ex ligno potius quercino collecti; *Succini albi* ana. p. æq. *deſtilla* lento ignis gradu *per retortam ex arena*, ut primò phlegma, deinde ſpiritus albicans, & ultimo Oleum album & rubeum cum ſale volatili prodeant, poſtmodum liquorem ab oleis ſeparatum, per M. B. rectifica, & acquires *ſal volatile*; Oleis denique *affunde Spir. Vini*, digere aliquantisper, poſtea deſtilla & nanciſceris *Oleum odorem camphoræ æmulans*. Cujus Doſis gutt. tres ſunt, in omnibus ferè affectibus, præprimis verò pleuritide.

Imò agonizantibus exhibitum miraculosè operatur, & ſi poſt ejus uſum ſequitur ſudor, infallibile reconvaleſcentiæ ſignum eſſe experti aſſerunt.

Cum ideò Fuligo tanta nobis exhibeat Medicamenta, non immeritò nonnulli hoc ei tribuunt encomium, quod, ſi in ejus vires inquiramus curioſius, facile ab *Indis* & *Garamontis* allatis pretioſioribus carere poſſimus.

A CLAUDERO in ſua methodo Balſamandi corpora, inter alia maximè prædicatur.

Eſſentia Alexipharmaca, *ex Fuligine*. v. g.

℞. *Fuliginis Splendentis*, Spiegel-Ruß q. v. & quidem ſi haberi poterit, è fumariis, ubi potiſſimum comburuntur ligna quercus, betulæ aut pini, eo melius erit: pulveriſato ſuperfunde in vitro

ſpiritus

ſpiritus noſtri *Balſamici è ſale cinerum clavellatorum & ſale armon. facti* q. ſ. ad eminentiam aliquot digitorum, hinc vitrum claudatur probè, ne pars volatilior evaporet, agitetur aliquoties, & ſpatio dimidiæ horæ quadrantis, imò citius ſpiritus menſtrui ſalinus, extrahit & abſorbet ſal & virtutes fuliginis, ut ſubitò obtineas Eſſentiam pulcherrimam rubini formem, ab omni empyreumate, ſapore, & odore moleſto liberam, quæ filtretur & in vaſe probe clauſo uſui aſſervetur.

Dixi extemporaneè extrahi ruborem, ubi tamen nullum in mora periculum, magis erit conducibile, ſi dutius relinquantur, obſervabis enim eo largius exſugi è fuligine vim medicamentoſam, præcipuè ſi uberior menſtrui copia fuerit ſuperfuſa.

Quoad *VIRES* Eſſentia hæc ob penetrabilem ſubtilitatem *pollet vi diaphoretica Diuretica, Aperiente, Purificante, Præcipitante, Abſtergente, Reſolvente*, atque huic, *Cordiali, Bezoardica, Febrili, Nephritica, Expectorante, antipleuritica, catarrhali*, quam vocant, *Nervina* & ſimilibus.

Ubicunque igitur (ſunt verba CLAUDERI) contra notata ſymptomata, ſecundum edoctas indicationes Medicas pro ſolatio ægrotantium indigebam medicamenti, *Eſſentia hæc Alexipharmaca præ omnibus aliis ſuam mihi operam hactenus ſubminiſtravit, & quidem deſiderato ſucceſſu, quod ſancta teſtari poſſum fide* (quantum quidem ſub directione Divina, adhibita remedia, fine ſuo potiri poſſunt:)

Doſis hujus Eſſentia ſunt 25. ad 30. gutt. 1. 2. 3. vicibus de die prout neceſſitas exigit. Si verò fortè ſapor alcalicus volatilis quodammodo penetrans, non ſit ad palatum, diluatur anatica portione aquæ alicujus ſpirituoſæ, v.g. ſambuci, acaciæ, naſturtii &c. ſed tunc Doſis augeatur ad 40...45. guttas.

Eſſentiam hanc dicto modo propinavi pauperculis, & qui erant fortioris temperamenti feliciter. Aliquando addidi modicum *Eſſentiæ opii* pro citius ſupprimendis & figendis nimiis, ac p. n. ſanguineis fermentationibus.

Non poſſum non, quin ſummè honorificam nunquam ſatis deprædicandæ

dicandæ ac infinitæ misericordiæ divinæ adjungam mentionem, quæ præter innumeras alias beneficiorum myriades cuilibet patrifamiliâs, sive is inhabitet Palatium regium, sive leviſſimum tuguriolum, immittat tam generoſum remedium contra tam varios morbos quaſi gratis ſuam opem commendans, licet viliſſimo coopertum ſit habitu.

Quam ſæpè enim ſolet accidere, ut paupercula laboret Partu difficili, vel *hyſterica ſuffocatione*, quam vocant, crucietur, alii verò patiantur *lipothymias Febres* aut centena alia incommoda morboſa, ubi ſalia volatilia præ aliis ſubitaneo adſunt auxilio ſuo: ob defectum autem nummorum, vel & remediorum non cito obtinendorum (v. g. ſi ruri habitant) non rarò vitæ periculum incurrunt neſcientes, in paupere ſua taberna reconditum latitare tam incomparabile auxilium, quod urgente neceſſitate, & in complexionibus fortioribus etiam crudè ſaltem aſſumtum, laudabili non minus operatione ſeſe commendare poſſet & ſolet. Hæc *Clauderus*.

Spiritus Balſamicus Clauderi.

Mediante quo non tantum hanc ſuam modo dictam Eſſentiam Alexipharmacam conficit, ſed & corpora poſt mortem incorrupta conſervat ſequentem in modum conficitur. v. g,

℞. *Cinerum clavellatorum*, libras duas *Salisarmoniaci pulv.* lib. unam, ſuperaffundantur *Aquæ communis* libræ ſex, & deſtillentur per alembicum in arena obſervatis ignis gradibus, prout artis filiis notum.

Hoc etiam menſtruo utitur *Clauderus* ad *Elixir ſuum Aperitivum* conficiendum.

Ex præcedentibus in genere patet Vegetabilia omnia conſtare copiosâ aquâ, ſali, ſulfuri, & terræ, junctâ; & prout hæ vel illæ abundant partes hoc vel illo modo ſituantur, miſcentur, diſponuntur, talem nanciſcuntur proportionem & figuram ab alia differentem.

Hinc quædam Aquea, quædam ſulfurea ſeu oleoſa, quædam ponderoſa, quædam lævia, quædam dulcia, nonnulla acida, auſtera

ſtera, amara, acerba, alia odorifera, fœtida &c. quædam rubra, quædam alba, nigra, gryſea purpurea flava &c. emergunt.

Omnibus hiſce diverſitatibus, *univerſalis ille Geometra & Architectus LUX* præeſt. Hæc eſt quæ omnia miſcet pro cujusque exigentia: Idæa verò evoluta ea conſervat, in finem Mundi ita à Deo juſſa.

Sapor eſt à prædominante ſale, ubi verò odor ſimul concurrit & ſaporem excedit, tum ſulfur prædominari videtur.

Color vero eſt à mirabili dictarum particularum mixturis, poſituris, formis angularibus, planis, regularibus, irregularibus, & innumeris talibus in quas *Solaris Lux* impingens, differenter eſſe mixturas, & colores, monſtrat.

Sal Duplex vegetabilibus ineſt, unum *volatile* per ſe, Alterum *Fixum* per accidens, hoc namq; æquè volatile fuit, ſed à terræ copia, quæ tam citò in cremationè ſequi neſciebat, depreſſum fuit.

Eſt ergò Sal fixum productum ignis novum, & quod aliâs ante volatile erat, cujuscunque vegetabilis & animalis Baſis, hyeme in radice latitat, & fomitem vitæ ſuſtinet, donec tempore verno terræ poris reſeratis Idæa ſ. Lux inſita, novam quaſi producat vitam, vegetabile in priores dimenſiones, figuram, Colorem, ſaporemque reſuſcitans rurſus.

Vegetabilis verò cujusque Idæa, ſive Lucis & contentorum motus, & actio varia, in ſemine Idæam ſimilem ſibi, imprimit, quod tum in terram projectum, ſimilem rurſus Idææ ſuæ herbam, vel vegetabile producit.

Lux in ſemine primum vitæ gradum ſibi vindicat, ex hoc ad ſecundum diſpoſitum promptè, & cum ſemen in terram projicitur, tum in terra habitantes particulæ Salino nitroſæ, volatiles acidæ, mediante aqua in illud agere incipiunt, & particulas ejus ab invicem divellere intendunt, tum verò lux inſita, & à ſuavi acido nitroſo in motum concitata, ideam contentam evolvit, & in ſemine latitantes particulas principiantes, in tenuiſſimam figuram diſponit, quibus particulis tum delineatis, caudicem in terram defigit, & per

hanc

hanc conveniens nutrimentum attrahit, & cuilibet delineatæ particulæ distribuit, & sic auget pro justo & æquo, Luce ita disponente, & suam concreatam scientiam habente, instar artificis observans, quid ad dextram, quid ad sinistram, quid ante, quid post locare & producere debeat, exactè jussum Dei exequutura :

Et quando tum aquea viscositate soliditatis parum acquisivit, tum terram perforat tenellus fœtus, Solem adoraturus ut cum insita sua luce communicans, ulterius robur addat, quo ex atmosphæra sibi conveniens *alimentum* haurire, idque per radicem, atque *inter corticem & truncum sursum ferre*, sicque augeri, & tandem maturitatis terminum assequi queat, rursus denique idæam semini impressam relicturus.

Præter Salem, *duplex item sulfur vegetabilibus inest*, proprium unum in oleo contentum, minerale alterum, à vegetabilibus aquâ mediante, in alimentum simul attractum:

Utque adeò non mirum, quod nonnulli stannum, alii mercurium, vel argentum ex vegetabilibus vel herbis separarint, in poris namque earum hæ latitarunt particulæ, mediantibus, vel junctæ alimenti particulis, adductæ :

Patetque hinc mineralium particulas simul in alimentum vegetabilium cedere posse, etsi non sint de horum natura.

Sulfur verò ex carbonibus vegetabilium quod ob æquilibrium salis saltem candet ; non verò flammam facit, nisi vento commotum) educi & separari potest tam bonum, ac ex terra eruitur, multò tamen purius, quia ad Auri puritatem, ferè accedit, & ex illa Auri particula ; sine tamen lucro extrahi potest.

(O)

SECTIO

SECTIO IV.

DE MINERALIBUS

&

Horum Reſolutione.

JAm poſt Animalis & vegetabilis Regni ſcrutinium & reſolutiones, ad MINERALIA Ordine devolvimur *quorum omnium matrix Terra eſt*, cum ſuis ſaxeis immenſis molibus, arena, limo, &c. ex voraginibus, antris, concamerationibus, hydro, pyrophilaciisque intrinſecis, conſtantem : In cujus medio Sol terrenus, ſive Ignis ſubterraneus, Demogorgon ille, videlicet Lux à particulis ſulfureis in excandeſcentiam furioſam acta, ſedem ſuam habere creditur.

Sed etſi terra ex particulis principiantibus contenſatum ſit corpus, non tamen illæ principiantes terreæ particulæ, in terra nudæ, & ab aliis ſeparatæ reperiuntur, nec in quodam rerum naturalium compoſito, niſi reſolutione chymica tandem in conſpectum prodire cogantur.

Sic etſi in Terreno quidem globo prædominantur, non tamen iſti ſolæ & ſeparatæ inſunt, ſed aliis rerum principiis ubique combinatæ :

Quemadmodum nec alia principiantia corpuſcula unquam ſola & ſeparata naturaliter in mundo inveniuntur, ſed omnia invicem ſunt commixta, & tam mirabilem varietatem rerum in Mundo conſtituunt.

Poſſunt tamen ſeparata haberi rerum principiantia, principia melius tamen in hoc, quam in alio corpore.

Sic terra virginea ſeu particulæ terræ principiantes, facilius poſſunt haberi in vegetabilium reſolutionibus, potiſſimum in cinere, ex quo ſi omne Sal extrahitur, remanet terra puriſſima, hæc ſi depuratur, in igne eſt incorruptibilis.

Ex aëre item expiſcari licet, ſi enim aërem certo artificio in aquam vertimus, hanc vero in Balneo abſtrahimus, manet in fundo terra nitroſo ſale imprægnata, hæc ſi ſeparaveris, habes terram virginem.

Ex Aqua verò item ſed mixta magis habetur.

Hanc primam Lapidis Philoſophici materiam multi crediderunt, ſed quantum decepti, & quot dilapidarint propter lapidem, ex hâc materia, tot exempla teſtari poterunt.

Poteſt quidem fieri matrix, in quâ metalla generantur, ſed quid erit, ſi unum habeo requiſitum, ubi alia deficiunt, ſemen videlicet.

Poteſt item fieri matrix pro vegetabilibus; ſed addito ſemine, & ejus nutrimento, ſaltem inibi generari poteſt vegetabile.

Aliquando Amicus mihi amico communicabat proceſſum, quem Pharmacopæus quidam proſequutus fuerat, maxima ſpe, tandem inveniendi theſauri univerſalis.

Alia verò methodo *Terram ſuam virgineam* elaborabat, & *ſeparabat, ab aquâ* videlicet, *quam Sol mediante ſuo motu ab aquâ ſtagnante ſeparaverat*, & ubique obvia reperitur ſub variis coloribus aquæ innatans, cauda pavonis ab aliis vocata.

Hanc caudam pavonis ſive terræ pinguedinem jam ſeparatam colligebat, cochleari argenteo, ab aqua in magna copia, huic tum materiæ ſubtili terreæ affundebat phlegma roris majalis, ac vitrum hyeme leni hypocauſti vel furni calore imponebat, & ſic relinquebat donec potiſſima pars ad fundum ſederat, colore incarnato: ſicque ſeparatam putabat & diſpoſitam primam materiam.

Tum menſe Majo collectam Roris quantitatem hac methodo exaltatam tenebat. Magnam videlicet roris quantitatem indebat cucurbitæ capaci, & claudebat alembico cæco, tum per ſeptimanas quatuor leniſſimo Balnei calore putreſcere permittebat, tunc alio alembico ſuperimpoſito, & ſuo recipiente munito inde evocabat multum leniſſimo igne, quali ad putrefaciendum uſus fuerat, ſpiritum ſubtiliſſimum, poſt quem phlegma ſeorſim capiebat, priori deſcripto labori applicandum. Ex remanentia verò ſenſim exſiccata, Sal extrahebat, & quantum poſſibile purificabat.

Jam

Jam ſpiritum leniſſimo Balnei calore egreſſum retortæ immittebat, & lampadis igne moderatiſſimo ſpirituoſiorum partem aſcendere curabat, & ſic ſeparata erant ut putabat principiantia corpora, terram primo elaboratam pro ſulfure, Sal vero ex roris remanentia, & mercurium, ſubtiliſſimum illum roris, & Mundi ſpiritum, certiſſima lapidis Philoſophici conſtitutiva credens.

Hæc, proportione ſequente commixta, ulterius tum igni perficienda concredebat.

Recipiebat nimirum *Materiæ* ut vocabat *Solaris purificatæ*, ab initio edoctæ, *partem unam*, *ſubtiliſſimi verò roris ſpiritus*, ut vocabat, *mercurialis*, *cum ſuo ſale juncti*, *partes ſeptem*: Hæc ovo philoſophico incluſa, & hermetice obſigillata, furno imponebat lampadis, primis aliquot menſibus leniſſimo, ne ſentiatur ferè calor, poſt paulo auctiori, ac ita ſenſim augendo ignem, per 12. menſes proceſſit, ad maſſæ coagulationem, & inſequentem fixationem.

Tandem *Fixatæ materiæ* capere volebat *partem unam*, *Auri per antimonium quantum poſſibile exaltati* & depurati *partes tres*: Auro liquefacto pulverem immittere, & per tres dies & noctes in fluxu relinquere volebat, ut inde Deo volente emergat ſumma Metallorum Medicina, & à tot ſeculis decantata univerſalis Tinctura.

Tantum ſcio, laborem cum prædicatis phœnomenis, variatione videlicet colorum, ex nigro, albo, ad rubrum, ex voto ceſſiſſe, num verò tandem optato lapide benedicto potitus ſit, comperire haud potui.

Medicinam quidem credo non contemnendam ex opere dicto fabricari poſſe, ſed cum ſpecificum Auri ſemen non acceſſerit, credo pro hâc intentione omnem irritum fuiſſe laborem.

Eſt verò ſemen auri in ipſo auro, & qui hoc potiri anhelat, aurum in materiam ſuam primam (non univerſalem) metallicam, quæ eſt Mercurius metallicus convertere laboret, retenta tamen ſuâ metallica craſi, & ſic Deo volente perveniet in hortos Heſperidum.

Ut ad noſtram redeamus terram, ſupra diximus, principiantes ejus particulas ex aqua copioſe elici poſſe, & hoc modo præſcriptus proceſſus teſtari ſimul poteſt:

Ubique locorum ſponte invenimus in ſtagnantibus aquis ſeparatas iſtas terreas particulas, vario colore corruſcantes, pavonis caudæ adinſtar.

Hæ jam ſeparatæ particulæ terreæ ſunt quidem principiantes, inque eis omnia terræ alias producta, vegetabilia & mineralia generari poſſunt, ſed requiritur cujusque rei producendæ ſemen, per ſe enim hæ particulæ nil producere valent, niſi ſemen adveniat, quo tamen utplurimum etiam refertæ ſunt, nec ſemper vacuæ, hinc ſi terram talem aquâ humectamus, ſponte enaſcuntur herbulæ variæ.

Potius vero hoc facit hæc terra, quæ ſponte uti dictum ab aquis ſe ſeparat, quam illa quæ ex vegetabilis cineribus relinquitur, hæc plane eſt vacua, & principians terra: Reliquæ ex aëre, vel ex aquâ, ſemper alias particulas combinatas habere ſolent.

Interim terreæ hæ particulæ cum aquâ commixtæ, conſtituunt rerum omnium triplici regno comprehenſarum, ſolidiores alimenti particulas, quæ ut omnibus advehantur pro alimento rebus, Aquâ pro vehiculo admodum indigent, absque hâc etenim penetrare haud poſſent.

Interim aqua etſi nutrimentum contineat, ſola tamen extra terreni globi adminiculum, & intermedium raro producit vegetabile aliquod, præprimis verò ubi ſuo motu privatur aqua.

Sic quando hyeme ſurculum cujusdam arboris, vel ceraſi, aquæ impono, tum ſi recentem ſemper aquam affundo, ac ita aquam ſæpius vario, flores quidem profert ac æſtate, ſed ubi aquam affuſam diu relinquo, nec ſæpius recentis affuſionem reitero, nullos flores profert, cauſa eſt quia ſurculus ex aqua convenientes & proportionatas quidem aſſumit particulas, relicta verò aqua cum contentis reliquis, motu ſufflaminato putreſcere incipit.

Item ſi ſemen aliquod aquæ impono, tum id haurit proportionatas quidem alimenti particulas, quæ inſitam exſuſcitant lucem, & in motum cient, ut in folia ſe explicare intendat ſemen, ſed quia matrix deeſt, hinc incrementum non capiunt extricata foliola, quia

nimium

nimium adducitur nutrimentum, quod ſibi applicare haud poſſunt, hinc aqua reliqua putreſcens, ſimul ſeminis principia ſuo nexu ſolvere incipit, & ſimul ad putredinem diſponit ſemen cum ſuis conſtitutivis.

Vel ſi affuſio recentis aquæ diligentiſſime reiteraretur, attamen ſemen, quia non habet corpus in quo radicem figit, nunquam ad floreſcentiam perducetur:

Requiritur ergò pro corpore ſive matrice terra, & liber aquæ nutrientis motus, itus & reditus.

In terra etenim aqua ſuas relinquit particulas nutritioni aptas, quæ ſeminis inſita lux ſibi pro robore viſcerum applicat, vel cito, vel ſenſim, motu tamen omnibus conſtitutivis conceſſo libero.

Sic obſervamus aquam, quæ per ſaxa & arenam fluit, eſſe admodum puram & claram, quia particulas plurimas terreas, iis arenulis vel ſaxis appoſuit.

Hinc etiam vegetabilibus nutriendis, talis aqua non ita eſt idonea, uti pluvialis, utpote quæ ſuas nondum perdidit principiantes particulas terreas.

Obſervamus item ex his, arenulas & ſaxa quædam ſingulari attractiva vi dotata eſſe, quibus præterfluens cum aqua nutrimentum adeò expeditè attrahunt, & ſibi applicant, idæa ſua lapidifica ita impulſa.

Quæ idææ, ſive effluvia lapidifica, ſi lignum vel aquam diſpoſitam, quæ particulas pro lapidibus diſpoſitas continet, offendunt, tum lapides exinde fabricant.

Quo plus verò terræ continent lapides, eò magis opaci ſunt, quo verò minus, eo magis diaphani fiunt, colorem verò ſi habent, à ſulfure, ſive metallicis particulis eundem nacti fuêre.

Potiſſimum verò conſtituens eſt aqua, quæ cum ſuis particulis, ab idæa ſive ſpiritu lapidifico, ſenſim concoagulatur in lapidem, proptereaque æque luce copioſa dotata ſunt ſaxa ac alia in rerum natura producta, id quod Sal ex lapidibus productum indigitat, ubi enim Sal, ibi Lux, & ubi incluſa lux, ibi Sal, prout hoc indigitare videtur.

PHOSPHORUS ex CALCE VIVA.

Ex omnibus verò lapidibus, *Lapis calcarius*, ſuum Sal copioſum calcinando ſuppeditat, alcalicæ energiæ, proptereaque *admirabile abſorbens*, non tantum ſubtiliſſimum acidum avidè quaſi devorans, ſed & lucem ſibi ita imprimens, ut Phoſphorum etiam conſtituat hâc methodo. v. g.

Sume calcem vivam albiſſimam, hanc ſolve ſpiritu nitri, vel & aquâ Fortiſſima, ſolutio filtrata evaporetur ad ſiccitatem, relictam exſiccatam maſſam impone crucibulo, in formam catilli cineritii facto, & in furno reverberii poſito, ignem adhibe, quo flamma continuo materiam in catillo lambere queat, idque tamdiu continuando perge, donec obſerves materiam lucidam apparere, tum igne remoto eximе vaſculum, & vitro aptato ſuperimpoſito aeri aditum præcludas: Et ſic phoſphorum è calce viva etiam habebis.

Elucet hinc maxima calcis vivæ abſorbens vis, & proportionati pori, quibus lucem etiam ſibi incluſam retinet ſubtiliſſimam.

Nec mirum quod ex hoc fundamento etiam tantas exerat vires, noſtro applicatum corpori, & ejus partibus, ſequens.

TINCTURA NEPHRITICA. v. g.

Sume *Calcis vivæ* partes quatuor.
Tartari crudi partem unam.

Coque in olla cum aquâ fontana, & fit motus inſignis fermentativus: Poſt ſolutionem & coctiuram ſolvetur & coaguletur, coagulationi ſuperfunde ſpiritum vini rectificatiſſimum, & fiat extractio, ſicque fiet Tinctura rubicundiſſima, urinoſi odoris, remedium antinephriticum non contemnendum, ſicuti hoc commendat incomparabilis *Ettmüller* nunc B. *Schröderi dilucidati* p. 22.

Fit verò hoc modo ſalis armoniaci quædam ſpecies, acido vinoſo, & alcali minerali originem debens, inſignium virium in disjicienda fabuloſa concretione.

Sal lapidibus ineſſe concretio eorum teſtatur, nullus etenim fit motus vel concretionis vel ſolutionis absque Luce, Lux verò non concentratur absque ſale, veluti ſpecifico ſuo continente.

Firmius

Firmius verò huic quam altero lapidi adpositum est, ut nulla arte ex illis rursus in conspectum produci queat.

Ubi è contra dantur *silices quidam*, qui *ab aëri levi modo suum Sal extrahi patiuntur*.

Proptereaque in locis quibusdam, (uti in *Helvetia* prope *Scaphusam* observavi) rustici silicibus è terra fossis, agros suos fœcundandos conspergunt, fimi loco.

Hi namque silices aëre concesso, solvi incipiunt, poros suos ingrediente aëre humido: Sal verò copiosum in silice contentum, naturali quadam inclinatione, humiditatem ex aëre recipit, tempore pluvioso & humido, attractam verò aquam non amplius relinquit, nisi aëre sicco & solis calore, humiditatem in silice contentam, evocante & attrahente; tunc verò rursus Sal combinatum ei quantum potest sequitur quidem, quoniam verò sal veluti magis corporeum, attenuato humido & avolante, in superficie lapidis remanere cogitur, hinc quousque Sal ex poris est evocatum, eousque lapis fatiscit & in terram mutatur fœcundam, & sic actione & reactione humiditatis & caloris attrahentis, tandem totus silex in terram vertitur, sale nitroso copioso constantem.

Salem lapidibus inesse statuimus modo: Non verò illum primigenium & principians per se, sed jam compositum ex sulfureis acidis, terreisque cum aquâ combinatis particulis, putamus.

Tam subtile enim est illud *principians Sal*, *lucis purissimum domicilium*, ut omnia permeet corpora, hinc *purum & solum seorsim existens nullibi reperitur facile*, *nisi in aëre*: Est tamen in eo vis & vita rerum omnium naturalium, quando variis aliis, sulfureis, terreis, aqueis particulis combinatur.

Sulfureæ particulæ maximam cum eo habent convenientiam & ex amborum copula nitrum fit, cum ergò nullibi tam sulfureæ communes quam primigeniæ principiantes particulæ salinæ puriores inveniantur quam in aëre, hinc in ea se apprehendentes, nitrosum constituunt aërem, id quod demonstrat experimentum, quando aërem concentramus in aquam, hanc verò evaporamus, tum remanet in fundo

fundo Sal, puriſſimum nitrum; Nitrum ergo omnia antecellit ſalia, utpote copioſo principiante ſale conſtans, & ſi particulæ communes ſulfureæ ab eo ſeparari poſſent, nullibi citius Sal mundi primigenium haberi poſſet.

Et hinc eſt quod Philoſophi nitrum mercurium catholicum eſſe credant, proptereaque menſtruum in eo pro auro ſolvendo quæſiverint, aliquid item invenerint quidem, non verò Philoſophorum lapidem.

Solvit namque mercurius ille catholicus, principians Sal, puriſſima luce conſtans, quidem Aurum, particulas ejus diſproportionando in oleum, ſummam medicinam: Sed quia hoc modo Aurum ex ſua proportione metallica depoſitum eſt, hinc alia metalla illud in ſuos poros non admittunt, nec ejus tincturam ſibi imprimi propterea permittunt.

Nec Philoſophorum Lapis hâc ratione conſtruitur; ad quem acquirendum oportet, ut in Auro craſis & proportio metallica conſerventur, & illud in ſuam primam materiam metallicam, ſive mercurium metallicum, convertatur.

Separatio verò quâ nitrum philoſophorum, ſive Sal primigenium, virgineum, ab illo nitro communi, particulis videlicet ſulfureis, diſſolvitur, fit via putrefactionis.

Aliâs verò principiantes particulæ tam ſulfureæ, quam ſalinæ, combinatæ habentur in ſpiritu rubicundo, quem propterea plurimi ſeorſim exiſtentem, deſtillatione ſibi comparare voluerunt, ſed irrito ſemper conatu, imprimis Agricola.

SPIRITUS NITTRI RUBICUNDUS

Tibi ergo jam lubens arcanum hoc communico: Procedito vero ita: *Nitrum cum ſuo intermedio ad fluxum inhibendum, commixtum, & deſtillationi commiſſum, primo album tibi fundit ſpiritum ſalinum, & denique ſequuntur rubicundi volatiles, his viſis, oportet ut recipulum mutes, & hos rubros ſeorſim capias ſpiritus, & ſi plures habes recipientes, omnes rubro hoc ſpiritu ſive vapore repleas, donec nullos amplius egredi ſentias ſpiritus, vel vaſa ſive recipula deficiant.*

Oportet

Oportet verò recipulum vapore repletum probe cera occluſum ſervare, donec alios item repletos vapore habeas, tum verò ſingulo vaſi injice camphoræ modicum, & ſubitò vapores ignei volatiliſſimi, ob proportionatos poros ſe huic jungent, & in liquorem rubicundum confluent, camphorâ olei inſtar innatante, quam ſeparare poteris:

Spiritum verò fugaciſſimum vix ſervabis, niſi vitrum hermeticè ſigilles, nec evitabis quin transfuſione de vitro, in vitrum, magna pars rurſus in auras abeat, in vaporem rubicundum reſoluta.

In hoc ſpiritu ſanè non minima latent arcana, utpote puris principiantibus ſalinis particulis conſtante, ſulfureis admixtis, quas ſi ſepares, *habebis aviculam Hermetis*, *mercurium catholicum*, ſivè *Sal virgineum* purum lucis domicilium, Salium omnium utpote Salis Marini, Communis, Nitri, Vitrioli, &c. imò rerum naturalium omnium principians Sal, lucis immediatum habitaculum.

Sapientiſſimo ſanè conſilio Divinum Numen, rerum Naturalium nexum, catenulis quaſi conſtrinxiſſe hariolamur, dum tria Regna, commenſuratis & certis gradibus combinata, conſpicimus, & *Sal Univerſalem horum Directorem conſideramus*. Hoc cùm in Animalibus & Vegetabilibus per conſtrictiores fibrillarum poros ſubtiliſſima ſua ſpicula vibrare neceſſe habeat, volatile magis exiſtit, quàm in Mineralibus, quæ ob rudiores terræ mæandros, tam intimè non implicatas obtinent ſalinas particulas, ſed indigeſtas eas plus habent, copioſiori aquâ involutas, unde varia plerumque inter ſe ſalium & ſulfurum corpuſcula in mineris deprehenduntur, ex quibus poſtmodum, (quando elaboratiores particulæ eò prorepunt, ut jam magis unitæ vehementius in ſe inſurgant,) poſt pugnam duriſſima concreſcunt Metalla.

In genere igitur *Mineralium originem à Sale petimus*, in quibus tamen volatile intenſior ignis acuit, ut difficulter hebeteſcat, quodque ideò Univerſale merito vocarunt *Paracelſus*, *Fratres Roſeæ crucis*, & alii innumeri Philoſophi, cum Solis calore ſubtilitate ejus particulæ in athmoſphæram provehantur, ut tum pro varia cujusque rei matrice inſervire queant, & nutrimentum de novo refundant.

Variè igitur operatur hoc Naturæ Architectonicæ Instrumentum SAL, pro varia corporum mistione, *& acidi figurantis* aptitudine, ubi tum ex variis intermixtis particulis salia post pugnam indurata, & alia Mineralia & Metalla resultant.

Sufficienter id demonstrant *Mineralia*, quando ea ignis anatomiæ tradita *omnia acidos fundunt spiritus.*

Acidum ergò solum est, quòd elaboratiores Mineralium partes suâ colaturâ constituit, & Metalla compaginat ac concentrat, prout universali Motore arctius acidorum spicula sibi implicantur invicem, ut tum ex attenuatis & longo Solis motu circulatis salinis spiculis sulfur Metallorum perficiatur.

Longè hinc *superare Mineralia & Metalla* medendo *Vegetabilia & Animalia*, cum *Paracelso* & *Helmonte* multi credunt, cum hæc in alimentum non abeant, *sed suas vires integras ad habitum corporis diffundant*, & quasi *per radios operationes exerant.*

Commonstrare hoc *Helmont* intendit exemplo ab Argento vivo desumpto, ubi in Tractatu suo, *In Verbis Herbis, & Lapidibus, &c.* ita pergit: *Unica Argenti vivi unica millies mensuram aquæ inficere poterit, attamen permanere in pondere & proprietate pristina, agens enim in aquam sui saltem characterem imprimit, non verò vicissim quicquam ab aqua repatitur. Manifestum itaque est quod vis quædam Medica transferatur, mutetque suum subjectum naturale, & abeat in objectum peregrinum, solo velut radio vel aspectu sui, ita tamen, ut licet objectum peregrinum acquirat exoticam sibi vim, agens tamen inspiransque initium, nequicquam de suo pristino robore aut pondere amittat, remittatque; fit nempe id absque ullâ argenti vivi passione, diminutione, debilitate aut alteritate.*

Hæc res postquam in Mineralibus sæpè ac diversimodè subter experientiam tracta fuisset, me edocuit tandem, quod antehâc nemo mortalium fortassis adhuc opticè atque intus perspexisset, qualiter remedia abstrusiora operarentur, quodque nimirum citra sui dissolutionem, aut interitum, citra sui penetrationem intrò admissa, liberè agant in sopitum vel succensum Archæum, solo quasi sui aspectu, irradiatione vel

ejacu-

ejaculatione ſuarum virium, in medio productarum, retentis adhuc priſtinis, & non mutatis pondere & proprietatibus;

Adeoque teſtantur ejusmodi arcana, ſe infinitæ bonitati propinqua, dum infinitas quaſi ſpargunt vires. Quapropter non impunes manebunt Medici, dum pauperes, qui absque impenſis ullis facilè atque obiter ſanari potuiſſent, in noviſſimo judicio ſe neglectos ejulabunt. Igitur arcana nequeunt unquam abire in alimentum, *quia* ſervant ſuos fines, *ut quæ* non in cibos, ſed in pharmaca ſunt deſtinata, *pharmaca perſeverent intrò aſſumpta.*

Ex acuto hoc *Helmontis* diſcurſu luculenter patet, quantùm hæc ultimò concentratæ, ſubtiliſatæ, perſpectiſſimæque ſalino-ſulfureæ Mineralium & Metallorum particulæ diſtent, à Vegetabilium & Mineralium diffuſis levioribus ſpiculis ſalinis, alterationi multum obnoxiis.

Ut verò illæ *Mineralium particulæ* in nudâ ſuâ & genuina compareant formâ, *artificis manu corrigendæ ſunt*, & perficiendæ ac concentrandæ, quò tum radiis ſuis igneis obſcuratum morbis Archæum illuminent, ac excitent.

Cum itaque *Salinæ particulæ primarium agant Authorem*, de *Sale* nobis eſto initium, cum in hoc & *Sole* omnia eſſe Philoſophorum turba exclamet. Atque in eo omnium morborum naturalium medicamenta requieſcant.

Unde non ſine gravi cauſa *Sal Divinum* nominarunt, tanquam id quod à corruptione omnia conſervet. *Intelligas tamen hæc de acidis & perfectis ſolum ſalinis ſpiculis*, de quibus ſuprà jam mentio facta eſt, & quod Philoſophi *Univerſale*, *cæleſte*, &c. vocant, in quo *Omnia*, & quod omnium compoſitorum, & variis aliis terreis particulis combinatorum Salium Pater eſt & Author: *non verò de Communi compoſito*, & variis ſæpe heterogeneitatibus mediante aquâ, ceu principio materiali, hujus Univerſalis ope concreto. De quo nobis in ſequentibus erit ſermo.

CAPUT I.

De Sale Communi.

SAL commune *quadrangulari ſchemate*, ſive *cubica figura præditum eſt*, & majori indigeſtione rudiores obtinuit particulas acidas, unde lentius hujus, quam NITRI prorumpunt ſpiritus.

Marinum fontano præfertur, quia hoc radiis ſolaribus magis vicinum plus excoquitur, & de Univerſali Sale plus hinc participat. Differt etiam multum aliàs ſal ratione Climatis vel loci, ſic *Colonia allatum* noſtro multum antecellit, utpote heterogeneitatibus minus impeditum, ac *ſcheſin magis illibatam obtinens.*

Sal in genere à rerum Conditore infinitis bonitatibus dotatum eſt: *Fermentationem juvat, alimenta digerit, putredinem arcet, appetitum excitat, terram fœcundat*, hinc Maritimi populi *terram Sale impregnatam effodiunt, & agris inſpergunt*, & omne hoc acidi ratione; Ubi è contra *Alcalia carnem mortificant & putredinem promovent*, & niſi horum ferociam eluderet acidus Salis ſpiritus, mox omnia corrumperentur. Sic *Marina Aqua* pruriginoſis, & *qui ab acrioribus vellicantur humoribus, prodeſt, pſoram ſcabiemque* tollit, & partibus unà robur addit, ſi calidâ ſe foveant & lavent. Sic & *impetigini conducit.*

Et ſi in Salis energiam ulterius inquiramus, inveniemus; Ventos etiam ex mari lapidificantes & ſalificientes oriri, qui molliora in ſaxeam indurent firmitudinem. At quid de coralliis aliisque in mari petrificatis arboribus ſtatuendum ſentis? Annon *forſan Uxoris Lothi* in Salinam columnam *metamorphoſin* huc referendam cenſeamus?

SPIRITUS SALIS.

Jam ſi, quantum activitatis obtineat Sal, inquirere lubeat, ignis conſulendus, ut hujus ope conſtitutivas ſeparemus particulas acidas. Præcipuæ verò *rei hujus operationes in Deſtillatione conſiſtunt*; ubi tamen purificatione antecedente non ſemper opus habet Sal, niſi

niſi ſiccari neceſſe habeat, donec igni injectus non crepitet amplius, ubi tamen operculo adjecto Salis jactura præcavenda eſt.

Spiritum ejus communi modo deſtillamus hoc modo: Recipe *Salis marini*, vel alius ℔. j. *boli vel terræ ſigillatæ* ℔. iij. *optimè ſiccata retortæ inde ad dimidias*, & igne gradatim adhibito, ac *appoſito recipiente maximo deſtilla, decem vel duodecim horis*, ultimò fortiori igne pellendo, & ex ℔. j. Salis, *duodecim ſpiritus uncias ſæpè recipies:* hunc ſi *ſuper caput mortuum* aliquot cohobiis *deſtilles*, auctus ſemper prodit tandem per M. B. rectificandus, at lento ignis gradu, quod potes.

Si circulatum Minus deſideres, *Spiritum ſalis deſtillatum à novo ſemper & recenti Sale abſtrahe* tamdiu, *donec viriditatem nanciſcatur.*

Circa hujus ſpiritus deſtillationem ſtudiosè obſerva, ut Sal probè teras, & optimè bolo commiſceas, ſi optatum conſequi effectum velis.

Boyleus Hiſtor. fluid. & firm. pag. 17. *refert: Cum virum* inquit, *illum, quem aquarum corrodentium deſtillatio valde celebrem fecit in Hollandia, de maximâ deſtillatorum liquorum copia, quam unquam ex Sale marino extrahere potuerit, ſciſcitarer, ille qui ab omni alienus eſt jactantia, mihi affirmavit, ſe loco vulgaris pulveris lateritii vel arenæ, albicante quâdam uti argilla, atq; aliquando totum ferè Salis corpus in liquorem traduxiſſe, adeo, ut ex* ℔. j. *Salis, ſine magno labore, ignisve peculiaris intentione*, 14. *liquoris uncias extraxerit: cumque ſuſpicatus, ineſſe huic liquori multum aquæ, ex argilla Sali mixta expreſſe, porrò inquirerem, nunquid ab hoc liquore phlegma unquam ſeparaſſet? Sed de induſtria id feciſſe reſpondit, & haud minus, quam* 12. *fortis purgatique ſpiritus unicas interdum recipiſſe.* Et Beguinus habet: *Si quidem rectè operatus fueris, ex* ℔. j. *materia*, ℔. j. *ſpiritus obtinebis.*

Atque hi ſunt præcipui Salis deſtillandi modi: dantur quidem diverſæ aliæ deſcriptiones, ubi ſalibus aliis additis deſtillatio facilitatur, ſed tunc ſimplex non eſt, & aquæ forti plus ſimilis liquor, operationibus metallicis magis conducens, quam depellendis morbis.

SPIRITUS SALIS GLAUBERI.

Lubet tamen *Glauberi* methodum apponere quæ hæc eſt:

℞. *Salis marini vel communis calcinati* ℥ iiij. ſolutis in *aquæ fluviatilis* unicis xvi. adde *Olei vitrioli* ℥ iiij. *guttatim affundendo* ne nimia fiat effervescentia: hæc mixtura *deſtilletur ex cucurbita vel retortâ vitrea inarenâ ad ſiccitatem*, & prodit primò phlegma, poſtea liquor acidus, quem genuinum appellat Salis ſpiritum, Oleo vitrioli relicto & coagulato cum Alcali Salis communis.

Ex capite mortuo vel Sale relicto ſuum facit *Sal mirabile corroſivum*, cujus una pars, cujusvis liquoris ſive vini ſive aquæ partes tres coagulat.

In hoc *Sale mirabili Glauberi* aquâ diſſoluto, conſervaſſe *Cl. Sylvium* embryonem humanum, & glandulas aliqud eodem modo in cartilaginis æmulam ſubſtantiam convertiſſe *Dantiſcanum Juvenem*, *Olaus Borrichius Epiſt. Barth. cent.* 3. *refert*: credit tamen hoc ab aliis item ſalibus, *vel legitimo Spir. Vini alcoholiſato* æquè promptè aut forſan felicius præſtari poſſe.

Vires Spiritus Salis, præprimis ſi Volatilis eſt, inſignes admodum ſunt, *in corroborando Ventriculi fermento*, *depellendo Ictero*, *Febribus*, *ſenum ſtranguriis*, *ardore urinæ*, *& ſimilibus*, ſed ut dictum *Volatilis ſit*, ſubtilis, nec corruptioni obnoxius, aut corruptam ventriculi acidatem, ac crudam, craſſamque, in ſalſum volatilem ſalem convertere queat. Non enim ſimpliciter acidum eſſe debet ventriculi fermentum, *ſed acido-ſalſum Volatile*. Hoc eſt quod cibum tranſmutat, & chylum diſponit, ut ex eo poſtmodum expeditiùs Vitalis ſpiritus pabulum petat, ulterius tum elaborandus & perficiendus.

SPIRITUS SALIS DULCIS.

Ex hac cauſa permoti nonnulli artifices, ut exaltarent particulas, & ſpicula hæcce Salis acida, & volatiliora reddant, Spiritu Vini, ceu maxime Volatili & dulci, id inſtituerunt: Receperunt namque *Spiritus Salis* legitimè elaborati & rectificatiſſimi, cum *Spiritus Vini* item *rectificatiſſimi ana.* & *ex retorta* per arenam ter vel quater cohobarunt,

hobarunt, ac obtinuerant Spiritum minus corrosivum, *circulatum & dulcem.*

Quibus tamen omnibus antecellit *SPIRITUS SALIS VIRIDIS*, repetitis cohobiis in *Circulatum Minus Paracelsi* conversus. Hic tibi erit instar omnium, mediante quo medicamentorum veras solutiones & correctiones perficies. Si verò huc non pertingas, nil certè solidi obtinebis aut præstabis, quod amicè moneo, eo igitur omnem intende laborem ut hanc Volatilitatem viridam nanciscaris, & habebis Menstruum, quo Metalla calcinata disponuntur ut fixa reddantur Volatilia, atque ad Sanitatem humani coporis suas à DEO concessas largiantur infinitas dotes. De quibus si placuerit perlege *Polemannum in suo de Sulfure Philosophorum* acutissimo tractatulo.

Interim *Glauberus* Spiritus Salis, suo modo supra docti Vires admodum extollit, in affectibus scorbuticis, ac ei assentit *Vrees Wik in suis opusculis, rubro, viridi, & bono Leone, de Sale Philosophorum*, &c. ubi confirmat ejus Vires, facto multiplici experimento, cum in *West-India* Præfectus esset rerum Metallicorum, præprimis *ubi à vaporibus subterraneis mercurialibus dentes vacillant*, & gingivæ laxantur; ubi internè spiritum, externè vero pro collutione oris *Sal relictum mirabile à Glaubero vocatum commendat*, adeo ut hæc, cum Panacæâ Mercurii, centarium minerale aliis dicta, rei metallicæ operariis absolute necessaria deprædicet

---

CAPUT II.

Nitri Anatomiam exhibet.

PRæcipuum Nitri natale solum in Ægypto, *Provincia Nitria*, ac in *Africæ Provincia Cyrene est*: ubi, ex aqua stagnante *Nili*, in istorum tractuum convallibus Solis æstu producitur Nitrum:

Non secus ac in *Gallia* propè *Rupellas*, & in *Provinciali* territorio, ubi per tubos subterraneos ad unum alterumque fontem aqua ducitur,

citur, quæ tum *rotarum adminiculo ex terra hauritur, & per fossas complures diffunduntur, ut æstivus Sol dulcem exhalet aquam, multique relinquantur communis Salis acervi*; uti & in *Anglia* fit & *Portugallia*, quod Sal postmodum onerandis navibus inservit, in mercatoriarum opum defectu.

Forsan idem fit prope *Nilum* cum Nitro; quod tamen simplici nostro Nitro vix erit simile, quin potius *Aphronitrum* constituet: quale ex *novæ Hispaniæ* lacubus æstate arefactis colligitur.

Nostrum artificiale pro particularum ingredientium, terrearum figuris vel magis vel minus perfectis variat; quas enim alcali hebetat scheses, eas acidum volatile exacuit æqualiori acumine, ut in armoniaco conspicimus, quod pro tanta alcali copia, nimio acido volatili imbuitur.

Prout igitur terra vel plus vel minus existit alcalisata, vel aliis mineralibus jam saturata, ita acidum volatile vel avidius vel lentius attrahit.

Non ineptè hinc *Philosophi nitri Mineram in aëre constituunt*, & Naturæ Salem appellant. Id quod germinatio probat: Si enim *Alcalia* sive cineres sint, sive *fimus, urina, stercora, cornua, ossa combusta*, &c. agris inspergamus, *nitrosum ex aëre alliciunt Sal*, quod quò volatilius attrahitur & copiosius, eò citatiorem seminibus consitis communicat motum.

Hic *si quis plantas excitandi modum desideret*, processum ei in secretariorum invidiam communicat, *Wilh. ten Rhyne*, qui *recipit* Nitrum, Spiritu Vini optimo ad trium vel quatuor digitorum eminentiam superfusum. *Postea vitrum benè obturari, & in calido per duodecim horas asservari, postea decantari, & Vini Spiritum usui destinari; tum vasi terreo calcem vivam immitti, eique terram ad quatuor digitorum altitudinem adspergi, tandem semen conseri dicto spiritu humectandum jubet.*

Videmus hinc modum sive effervescentiam omnia fabricare sublunaria; cum in singulis salibus sive calcinatis, & tum acido per aërem saturandis; sive muriaticis sed volatilisatis, & alcalinum & acidum recondatur, in calce viva satis dignoscibilia, maturitatemque promoventia.

Constat

Conſtat etiam hiſce, *unicum eſſe Sal* quod *viribus* exiſtat *manifeſtum*, *acidum unicum* quod ſpiculis conſpicuum guſtuque, ſæpius etiam viſu, juxta figuras dignoſcibile.

Ex omnibus verò *Nitrum* magis exactam aliis ſalibus obtinet *figuram ſuam pyramidalem hexagonam*, *inæqualiter tamen lateralem*, acidoque magis volatili & accuratiùs figurante refertum, hinc magis etiam univerſali Sale ſive ſpiritu proximum.

Terra igitur ex quâ excoqui debet Nitrum vel naturaliter ſit Alcali refertum, vel artificialiter eò diſpoſitum, quale exemplum nobis exhibet *terra jumentorum urina longo tempore humectata*, ſicuti & aliæ terræ, *cineribus poſt lixiviationem rejectis*, ac aliis alcalinis vacuis imprægnatæ, quæ avidius & copioſius illud univerſale *acidum volatile* ab aliis *ſpiritum Mundi appellatum*, attrahunt: hinc ſuum conficiendi Nitri modum maxime extollit *F. Hoffmannus in ſuâ Clave*, ubi inquit: Nitrum conficiendi rationem & modum qui novit, totum terrarum orbem exiguis peragrare poteſt ſumptibus, modo *terræ communis portionem ſumat*, eamque *imprægnet ſuo artificiali fermento Nitrifico*, imprægnatam poſtea excoquat, depuret, & Nitrum ex ea extrahat, aërique iterum exponat.

Fermentum *conſtat ex Sale communi*, *urina*, *jumentorum ſtercore*, & *martialibus ſcoriis*, &c. Communem coctionis methodum hic omitto, in Chymia mea, ex *Erckero* deſcriptam, ac Nitri coctoribus notam.

Hoc jam ſubjectum Artifices, variis ſubjecerunt ignis torturis, præprimis illi qui univerſale ex eo Menſtruum exprimere tentabant. Sed inter Mineralia Proteus eſt, qui hanc, mox aliam aſſumit formam. Quædam enim ipſe figit, quædam reddit volatilia, à quibusdam redditur volatile, & ab aliis figitur ipſe.

Operationes, quibus ſubjiciebatur, erant Purificatio, Deſtillatio & variæ aliæ præparationes.

NITRUM PRÆPARATUM.

Simplicior præparatio quæ circa hoc ſubjectum ſuſcipiebatur, erat liquefactio in tigillo & mediante ſulfure combuſtio, quod ita præ-

paratum *lapidem prunellæ appellabant*; hoc enim modo acidum extrahendo, alcalinam fortificabant partem, ac *febribus ardentibus plus conducere, ſed falsè*, credebant, quia hoc ita alcaliſato Nitro magis exaltabant in iſtis Febribus alcalina efferveſcentes & ferocientes particulas, *& calorem ſæpius intendebant, quem acidis reſtinguendum relinquere debuiſſent.*

Meliùs itaque & ſecuriùs procedunt illi, qui in dictis affectibus *ſimplici ſaltem & repetita coagulatione & ſolutione in aquâ id purificatum adhibent*, vel ipſum *ſpiritum* ejus.

Si verò *ad Febres intermittentes* aliosque affectus ab acino provenientes propinari debeat, tunc conſultò plus alcaliſatum Nitrum in uſum cedat.

Alcaliſatum verò tunc redditur, vel *carbonibus pulveriſatis conflagrando*, vel ſi in majori copia expetatur, *cum Sale tartari detonando*, vel ut ſupra cum ſulfure comburendo.

Acida namque quo ſimpliciora & purora, eò majorem in calore febrili extinguendo obtinent energiam, ut in hoc conſpicuum nobis præbent exemplum *Julapia ſpiritibus acidulata*, & quò volatiliores iſti ſpiritus redditi & aculeati, eò penetrantiùs alcaliſata & acria alterant, & hinc exortum calorem obtundunt. In hunc finem Dulcificationem acidorum, mediante Spiritu Vini rectificato, excogitarunt Naturaliſtæ, vel in cryſtallos etiam ambos concreſcere ſpiritus permiſerunt, quando *Spiritum Nitri*, *Spiritu*, *Vini rectificato* jungentas ac per M. B. deſtillantes in fundo reperierunt *cryſtallos Nitri* è Spiritu acido dulces, calorem febrilem maximo cum levamine extinguentes.

SPIRITUS NITRI.

Quo vero mediante deſtillatione conſtitutivæ Nitri particulæ ſeparentur ac invicem, ea hoc inſtituatur modo: Pro intermedio *obſerva ne terram vel bolum recipias qui vel vitriolo vel aliâ quâdam vel Martis* &c. *minerâ* modo imprægnatus ſit. Præſtat itaque argilla alba, vaſis porcellanis, vel fiſtulis tabacinis inſerviens.

Recipe

Recipe ergo *argillæ hujus optimè ſiccatæ*, ℔ iij. *Nitri pulcherrimi* ℔ j. miſta exactè *ex retorta per gradus deſtilla*, & prodit primò leviori igne phlegma, poſtea *aucto plus igne* particulæ quædam ſalinæ crudiores *in formâ ſpiritus albi*, ultimo verò *volatilis rubicundus* intenſiori igne implicatus ſpiritus exiit, qui in liquore, crudiori jam ſaturatus acido, ſucceſſu temporis ſubſidet.

Nonnulli, cum nullam ferè terram puram & ſimplicem, nec aliis remixtam mineris crederent, loco argillæ cineres elixiviatos ſubſtituebant, quæ ſalis Nitri in igne liquationem optimè prohibebant.

Hic jam eſt *Spiritus Nitri* deſtillandi verior modus, ſi compendioſiorem expetas, *D. Cardilucius* tibi hanc breviorem communicat methodum: v. g. *In promptu habeas retortam terream à tergo tubulatam*, vel ſi deſit tubulus, ipſe eam pertundas ferro quodam acuto ut acquirat in tergo foramen exiguum, hanc *retortam ad dimidias Nitro repletam furno impone*, ita tamen ut tubulus à tergo promineat, tunc ſtruas ignem tam validum, *ut Nitrum liqueſcat ſaltem*, quò conjecturaliter percepto, *per tubulum injice ſulfuris communis fruſtulum piſi majoris magnitudine, vel dimidiatæ fabæ*, ac ardens ſulfur ſpiritum Nitri liberabit, & in receptaculum firmiter ad lutatum (excepto foraminulo parvo ligneolo clauſo, ut aperiri iteratò queat,) transvehet, remanentibus & ſulfuris & Nitri particulis alcalinis.

Poſtquam verò ſulfur eſt injectum, aliquantillum apertum ſervetur dictum foraminulum, donec aura ſibilans, vel ſylveſtres ſpiritus reticeant, quò viſo foraminulum claude, & expecta donec major pars ſpirituum transgreſſorum ſedata fuerit, tum rurſus foraminulum aperi, & denuo ſulfuris fruſtrum injice, & ut prius procede, idque continua, donec nulli amplius ſpiritus egrediantur, & omnis Nitri ſpiritus mediante ſulfure ardente elevatus fuerit, ac Nitrum ſaltem fixatum, & in alcali verſum ſentiatur; tum deſiſte, & ſi bene operatus fueris, *intra paucas horas, majorem elicies ſpiritus Nitri copiam*, quam ſi per retortam deſtillando integrum teras diem: hæc dictus *D. Cardilucius*. Interim tamen ego communiori methodo, utpote plus certo, & rubicundi volatilis ſpiritus multo plus fundenti, acquieſcam.

Jam, ſi conjunctum habes utrumque Nitri ſpiritum, album, ſcilicet, qui ex crudioribus acidi ſpiculis, rubrum verò, qui ex ſubtiliſſimis & volatiliſſimis, ac omnibus alienis, implicatisque particulis deſtitutus conſtat, cum phlegmate, tum amborum ſeparationi inſiſtendum.

SPIRITUM NITRI RUBICUNDUM Seorſim excipere.

In hiſce ſeparandis ſpiritibus, volatili ſcil. & crudiori acido, multum inſudarunt *Agricola* & alii, ſed methodum, quâ inſtitui debebat debita hæc ſeparatio, tacuerunt, *camphorâ oleoſo volatili ſubjecto abſolvendam*, in quo volatiliſſima ſpiritus Nitri rubicunda ſpicula, requieſcunt & conglomerantur, integris viribus tunc ſeparabilia, ut quæ antea in forma rubicundi vaporis exiſtebant, jam in forma ſpirituoſiſſimi liquoris ſubſiſtunt, qui tamen volatilis adeò eſt, ut vix de vaſe in vas fiat transfuſio, quin magna pars in auras abeat, velut in Patriam propriam, unde natalibus clarus. Modum clarioribus proſtituere verbis, nondum licet.

SPIRITUS NITRI DULCIS.

Alii cum animadvertiſſent, quantum commodi adferant volatiliores acidi ſpiritus medendo, crudioribus particulis corrigendis, & Eſſentiis aliis verè extrahendis, Spiritum Vini, ſalino-ſulfureis & volatiliſſimis particulis refertum adjecerunt, ut hoc modo crudiores Spiritus Nitri particulas exaltarent & quaſi dulcificarent. Receperunt vero *Spiritus Nitri* genuinè elaborati, *fortiſſimi*, partem unam, *Spiritus Vini alcoholiſati* partes duas, mixta per alembicum, aliquot cohobiis deſtillarunt, donec unita probè exierint, in formâ ſpiritus admodum volatilis.

Spiritus hic habetur pro *Menſtruo anomalo Boylei*, de quo confer ejusdem exercit. *de menſtruis Stomachic.*

Vires Spiritus volatilioris eminenter inſignes ſunt & expertæ ſatis, *in confortando debiliori ſtomachi fermento acido, cruditatibus ejusdem acidis corrigendis*, unde *in Colica*, *Febribus ardentibus*, *peſte ipſa*,

ipſa, inque *Nephritide* & *Calculo* non ſatis deprædicari poteſt. Doſi ℈j. vel ʒß. cum idoneo propinatus vehiculo.

Suis enim aculeis obſtructiones reſerat, tenacem hoſtem incidit, renum fermentum acidum confortat, ut ſanguineam maſſam largius præcipitet, vel ſerum à ſanguine ſegreget, hinc multa dilutione acrium confluxum cohibeat, vel hebetet.

Et cum hujusmodi *acidum volatile modicâ Doſi ſæpius exhibitum*, ſuis ſpiculis non exacte fermento illi lapidificanti reſpondeat, *calculi deſtructionem, pro fabricatione intendit*, ſicuti acidum in gallinarum ſtomachis fermentum calculos & ſimilia ſolvit.

Omnibus verò hic, ut dictum, *Nitri Spiritus volatilis præfertur:* hic ignis inſtar homogenea congregat, heterogenea ſegregat, & penetratione ſua calculoſum deſtruit vinculum. *Quod enim omnes calculo non infeſtemur quotidiano panis uſui ingenioſiores adſcriptum volunt*, cum ex eo deſtillatione, & rectificatione, proliciatur Spiritus nitroſo volatili ſimilis, & tincturis hinc compactioribus etiam elicentis, lapidumque nævis delendis appropriatus, exindeque calculoſis non leve afferens auxilium.

AURUM AURÆ BALDUINI.

Non vulgare nec infimum arcanum revelaſſe putant, illi, qui *ex Nitro Magnetem* docuerunt, quo *ex aura Tincturam Auri attrahere* volunt, ſed vilis admodum iſta videtur Auri Tinctura, *cum Tinctura Salis Tartari* de Nobilitate decertans, & vix hanc exſuperans. En deſcriptionem.

Sumunt *Nitrum purum & cryſtallinum, crucibulo immiſſum, per repetitas carbonum pulveriſatorum injectiones*, tam diu fluere in crucibulo ſat firmo permittunt, *donec nulli amplius carbones accendantur*, atque Nitrum omninò fixatum reſtet. Hoc *per ſolutiones & filtraturas optimè purificatum*, crucibulo immittunt ſereno cœlo, Sole cancrum, Leonem vel Virginem ingrediente, tempore matutino, *ſuppoſito igne per duas horas*, & ſpatio centum minutarum, *attrahet ſulfur aureum, herbaceo colore*, eoque ſummo, & tunc *cave ne igne* nimium valido

colorem *hunc expellas rursum*, & in suum chaos regredi facias, sed quamprimum summum illum colorem nactum fuerit, ignem remove, & refrigeratis omnibus cœruleum videbis calorem.

Tum *pulverisato magneti superfunde Spirit. Vini rectificatiss.* & levi digestione Tincturam extrahe, quam ad liquorem abstrahe qui initio gustu salsus deprehenditur, donec diebus aliquot interjectis magnes sive salsedo subsistet, limpidæ instar, tinctura innatante.

Mira de viribus hujus Tincturæ deprædicat *Balduinus*, & ceu universalem Medicinam nobis commendat, at ferè arroganter nimiùm, cum *vix Tincturam Tartari exæquet*; quod enim fixatum carbonibus Nitrum, tam brevi tempore, (imprimis calore suppositò resistente,) volatilissimas particulas auræ, acidi videlicet subtilissima & volatilia spicula, attrahat sibique agglomeret, vix sanè credibile videtur.

TINCTURA NITRI.

Minori cum strepitu *Glauberus*, aliàs gloriabundus admodum, ex hoc fundo communicavit suam *Tincturam Nitri*, ubi mediante Sale volatili magis corporeo, incorporea ferè acidi spicula ligat, ac mediante præcipitatione figit, ut tum, cum Spiritu Vini tincturam, vel aliqualiter fixatas acidi sulfureas particulas, meliori cum successu extrahat. v. g.

Recipit *Spiritus Nitri fortissimi*, rubicundo volatili multum imprægnati ℔. j. in hoc solvit *lunæ*, *mediante lixivio purificatæ & exsiccatæ* tantum, quantum calore levi repetitis injectionibus solvendo est: postea in *capaci vitro affundit guttatim Oleum Tartari per deliq. vel sal Tartari resolutum*, tam diu donec ebullitio cesset *ac liquor rubicundus existat*, tunc filtratum liquorem lento calore cinerum evaporat, *usque dum sal rubicundi vel flavi caloris restet.* Cui tum *Spiritu Vini rectificatissimo superaffuso tincturam extrahit*, quam ad liquorem exhalatam servat ad usum.

Vires sunt *Diaphoreticæ*, *Diureticæ*, unde *in Febribus*, *Nephritide*, *item Colica exhibet* medicamen haud vilipendum.

Dosi

Dosi guttularum, x. xx. xxx. & ultra propinandum, cum idoneo quovis vehiculo.

Sal post tincturæ extractionem relictum, solve, filtra, ac evapora, & habes *Nitri Magisterium*, excellens *aperitivum mesaraicarum, venarum, renumque & vesicæ.*

Dosi ℈j. ℈j. exhibitum.

NITRUM NITRATUM.

Porrò dantur aliæ quædam Nitri præparationes, ubi acidæ particulæ fortificatæ expetuntur. v. g. *Solve Nitri crystallos spiritu Nitri fortissimo, postea ad siccitatem abstrahe* & nil nisi phlegma exit, spiritu remanente: tum verò *recentem superfunde spiritum*, & repete laborem tamdiu, donec spiritus Nitri tam acidus elevatur ut fuit affusus. Atque ita *duplicatum nactus eris Nitrum.*

CRYSTALLI NITRI.

Vel si acido quodam metallico auctum velis, Recipe *Sacchari Saturini* ex minio præparati, *Crystallorum Nitri* ana p. æq. dissolvantur cum *aceti destillati* s. q. post abstrahe ad dimidias, & in cella repone ut crystallisentur: quos cum aquâ pura, vel destillatâ aliquoties solvendo, & filtrando purifica, in siti inextinguibili maximi effectus.

Alii, ne nauseabundo urinoso sapore delicatulis adversetur, *Nitrum Saccharo miscere instituerunt* hâc encheiria: Solutiones nimirum & *Nitri & Sacchari Chandi* mediante *aquâ rosarum* factas, & junctas, ad dimidias exhalare permiserunt, ut in crystallos abire juncta queant. Hos *Nitri saccharatos crystallos* Wirtzius pro Arcano habet *in hæmorrhagia vulnerum* cum aqua cerefoliæ datos.

Sic alii cum adverterent Nitrum in Febribus ad temperandum calorem optimo cum effectu & internè & externè adhiberi, fabricarunt è Nitro poma manibus tractanda: hoc modo

℞. *Nitri crystallini pulcherr.* ℔. ß.
Salis absinth. card. benĕd. ana. ℥. j. ß.

Nitro incrucibulo liquefacto per vices salia injiciantur, quæ tum omnia

omnia probè liquata effundantur *in ventrem phiolæ detruncatæ vitreæ parvæ*, luto probè munitæ: ac tum omnibus refrigeratis, confracto vitro, Nitrum conglobatum usui asservatur.

CAPUT III.

Vitriolum resolvit.

EX diversis Vitriolum constat particulis, rudiori indigestione, *ex sulfure metallico, terra puriori mixto, & acido soluto concretis*, undè vi ignis in pristinum sæpè convertitur Metallum, quædam crudior ejus pars.

Figura ejus quinquagula est, sed rudior sæpissimè, & multarum heterogeneitatum miscellâ dislocata, unde adeò feroci Vulcano adigi debet, antequam spiritus dimittat, quia illi dum hac exsilire nituntur, illac impediuntur.

A sulfure alii originem petunt, *quem tamen ab acido potius deducere debuissent*, cum ipsum sulfur hujus ope concretum sit; atque hanc ob causam è Salium genere exterminatum volunt, nescientes *ipsum sulfur nil aliud esse nisi Sal*, ac *totam* præterea *Vitrioli substantiam in acidum & alcali convertibilem existere.*

Et annon totam Metalli substantiam aliâs ex elaboratissimis & concentratis salinis particulis in sulfur concretis constantem, in Sal rursus converti posse existimas: *quid ergò vetat, quin Salibus adnumeremus*, imprimis cum omnes cum Sale communi proprietates obtineat, *æquè enim ac ille solvitur igni, præbet Spiritum acidum, resistit igni*, &c.

Duplex autem est, Vitriolum vel *nativum* vel *factitium*. *Nativum* in fodinis Metalliferis concretum, & in forma stiriarum in cavitatibus sæpè colligitur.

Factitium ex terrâ Vitrioliferâ, maculis viridibus ac rubris plerumque notata excoquitur, ambo tamen haud multum differunt, nisi concrescendi modo.

Id

Id *quod viridi insignitur colore de ferro originem ducit*; quod *cæruleum*, *cupro* propiùs *accedit*: quò itaque Vitriolum nobilioris Metalli consortio fruitur in suâ concretione, eò nobilius originis hujus ratione habetur, sed absque ratione, nisi quod hoc vel illud puriori, vel intermixtis heterogeneitatibus superfluis, crudiori, acido, refertius existat.

Solum enim acidum est, quod & viribus & figuris conspicuum existit, & differentiam rerum naturalium ratione figuræ exhibet. *Hungaricum* & *Cyprium* igitur præferuntur reliquis, cum minus hedrogeneitatum combinata obtineant, & exinde acidum purius exhibeant.

In separando verò spiritu acido multum laborarunt Artifices, qui, cum adverterent Vitriolum impuritatibus vel heterogeneitatibus himiis admodum constricta tenere volatilissima acidi spicula, varios excogitarunt purificandi, & ab impuritatibus segregandi modos, ut tum liberius volatilia nancisçantur spicula acida.

Utque sic dictæ separationi via sternatur impurioresque terreæ mineralis partes prius separentur, instituatur sequentem in modum.

DEPURATIO VITRIOLI.

Capias vitrioli optimi libras aliquot, immitte ollæ ab angustiori fundo in latius orificium desinenti, & superaffunde aquam ut emineat duos digitos latos, tum ollam in latus paulisper inclinatum repone per dies 14. & plures, ac vitriolum incipit ex aqua ascendere, & excrescere ad orificium usque crispum, & album, ad tactum unctuosum, satis magnâ quantitate, hoc quando abstuliſti, quod reliquum est rursus repone, & plus de vitriolo ascendet; & ubi omne vitriolum hoc modo ascendit, & metallicam suam terram reliquit, tum hoc solve aquâ destillata, & crystallisari permitte, loco admodum frigido, in calido etenim ægrè crystallisatur; crystalli erunt albi & pellucidi adinstar crystalli. Pars tamen quædam vitrioli, syrupi instar remanet, nullo modo crystallisari se patiens hinc calore modico quantum possibile exsiccetur.

Hoc ita depuratum vitriolum destillando ferè omne in spiritum abit, remanente pauco capite mortuo albo.

DEPURATIO VITRIOLI alia.

Recipe *Vitrioli Hungarici* bonam quantitatem, aliquoties *solvendo & crystallisando à terrestreitatibus purga*, usque pellucidum fiat & sapphyrinum: *pulverisatum hoc Vitriolum solve & aliquoties denuo filtra*, filtratum liquorem pone in digestione M. B. per tres septimanas, & *separentur fæces*, quas filtratione remove, filtratum verò liquorem rursus digestioni committe, & ut prius digerendo procede sæpiùs, *donec nullæ amplius separentur fæces*, tum crystallisari Vitriolum permitte, & serva.

Alii qui tantum laboris haud impendere volunt, *Vitriolum in olla ferrea liquant*, liquefacto adjiciunt ad libras nimirum xx. *Salis communis aliquot manipulos* vel ℥iiij. tum aucto igne coquunt, donec coaguletur & siccescat, ubi tum in fundo impuriora removenda subsederunt.

Vel *Vitriolum cum aquæ pluvialis* s. q. & quantum ad solutionem requiritur solvunt, *solutionem in olla magna ferrea ebulliunt*, atque tum ad libras xx. Vitrioli, aquâ solutas, adjiciunt, *limaturæ vel recrementor. ferri* ℔ x. & omnes impuritates cum ferri recrementis junctæ fundum petent: tunc liquorem puriorem filtra, & in M. B. lentè evapora & crystallisari sine, ac Vitriolum crudiori & rudiori acido separatum habebis, quod tum volatiliorem Spiritum facile fundit.

SPIRITUS VITRIOLI.

Jam si Spiritum separatum gestias,

Recipe *Vitrioli ut supra purificati* ℔ vj. vel x. pro capacitate retortæ, *Spiritu Vini rectificatissimo conspersum*, immitte *retortæ legitimè lutatæ vitreæ*, ut *una tertia pars vacua restet*: tunc adhibito igne s. a. & gradatim destilla in recipulum capacissimum optimo modo adlutatum: & intra 12. ferè horas, & non admodum vehementi igne obtinebis Spiritum cum phlegmate & Oleo ut vocant rubicundo, ab invicem rectificatione separanda.

SPIRI-

SPIRITUS VITRIOLI HELMONT.

Longè operosiorem *Helmont* de Lithiasi tradit methodum hanc, sed legitimam:

Recipe *Vitriolum purificatum*, eo *reple retortas ad minimum sex*: retortæ, monet, sint vitreæ, nam *lapideæ omnes porosæ sunt*, quia omnis terra poros retinet, eò quod post exsiccationem, necessariò aliquid non fixi efflat. Porrò *sint loricatæ crustæ quæ* nec dehiscat nec rimas contrahat, vel sponte decidat, aut vitrificetur nimium. Optimè quoque retortæ *collum* eminens *amplo vasi recipienti connectatur*, ne vel tantillum respiret. *Recipiens verò locetur in arena madida*, & convexa ejus pars integatur sacco ad dimidias repleto arena madida, qui saccus renovetur aliquoties aquæ frigidissimæ intinctus. *Dimidium autem retortæ pulverisato vitriolo impleatur.* Tunc verò destilla per gradus, donec moderato igne nil exeat amplius: ubi tunc augeas ignem carbonibus quantum possibile, *cum verò carbonum ignis cesset spiritum in vas recipiens propellere, injectis lignis* subter retortam *ignis urgeatur* per 5. aut 6. noctes summo igne naturæ possibili.

Retorta videbitur forsan tibi liquari in tanta ignis procella, at nihilominus constans perdurabit, eò quod exterior lorica terrea vitrum detineat & combibat, atque ita invitrietur quantum operi sat fuerit.

Memineris tandem vas recipiens à collo retortæ sequestrare flagrantissimo adhuc igne, alioquin videbis in frigidiore statione *redire spiritus in fæcem*, quæ illos exspuit.

Tum demum *accipe colocothar s. fæcem è destillatione residuam*, quam à vitriolo *Cyprio* vero, *Hungarico*, vel saltem *Goslariensi* reservasti: *Sulfuri commixta fæx* illa residua iterum *comburatur*, usque in sulfuris omnimodam absumptionem.

Hanc autem dein irrorabis & *madefacies præfato spiritu*, is enim uti statim imbibitur in patina vel cucurbita vitrea, inde ita repetitus nil nisi phlegma aquosum atque inutile reddit, remanente spiritu imbibito in colcothare, idque *repetitum renova sexies aut septies*,

donec tandem ſpiritus affuſus rubeſcat, qui ſupernatabit colcothari, quod ſignum eſt, ceſſandum à ſaturitate imbibitionis, adeoque *hoc dives colcothar* usque *in ultimos ſpiritus*, jam flaveſcentes, *olentes mellis grati odorem, pelle*; memento tamen *abſtrahendum vas recipiens à retorta adhuc candente*, obturatoque per ceram ore lagenæ fortioris, ſervandum hunc ſpiritum, cui demum ſi aquam injeceris, vas ipſum diſſilit ſtatim; ergo *ſolo ſpiritu prioris deſtillationis compeſcitur hic ſecundus*, cujus vix unica libra transfunditur de lagena in lagenam, quin unciæ ſaltem unicæ fiat amiſſio.

Itemque niſi retorta à recipiente tempeſtive ut dictum tollatur, videbis potiſſimum ſpiritum refrigerato furno rediiſſe in colcothar, unde fuit excuſſus.

Hic Spiritus ita rectificatus, quatenus volatilis & ſalſus, *pergit usque in quartam digeſtionem*, reſolvitque excrementa morboſa in itinere obvia, & per conſequens etiam *tollit cauſam occaſionalem plurimorum morborum Chronicorum.*

Videmus ex his quam inter ſe conveniant Spiritus volatiles acidi, qui omnes, ex quocunque etiam ſint ſale, ſi ultimum volatilitatis conſequuti ſunt gradum, minimè differunt, ſed ex uno eodemque Naturæ fonte orti, vel hoc vel illud corpus ſalinum, ratione particularum unâ variè concurrentium, produxerunt.

Quod verò tàm multùm ſæpè differant hi Spiritus, tàm ratione effectus quam & ſubſtantiæ, ab illegitima & vili dependet elaboratione, & injuſtâ volatilis à crudiori ſeparatione ut omnes ſunt in pharmacopoliis tales Spiritus Minerales, qui ſuo viliori modo deſtillati, ex crudiori ſaltem, & in fluorem redactis ſalinis particulis ferè conſtant, nobilioribus volatilibus, in quibus omnis legitima vis & efficacia, relictis cum remanentia, quam ineptè & ſatis ignoranter caput mortuum appellant, vitali & volatili ſpiritu adhuc refertum.

SPIRITUS VITRIOLI NOB: de Mülinen.

Ingenioſius, poſt Helmontem, procedere *Nobilis* quidam Helvetus

vetus *de Mülinen*, in elaborandis dictis & ſeparandis particulis volatiliſſimis Vitrioli, hunc in modum jubet.

℞. *Vitrioli Hungarici* ℔. xx. *ad albedinem calcinatum levi calore* aliquot retortis, ut ſupra ab *Helmonte* edoctum, immitte & ſ. a. deſtilla per 40. horas & ultra ſummo igne, atque tunc Spiritum ſerva.

Materiam in retorta reſiduam pulveriſa, atque *aqua calidâ* ſuperaffusâ *ſolve hinc inde movendo* vitrum ne conglomeretur maſſa, hoc per horæ quadrantem facto, *cineribus calidis impone* per 12. horas, & *extrahetur Vitriolum* adhuc contentum: hanc imprægnatam Vitriolo aquam decanta, & recentem affunde, & ut prius procede, tam diu hoc reiterando, donec aquam non amplius obſerves tinctam, hoc peracto ſolutiones filtra, & in vaſe plumbeo evaporando aquam coagula vel in frigido cryſtalliſari permitte.

Hoc *extractum Vitriolum rurſus in retorta, ut ab initio, igni committe & ſpiritum expelle*, ac ex remanentia, ut jam edoctum, Vitriolum extrahe, & iterato deſtilla extractum, huncque laborem deſtillando, *Vitriolum è remanente maſſa extrahendo, tamdiu continua*, donec ex remanente maſſa nullum amplius Vitriolum extrahi poſſit, ſed nigricans quædam maſſa remaneat. Quam pulveriſa, ſolve, filtra & coagula in *Sal vitrioli alcalinum incarnati coloris.*

Spiritum omnem junctum, ex retorta leniter rectifica, à ſuo phlegmate, ac tum *Sal proprium ei redde* & per retortam deſtillando conjunge, ultimò fortiori igne pellendo, & conſequutus eris Spiritum Vitrioli magnarum virium, qui tamen cum nondum volatiliſatus ſit, ob junctas alcalini Salis particulas, *mediante Spiritu Vini volatiliſſ.* elevandus & exaltandus, v. g. cum *Spiritus Vini tartariſati ana.* aliquoties cohobetur per cucurbitam ut tranſeat in circulatum, quo in ſolvendis Metallis miracula perages, & in morbis chronicis optatiſſima ſanè præſtabis.

SPIRITUS VITRIOLI VOLATILIS TACKII.

Non infimum etiam Spiritus Volatilis ſeparandi modum reliquit

Nobiliſſ. *D. Tack*, *Archiater Darmſtadinus* p. m. ubi docet hunc modum:

℞. *Vitrioli Hungarici cærulei*, ℔. v. hoc *ſolve aliquoties & congela*, ſine tamen coloris amiſſione, tum pulveriſatum expone aëri, non tamen in Sole; ſtet aliquandiu, ſic enim per longam aëris actionem, vivum ejus aurum quod adeò arctis detinetur vinculis recluditur: hoc facto, proprio phlegmate recluditur tali methodo: *Pone nimirum Vitriolum hoc in cucurbitam, & leniter phlegma abſtrahe*, fractâ cucurbita maſſam exime & contunde, *eique redde phlegma, in Balneo repone*, & lento igne denuo phlegma abſtrahe, ſic enim recluſo altera facta erit: rejecto denique phlegmate, ſiccum Vitriolum ex retorta communi modo in Spiritum & Oleum deſtilla, *affunde denuo capiti mortuo Spiritum*, & deſtilla per gradus, fortiſſimo tandem igne urgendo, atque laborem eundem tertia vice reiterato, atque *conſecutus eris Spiritum vitra inaurantem*, quem per alembicum rectifica, ut volatilior ſolùm aſcendat, graviori relicto.

Hunc verum eſſe Vitrioli Spiritum dictus *D. Tack* profitetur, qualem Adepti Philoſophi requirunt, cum ſit virtute reſolvendi & penetrandi, non conſtringendi præditus.

Videmus hinc, quantum laborum impenderint veri Medici in eruendis veris Medicaminibus, *non* certè *pro more Pſeudo-Medicorum, qui Miniſtris ſuis ea concedunt, quæ ipſi neſciunt*, ſed quam malè ac ignoranter, eorum comperiuntur manibus ſubmiſſi ægrotantes, quos, purgantibus, maximis hauſtibus propinatis, enervatos, tandem re deploratâ, ad acidulas, & denique acerbam mortem properare, cum gravitate jubent.

Vires Spiritus Vitrioli præprimis volatilis inſignes ſanè ſunt, *ubi fermentum* languet, *& putredo imminet, ac ſanguis efferveſcens diſſolutioni proximus*, hinc in *Febribus ardentibus, acredine bilis*, renibus obſtructis, &c. maximo & cum laudabili effectu exhibetur, ubi abſtergentibus, attenuantibus ac aperientibus habemus opus. Propinatur verò *cum calido vehiculo antè paſtum* ad guttulas vj. & x. aut pro circumſtantiarum ratione ultra.

Spiritus

Spiritus Vitrioli Volatilis olim à me casualiter inventus.

Recipiebam *Caput mort. vitrioli*, quod intenso igne, haud adeò spiritus exhaustum erat, cum *salis armoniaci* ana subtilissimè pulverisata miscebam, & ex cucurbita terrea juncturis probè clausis destillabam, atque *ascendebant flores obscurè flavi, prodeunte simul spiritu acuto odore phlegma vitrioli referente.*

Destillatione peracta remanentiam in pulverem redactam solvebam & extrahebam aquâ calidâ, quâ filtratâ, & evaporatâ crystallisabatur pars vitrioli, pars verò reliqua, coagulari renuebat, odoris acerrimi; *huic jungebam spiritus vini rectif. æquale pondus, & per retortam ex arena destillabam*, ac prodibat spiritus vitrioli volatilis per strias instar vini spiritus, odore & sapore gratissimus.

Porrò jam cum viderent Artifices, quid præstent combinatæ volatilissimæ cum purioribus fixis particulis, ratione vel exemplo ab auro desumpto, quod ex acidi & alcali concentratissimis & in purissimis particulis constat; hinc naturam imitari voluerunt in fabricando Oleo Vitrioli coagulato: pro exemplo.

SPIRITUS VITRIOLI COAGULATUS.

Receperunt *Salis Vitrioli incarnati veri* p. j. *Olei* verò *vel Spiritus volatilis concentrati* p. ij. mixta in arena leniter coagulari permiserunt, tum ejus ponderi addiderunt duas *recentis Olei partes*, & ut prius coagularunt, idque iterato continuarunt donec sal in duplo auctum fuerit. Jam acceperunt *Oleum hoc coagulatum*, & *ei Olei recentis* partem analogam superaffuderunt, & in circulatorio vase hermeticè sigillata; per 14. dies arenæ imposita in totum coagularunt.

Hoc Vitrioli Oleum coagulatum dulce, ad vitæ longæ conservationem, aliis omnibus Medicaminibus præponere non dubitarunt, nec multos inveniri morbos crediderunt, qui huic coagulato non cedant.

Spiritus

Spiritus Vitrioli coagulatus alius *Cl. Ludovici.*

℞. *Spiritus Vitrioli opt.* q. l. abſtrahe hunc à dimidio, vel paulo minus *Nitri Crudi*, ſic cum ſimultaneo aquæ fortis, unâ colligendæ, proventu, *ſpiritibus nitroſis abeuntibus*, acquires ſpiritum vitrioli coagulatum, polychreſtum, & citra abuſum, tutum, atque jucundum.

Tincturam item ſubminiſtrare invenerunt, quâ injectâ *ferrum candefactum in cuprum* convertatur, certiſſimo ſic experimento metallorum transmutationem poſſibilem demonſtrantes.

Hæc jam ſunt legitimæ & veræ conſtitutivarum Vitriolicarum ſeparationes, quibus ſi non inſudes, ſuadeo ut miſſas omnes alias elaborationes facias; ſimplici enim deſtillatione nil niſi inutile ſalinarum crudius implicatarum acidum ſtagma acquires, quo plus damno, quam commodo ſanè eris, niſi more Pſeudo-Medicorum quæſtus cauſa Pharmacopæum reſpicias magis quam dolores ægri.

CAPUT IV.

Salis Armoniaci analyſin habet.

NOmen alii ab ἄμμος arena, cum in Regione *Cyrenaica* ſub ea in laminas concretum repertum ſit, alii verò ex *Armenia* natales Salis hujus derivant, quod ibi ex Camelorum urina copiosè confectum fuerit.

At, cum hoc ad nos deferri deſierit, *Europæi* ejus fabricandi modum invenerunt, *ex urinæ crudæ quintuplo*, *Salis communis* parte una, *& dimidia fuliginis.* Hæc verò tria ſalina corpora purificatione & coctione in maſſam redegerunt, & in Sal poſtmodum ſublimarunt.

Id quod ex ſanorum urina conſtat, meritò præferendum cenſetur illi, quod corruptam & putredini proximam urinam, pro baſi habet. *Recens* enim *& Sale volatili referta hic requiritur urina*, quæ coctionem ſuſtinet, ne coctione potiſſimæ vires expellantur.

Conſtat

Constat verò *Sal Armoniacum ex spiculatissimis tricuspidibus*, quæ, cùm ex figurarum tereti æqualitate volatilitatem, & ex rigido acumine ac lævore facillimam penetrationem obtineant, Solare corpus expeditissimè transeunt; *ubi si una cuspis ingressum renuit, in promptu statim altera est*, ut itaque inter Salis hujus spicula & *Auri poros* æqualis detur proportio.

Hinc *Basilius Valentinus* miris laudibus prædicat hoc Sal, & *clavem non infimam suppeditare*, ad recludenda Metalla confitetur, mediante quo Tincturæ Mineralium & Metallorum nonnullorum elevari, aptæ reddantur: *duplicatum enim obtinet Sal, ex acido subtili & alcali summè volatili combinatum*, quod in sua resolutione postmodum mediante destillatione legitimè instituta, duplicem reddit Spiritum; *urinosum*, ex leviſſimis urinæ & fuliginis particulis; *& acidum*, ex Salis communis, & volatilibus concentratis urinæ & fuliginis spiculis coagmentatum. Atque exinde Spiritui Salis etiam volatili longè præferendum, licet ex eo originem trahat. *Acidus enim Salis Armoniaci Spiritus*, summam suam efficaciam consecutus est, *ex intimâ actione, cum igneo urinæ & fuliginis alcali*, quod corrosivum mitigavit.

SPIRITUS SALISARMONIACI VOLAT:

Jam ignis consulendus, ut hoc mediante, duplices hos Spiritus unitos separamus.

Fit verò separatio illa duplici modo, vel *adjecto alcali*, si urinosum solum desideremus, vel si acidum, *addito & intermediato subjecto* combibente, quod acidum solum detinet, urinosum verò dimittit solutum.

Si Urinosum primo velis

℞. *Salis Armoniaci* ℔ j.
Salis Tartari ℔ ß. vel ℔ j.

mixtis & pulverisatis *in cucurbita superfunde parum aquæ* ut pultem referant, *vel urina pueri consperge*, ac subitò capitello superposito destillationem institue ex arenâ, juncturis vitri justè & quidem

peroptimè clauſis cum recipiente ſat capaci, & brevi tempore horarum ſcil. duodecim ſpatio, nanciſceris Spiritum volatilem in magna copia.

Acidum enim Salis Armoniaci, fixum Tartari alcali adoritur, & cum hoc pugnans, volatiliorem dimittit Spiritum.

In fundo itaque reſtat acidus cum Sale Tartari, in tertium quoddam ſive enixum Sal converſus: quod Sal ſi ſolutione, filtratione & coagulatione à terreſtreitatibus ſepares, obtinebis *Sal deoppilativum in Febribus intermittentibus*, principaliter quartana non contemnendæ virtutis.

Vires Spiritus volatilis inſignes ſunt. Deſtruit enim *fermenta acida*, hinc *omnibus morbis ab acido ortis*, depellendis inſervit, unde in *ſuffocatione Hypochondriaca, Uterina, Convulſionibus, Spaſmis, Epilepſia, Arthritide, Menſium ſuppreſſione, Febriquartana*, maximo cum effectu, in idoneo propinatur vehiculo.

Doſi guttularum x. xx. xxx. & ultra.

Externè *ſpiritui arthritico*, vel *liliorum convallium maritatus*, addito pauxillo *camphoræ*, doloribus *Podagricis*, inſigni cum levamine applicatur, combibit enim acidum doloris authorem.

Hoc nunc mediante ſpiritu, deſtillata quævis *Olea diſponuntur*, ut (quia ex ſale in ſulfureas agglomeratæ ſunt particulas, & in Oleum abierunt, ſubtiliori Solis motu,) in ſubtiliſſima ſalina regrediantur ſpicula. Pro exemplo:

℞. *Spiritus Salis Armoniaci* ℥j.
Vini rectificat. ℥iij
Olei macis ſtillat. ℥ij

miſta digere, & circulando ac cohobando inſeparabiliter conjunge; vires expeditas, *Sylvius de Sale volatili oleoſo*, maximis hinc inde in ſuis ſcriptis deprædicat encomiis.

SPIRITUS SALISARMONIACI ACIDUS.

Jam ad acidum ſeparandum deveniemus ſpiritum, qui longè operoſiori modò acquiritur quam volatilis urinoſus. Multi verò dantur proceſſus qui hunc promittunt, ſed admodum falsè; qualis

ille

ille est, qui Sal *Armoniacum cum farina destillati* jubet, & loco Spiritus, inutile saltem acidum phlegma exhibet, ut ex sequentibus patebit.

Methodus hæc est: *Primò volatile urinosum alcali separandum*, quo acidus seorsim existat; ambo enim juncti, adeò fortiter sibi invicem implicati adhærent, ut impossibile planè sit simpliciter hos separare, nisi stratagemate adhibito vinculum dissolvamus.

Hæc verò dissolutio, ut supra, mediante quidem alcali instituitur potest; sed tunc acidus relictus cum capite mortuo Spiritus, loco salis volatilis, quod dimittit, cum fixo se jungit intimius, & cum eo figitur, ut supra notatum, in enixum Sal, à quo nunquam separatur amplius.

Hinc loco alcalium talia addenda sunt absorbentia, quæ acidum combibunt, urinosum verò liberatum dimittunt; inter hæc excellit *Hæmarites*. *Cujus itaque* recipe ℔ ij. & cum *Salis Armoniaci* ana. *exactissime commixta ex retorta destilla*, & elevatur volatilis urinosus Spiritus, ac ultimò fortiore igne sublimantur *Salis Armoniaci ipsius*, quædam subtiliores *particulæ*, quæ, cum duplicatam suam vim adhuc dum obtineant integram, subtilissimas lapidis hæmatitis quasdam particulas secum ducunt, *colore aurantiarum imbutas*, quas finita destillatione exime, & *in alcohol redactas Spiritui Vini* immitte summè *rectificato*.

Volatilem *urinosum Spiritum seorsim serva*, superiori, cum *Tartari Sale* destillato, quodammodo præferendum. ACIDUM verò SPIRITUM *in capite mortuo quæras*, hoc modo: *Contunde caput mortuum*, & pulverisatum *Spiritui Vini injice*, qui in se recipiet acidas contentas particulas, cum lapidis hæmatitis subtilioribus atomis. *Spiritum tinctum decanta, & recentem superfunde*, hocque reiterato tamdiu, donec nullus magis tingatur Spiritus Vini.

Tunc omnem *Spiritum tinctum confunde*, & ex M. B. *abstrahe*, & remanebit in fundo Sal pulcherrimum, *gratissimi aromatici odoris crocei*, hoc retortæ immissum & ex arena destillatum leni igne *fundit Spiritum acidum*, qui cum cessat guttatim stillare, augmenta

ignem pedetentim, & aſcendent flores leviſſimi, variis coloribus gratiſſimè coruſcantes.

Deſtillatione finita, cum ſpiritu tuo egreſſo, flores in collo retortæ abluendo ſolve, & leni igne ex recenti retorta Spiritum denique abſtrahe, & remanebunt flores in fundo, Spiritum vero magnarum virium in receptaculo clarum & purum habebis: qui *Salis communis Spiritum antecellit robore & efficacia*, quemadmodum robuſtus nervoſus Vir, imberbem juvenem.

AROMA PHILOSOPHORUM.

Jam *recipe tuos flores*, quibus ſupra, ex prima deſtillatione elevatis, Spiritum Vini rectificatiſſimum ſuperaffudiſti, tunc tinctum decanta, & recenti reaffuſo, repetitis vicibus *Tincturam extrahe*, quamdiu colorari Spiritum obſervas: Tunc *tinctum Spiritum evoca ex M. Balneo*, quoniam nec arenæ nec cinerum calore aſcendit, quod obſerva, ac in fundo cucurbitulæ remanebit elegantiſſimi coloris Sal, odoris jucundi crocei, hoc cum floribus ſupra in retorta reſiduis commiſce, ac in cella in liquorem reſolvi permitte, & aureum obtinebis liquorem non colore ſolùm ſed & viribus, ultimam tamen ſoluti liquoris partem non adeò coloratam ſeorſim excipiendo, *Febribus conducentem*.

Prima verò *liquoris aurei pars* nunquam ſatis deprædicandas continet vires *in hydrope*, *quartana*, *ſcorbuto*, *pleuritide*, *renum calculo*, *menſium obſtructione*, *melancholia hypochondriaca*, variis ventriculi affectibus, & ſimilibus maximis corporis infirmitatibus.

Atque hinc collige Salis Armoniaci vires in recludendis metallis: quis namque crederet in duriori Hæmatitis corpore adeò nobilem aromaticam latitare Medicinam, niſi Sal Armoniacum hoc manifeſtet, hinc quærendo ſæpiſſimè per reſolutiones Chymicas invenietur id quod occultum alias manſiſſet.

CAPUT

CAPUT V.

ALUMEN BREVIBUS EXPLICAT.

HOc ex rupibus originem plerumque trahere ſolet; *Novæ Hiſpaniæ* incolæ tamen etiam ex terra hoc elixiviando conficiunt, & decoquendo in lucidum & diaphanum corpus redigunt.

Datur verò Duplex Alumen; Album & Rubicundum, quod Romanum vulgò vocare ſolemus, id quod plus ſpiritus deſtillando fundit quam vulgare album.

Figura ejus cubica eſt, acutior verò quàm ſalis communis, quia volatili acido potiſſimum conſtat, quo etiam levi igne expulſo, terreæ ejus particulæ leviſſimæ reſtant, diaphaneitate privatæ, quam aqua pura, levi acido ſaturata largiebatur.

Vis ejus adſtrictoria eſt, hinc non contemnendus ejus uſus, præcipuè externus, ſi enim induſium ſolutioni ejus immerſum ac ſiccatum induatur, ſudores corpus debilitantes, ubi opus optimè reſtinguit, præprimis in morbi declinatione.

Spiritus Aluminis, &c.

Capias ℔. v. vel q. l. *Aluminis confracti* ac cucurbitæ capaci immiſſum deſtilla ex igne arenæ, & prodit phlegma ſive acidum volatile, *quod affectibus oculorum conducit, & in angina prodeſt.* Remanentem materiam in cucurbita, exime, & pulveriſatâ reple retortam ad dimidias, ac recipiente maximo adlutato, & igne gradatim adhibito, incipe deſtillare, *continuando ignem per tres dies & noctes*, ac ſi deſtillares ſpiritum vitrioli, ſic prodibunt ſpiritus in forma nubecularum albarum inſtar ſpiritus vitrioli; & ex ℔. v. vj. habebis ſpiritus circiter ℥viij.

Relictum caput mortuum vulgò dicitur, alumen uſtum, quod ulcerum putridorum acidum optimè abſorbet & eadem purificat, excreſcentias carnis abſumit, ac in fonticulis fluxionem promovet.

Et si in ℥vj. phlegmatis solvas ℥j. aluminis erit egregia aqua aluminosa, ad purificanda vulnera & ulcera sordida.

Alumen tamen ustum à quo saltem phlegma jam est abstractum, melius est, & majoris efficaciæ in consicienda eschara, &c. quam illud quod post spiritus destillationem fuit relictum.

CAPUT III.

Sulfur commune resolvit.

SUlfur commune ab acido condensatum est, & *ex sale in hanc resinosam migravit substantiam, ac sola crassitie & particularum aut spiculorum obliteratione & defricatione à sale differt*: unde etiam hoc suo resinoso indumento liberatum, suam recuperat schesin; Si enim vulgare sulfur incendas, *subtilissimam flammam odorem aquæ forti vix cedentem* concomitari, *in acore persentisces*, quem si sub campana receperies, acidum habes spiritum, reliquis salium spiritibus haud absimilem; hinc etiam *Cl. Helmont* de eo pronunciavit, *quod eo insit maxima vis arcendi putredinem*, si enim, ut præcipit, stagma sulfuris, sive acidus ejus Spiritus quotidie detur ad duas aut tres guttas *injure carnis* aut cereviſia, illis, qui ex venæ sectione sanguinem suum putrescere compertum habent, illi post exiguum spatium deprehendent, ex usu istius stagmatis omnem putredinem à sanguine recessisse, totumque liquorem vitalem primævæ puritati ac sinceritati restitutum. *Acidus enim hic Spiritus humorum putredinem arcet, & spirituum dissipationi restinguendæ maximè opitulatur.*

Jam hic sulfurum prima considerandа, & separanda veniunt, quæ si secreta sint paululum, spiritibus suppeditant pabulum, si verò combinata rursus, pulmonum exulcerationi conferent, ubi alcalina pars acidam absorbet, acida sulfuris parte si modò non peccet acrimonia, parante viam.

Hoc est de quo loquitur *Cl. Helmont in tr. Verb. Herb.* &c. ubi jubet

jubet *sulfura spoliare vi suâ peregrina ac virulentia*, (quæ in sua concretione irrepsit:) *sub cujus nimirum custodia abditur ignis vitalis* Archeum in scopos desideratos placidissimè deducens.

Atque sine hâc præparatione & separatione inutile planè experimur *in pulmonum affectibus: alcalina* enim est *sulfuris pars* quæ inanitionis, (ut *Tachenius* habet,) impatiens, rursus suo simili exsatiari desiderat, atque hinc avidè combibit & *absorbet pulmonum acida putrefactiva*. En Rhodus, hic salta.

Hic jam præparationes varias *Schröderus* & alii habent, quarum tamen præparationum rationes vix agnoverunt: Si pro exemplo, *sublimationem sulfuris solam* consideramus, inveniemus, *mox vitriolo, mox coralliis*, aut planè sine adjecto quodam corpore, institutam eam fuisse, unde postmodum flores acquisiverunt aut acido magis vel minùs imprægnatos: quam verò differentiam haud perspexerunt, *contenti, quod arsenicalem virulentiam*, quam credebant, sublimatione, *ademerint*.

Sed si acidi & alcalini in sulfure differentiam dilucidius perpendissent, tam tædiosa multa vexamina non instituissent, vel sua elaborata medicamina ægrotis majori cum effectu adhibuissent.

FLORES SULFURIS.

Perpendamus primò sublimationem, quam nos duplici ex causa suscipimus, pro acquirendis particulis sulfureis, nimirum acido, vel plus, vel minus, imprægnandis aut saturandis. Sic, si exaltatum & acuatum expedimus sulfur sublimatum, *recipimus flores sulfuris, simplici solum sublimatione* & levi igne ex cucurbita elevatos, relicto foraminulo parvo in alembico vitreo superposito, quo expeditius ascendant: horum recipimus ℔. j. & *cum vitrioli parum calcinati*, vel *salis fusi* ℔. j. peroptimè trita & mixta aliquoties elevamus, semper cum recenti vitriolo aut sale, donec nostros flores vitrioli vel salis acido sufficienter saturatos sentiamus.

Benè hoc perspexit *Sendivogius* in suo novo Lumine Chymico, quando pag. 163. vitriolo principaliorem energiam in perficiendis sulfuris.

furis floribus adſcribit, *per ſe enim*, inquit, *flores ſublimati parum virium obtinebunt, ſi vitrioli ignis non incorporatur illis* : atque inde, Pſeudo-Chymicorum apparent falſæ opiniones, dum haud conſiderant, quid ſulfuris floribus vim & efficaciam impertierit, putantes ſolum hoc præſtare ſulfur ſublimatum, arſenicali ſuo veneno, ſed quaſi verò, orbatum. At *acidum in vitriolo clavis eſt, quod interiora ſulfuris*, ſuis acidis particulis recludit, & viribus extollit.

Hi ſunt flores, quibus *Th. Paracelſus* addere jubet *aloen, crocum, myrrham*, ac in peſte tum maximè extollit; ac qui in aliis affectibus, ubi efferveſcentia vel ebulliens ferocia cohiberi opus habet, propinari debent. Si autem tuos flores ſive ſulfur ſublimatum, plus alcalinum quam acidum velis, *ſublimatio inſtituatur per alcalina*, quæ acidam abſorbent partem, alcalinam verò dimittunt, ſic optimè tunc cum pulveriſatis elevatur *coralliis* vel *cum uſto Cervi C.* &c.

Atque tum in menſibus recentis cum bryoniæ fæcula melius adhibetur, & in pulmonum affectibus tutius propinatur.

SPIRITUS SULFURIS.

Si ſeparatum arrideat ſulfuris acidum, *fumus campana recipiatur condenſandus*; vel ſi *in promptu habeas ollam maximam*, tum ſume patinam non profundam, huic impone aquam fontanam, inque hanc patinam ordinato ollulam parvam, ita tamen ne aqua ingrediatur, huic immitte ſulfur pulveriſatum & accende, ac ſuperpone ollam tuam maximam, ut hâc coerceas fumum, qui in aquam ſubſidet, tum ſulfur extinctum iterato accende, & ollam ſuperimpone, hoc verò tamdiu repete donec aquam acido ſulfuris fumo ſentias ſufficienter imprægnatam, quam tunc pro lubitu abſtrahe, ut acidum ſeorſim exiſtat.

Faciliori via ſpiritus hic acquiritur ſequenti encheireſi v.g.

Capias Dolium latum ſed humile, huic immitte aquæ tantum, ut plures patellæ lignea ei innatare queant; patellis his immittatur ſulfur, &

hoc

hoc fruſtis ferri candentis accendatur: de hinc Cooperiatur dolium, cono, qui ex linteo denſo in formam tentorii factus eſt, ac loco campanæ inſervit, conum hunc ſemper humectato aqua, quo ſic ſulfuris ardentis fumus acidus humido illo irretiatur, ac per ejus latera defluat in aquam cui patellæ cum ♀e ardente innatant, finito labore evaporetur aqua, & remanet Spiritus. Si ♀ ardere deſinit accendatur rurſus fruſtis ferri candentis adjectis.

Acidus hic ſulfuris ſpiritus ab aliorum ſalium acidis minimè differt, niſi quod in ſulfure elaboratus & *ſubtiliſatus magis*, quam in ſalibus reliquis, ſi verò horum ſpiritus ut ſupra edocti, perficiuntur & volatiliſantur, omnes ejusdem ſunt Eſſentiæ. Et quod medicamina quædam ſulfuris ſpiritu parata laudabiliores obtineant vires, quam quæ crudiori vitrioli, ſalis &c. ſpiritu elaborata ſunt, hoc majori vel minori particularum & ſpiculorum puritati adſcribendum eſt, quæ videlicet in ſulfure magis heterogeneitatibus liberatæ, levi etiam flamma ſeparantur, ubi in reliquis ſalibus fortiſſimo igne urgeri neceſſe habent, utpote magis terreis implicatæ particulis.

Hæc de ſulfuris acido. Si verò alcalinam ſulfuris partem exaltare magis animus ſit, longè alio procedas modo, acidam nimirum obtundendo. *Hoc ſi intellexiſſent Pſeudo-Chymici, ſulfuris per oleum colliquationi tamdiu non inſudaſſent*, cum in momento juncto ſale alcali in hepaticum vertatur colorem, omni tunc inſerviens ſcopo.

ESSENTIA SULFURIS.

Verè hoc perſpexit *Paracelſus*, qui ſuam Eſſentiam ſulfuris, ex *ſulfuris* ℔ j. cum *ſalis Tartari* ℔ ß. coctis, per *ſpiritum vini* extraxit: quam Eſſentiam ignem tunc ſulfuris appellat, ac de ea prædicat, quod ſit verus pulmonum balſamus, & febres curet, internè data.

Externè verò *ulcera*, *fiſtulas*, *ſcabiem*, *carcinomata*, & alia ſimilia ſubitò & miraculosè curet, *ſi eluantur ſaltem hâc ſæpius Eſſentia*, & tum ſimplici ſaltem *emplaſtro Oppodeldoch* ſuperpoſito

emplaſtretur : quemadmodum enim, inquit, vermes & tineæ igni fugantur, ita & verminoſa & tineoſa ulcera Microcoſmi, hoc occulto ſulfuris igne profligantur.

BALSAMUM SULFURIS Cnôfelii.

Optimè hoc advertit *Cl. Cnôfelius*, qui ex hoc fundamento ſuam *Tincturam, ſive ſulfuris balſamum* adornavit, ubi in hunc docet modum.

℞. *Sulfuris* ℔ iij. fluant in tigillo, & immiſce *Salis Tartari pulv.* ℔ j. coquantur optimè, ut fiat maſſa hepatis inſtar fuſci coloris. Maſſæ huic refrigeratæ & pulveriſatæ adde *olei lini recentis* ℔ iij. Mixta coque in magno vaſe, igne leniſſimo, ſpatula ſubinde agitando, donec ſpiſſeſcere incipiant : tunc *removeatur vas ab igne, & imponatur vaſi grandiusculo aquâ frigidâ impleto*, tunc materia aſcendet, & condenſabitur inſtar hepatis tota ſpongioſa, hanc in fruſtula minima conſcinde, *inde retortæ Waldenburgicæ* fortiſſimæ, luto probè obductæ, *poſtea adaptato recipiente*, juſteque obſervatis ignis gradibus, inſtitue deſtillationem ; primis 5. horis exit phlegma, poſtea liquor lacteus, qui etiam ad 6. vel 7. horas continuabit, *quo tempore per* 15. *horas caute admodum procedendum tibi erit, igne diſcretiſſimo*, ni incaſſum laborare, & recipientem perdere velis, donec tandem nubeculæ albæ progredi incipiant, ubi ignem gradatim augere potes, & *exibit oleum rubicundiſſimum*, & in eo ignis ſtatu tunc conſervetur, donec omnis humiditas expulſa, & quouſque nebulæ non amplius conſpiciantur : tunc verò tandem ignis violentia continuetur, ut retorta candeat, & prodibit adhuc oleum craſſum butyri inſtar, in parvâ tamen quantitate. Deſtillatione abſoluta, lacteus liquor ſeparetur ab oleo, quod ſe coagulare ſolet, & tamen ſupra ignem iterum liqueſcit.

Hujus *olei coagulati ſume* p. ij. *colcothar is vitrioli* p j. in patella magna hæc ſpatulâ lignea ſupra ignem miſceantur : ac hæc ita copulata & refrigerata, ac in fruſtula parva confractam maſſam de novo ex arena per retortam vitream deſtilla, ac iterum *ſpatio viginti quatuor*

quatuor horarum exibit phlegma cum oleo, tandem verò igne aucto, cum ſpiritibus oleum ſimul craſſum gelatinæ inſtar prodit, quod totum expellendum, & à phlegmate iterum ſeparandum.

Tunc recipe *hujus olei à phlegmate ſeparati* ℥iiij. *Olei aniſi* ℥ij. mixta in phiola hermeticè clausâ digerantur per menſem, vel tamdiu, donec optimè uniantur, & habebis verum pulmonum balſamum, & hecticorum ſolatium, etiam in peſte, & aliis venenatis morbis medicamentum divinum.

Cujus Doſis eſt à gutt. v. ad ʒß. cum idoneo vehiculo.

In hoc opere ſulfuris acida pars expellitur quædam, quædam vero ſubigitur & in alcali transmutatur, vel per hoc occultatur. *Sic in primi laboris ultima forti deſtillatione, cum retorta candet, maximè noctu, fornax videtur tota cærulei coloris*, ac ſi tota ſulfure accenſo arderet, totaque domus impletur odore ſulfureo, & omnia vaſa metallica, maximè argentea & cuprea, diverſis coloribus imbuuntur, adeò ſubtilis eſt ille ſpiritus volatilis acidus, ut omnia etiam minutiſſima penetret; quo tamen viſo ignis removeatur, ut refrigeſcant omnia.

BALSAMUM SULFURIS SIMPLEX.

Si tantum impendere laboris tædeat, hâc ſaltem ſimpliciori procedas methodo. v. g.

℞. *Sulfuris pulcherrimi* ℔ j. liqueſcat ſupra ignem in ollula in vitreatâ, ac tum *immiſce ſalis Tartari, ex Nitri & Tartari crudi pulveriſatis & detonatis facti*, & pulveriſati ℔ ß. movendo ſemper ſpatula, donec probè mixta videantur, tunc verò operculo claude, ac luto probè ſigilla, igni circulari impone, & per tres horas cementa, ut in fluore detineantur: tum remove ab igne, & adde *aloes opt. myrrhæ, maſtich.* ana ℥j. benè pulveriſata, immiſce probè & exactè, ac tum maſſam effunde in patinam latam ligneam aquâ humectatam, ne eam inurat.

Refrigeratæ maſſæ ac pulveriſatæ in phiola ſuperfunde *ſpiritum therebint.* vel *oleum juniperi*, aut quod melius, *oleum ſuccini* ad eminentiam aliquot digitorum, ac in cineribus legitimè digerantur,

donec oleum videas Tincturâ probè imprægnatum, quod decanta, & ſerva tanquam legitimum & verum ſulfuris balſamum.

In paluorum mitiis, poſte- ſabuil- ..... , arthritide, & ſimilibus ſatis celebrem.

Doſi guttularum v. ad x. xv.

Externè verò *in variis ulceribus, ſordidis vulneribus*, &c. magnarum virium.

Hâc encheiriâ *acidæ ſulfuris particulæ, ope alcali Tartari abſorbentur*, & alcaliſatæ potius emergunt, quæ tum oleo liquantur, ſulfureoſalinæ proſapiæ, ex quibus tamen meritò præferuntur olea volatili ſale referta, quale ſuccini eſt & ſimilia : vel etiam ſpiritu vini ſulfureo-ſalinæ naturæ, poteſt optimè fieri extractio, ut ſupra à *Paracelſo* factum audivimus. Ubi ſequens operandi methodus non ex infimis eſt. v.g.

TINCTURA SULFURIS NOB. de Müllin:

℞. *Conchas in piſcinis reperibiles*, has aceto maceratas *à ſordibus purga*, tum verò exſiccatas *calcina ad albedinem.* Recipe tunc *ſalis Tartari* ℔ ß. huic *in tigillo probè liquefacto*, repetitis vicibus *concharum calcinatarum pulverem* ad libram dimidiam commiſce exactè, atque tum effunde, & ſequenti uſui aſſerva, nimirum :

Recipe *ſalis Tartari* ℔ ß. fluat in tigillo, & in fluxum injice *ſulfuris pulveriſati* ʒiiij. & pulveris ſupra *ex Tartaro & conchis* aſſervati ʒviij. hoc tamen modo, ſcilicet alternatim, ut *primo parum ſulfuris, tum parum pulveris, quod prohibet ne ſulfur flammam concipiat*, injiciatur, quibus liquefactis, recentem immitte ſulfuris partem cum dicto pulvere, idque continua, donec omnia ſint conjuncta & optime liqueſacta, ac tum effunde in patellam invitreatam, *atque ſubitò cum pannis quintuplicatis madefactis maſſam ſuffoca*, refrigeratam verò *pulveriſa*, ac phiolæ immiſſæ, *ſpiritum vini rectificatiſſimum ad digitorum quatuor eminentiam ſuperaffunde*, clausâque phiolâ, ac repetita recenti *ſpiritus vini* affuſione, omnem Tincturam extrahe, quam tum ad liquorem abſtrahere pro lubitu poteris.

Vires

[illegible] sua vi *conservat à putredine, calefacit acido debilitata corpora, acidum pulmonum putrefactivum corrigit*, variisque ab acido ortis doloribus demulcendis convenit, hinc *dolores dentium ac aurium sedat*, gossypio immissa.

Renum etiam obstructiones reserat, *ac arenulas pellit*, & *ab aëre maligno præservat* &c. *Dosi* guttularum 10. 20. & ultra exhibita.

SULFUR FIXUM.

Hæ jam sunt communiores, & tamen haud omnibus, vel paucioribus saltem cognitæ sulfuris correctiones, quibus sequentem, *Paracelsico* more institutam præferimus. Naturam verò imitabatur *Paracelsus*, dum artificiali calore ad perfectionem deducere intendebat sulfur, ubi hoc Natura deseruerat: *Phiolæ enim inclusum coquebat*, donec non amplius ascendere, sed *in fundo fixum manere cogebatur*, ac acido igne expulso alcalinam induerat naturam.

At cum nimium temporis huic operi requiratur, breviorem sequere methodum hanc: *Sulfur* nimirum aliquoties *per alcalina sublimatum, cum salis Tartari* ana per *calcem vivam combustum* & fortificatum, conjunge, ac phiolæ inclusa, leni igne foveto ne sulfur ascendat. Si verò adeò accuratè præcaveri haud possit, quin ascendat aliquid sulfuris, reliquis commiscero rursus: quicquid enim alcali non mixtum est, ab eo non perficitur: coque verò tam diu, donec utplurimum fixatum sentias sulfur, quò verò diutiùs eo modo cæmentas, eò magis disponitur ad sequentem fixationem: hoc facto *aquâ calida solve præparatum hoc sulfur, ac aceto præcipitatum collige & exsicca*, exsiccatum verò *ovo philosophico immitte*, & tandem igne adhibito ad maturitatem deducito seu fixitatem: cui denique tunc *superfuso alcali volatilisato Tincturam extrahe*, à quâ, si liquorem superfluum leni abstraxeris igne, remanet penetrantissimus igneus sulfuris liquor, quem cum judicio, leni igne adhibito, ne volatilem socium expellas, & observatis ignis gradibus *in*

Elixir perfectum & [illegible] curiosè regas donec fixitatem acquirat, nec nimium festinando operam perdas. Atque tum consequutus eris Medicamen, quod radiis suis obscuratum illuminat Archeum, & omnia ea peragit quæ sulfuri unquam adscribi poterunt.

Interim *Sulfur commune* primigenium non est, licet hoc ejus sit principale ingrediens, cui alia copiosè sunt admixta.

Origo ejus sive propria sedes est in variis terræ cavernis, id quod montes ignivomi demonstrant.

Conjunctum sibi servat, præter alias particulas terreas constituentes, Sal vitriolicum: hoc quando sulfur mercurium coagulat, simul se jungit, unde tum varia mineralia & metalla enascuntur, atque ita Sal vitriolicum & sulfur commune, sunt secundaria metallorum principia.

Sunt verò primigenium sulfur, sive principiantes sulfureæ particulæ, copiosæ lucis particulæ, viscositate aquæ, primigeniis salinis intimè commixtæ, nullibi melius & levius reperibiles quam in spiritibus vinosis: primigeniæ verò salinæ nullibi facilius quam in Homine.

Alias sulfur commune sive particulæ sulfureæ compositæ, sunt ignis potissimum constitutivum, in eis namque particulæ lucis concentratæ in excandescentiam aguntur, denegatis verò particulis sulfureis, cessat ignis, & lux rursus fit invisibilis.

Quantum verò ex præmissis concludere licet, credo, *particulas sulfureas primigenias idem esse, cum particulis salis primigeniis, nec hæc inter se differre nisi gradu*:

Videntur enim sulfureæ primigeniæ particulæ esse, salinæ particulæ in corporibus concentratæ, & quantum pro ratione specificæ texturæ concessum est, magis perfectæ, & exaltatæ.

Indeque patet quantum inter se distent *sulfura* composita, videlicet ea nonnnisi gradu inter se distare, neque ratione primi principii inter se esse *diversa*, sed *ratione generis* saltem.

Sic

Sic ſulfura vegetabilium, v. g. olea, reſinæ, bitumina, eum perfectionis gradum non fuêre aſſequuti, nec animalium olea, pinguedines, axungiæ &c. ac mineralium & metallorum: & hoc particularum admixtarum & inter ſe variè contextarum ratione.

Probabile item, cujusque vegetabilis ſulfur, eundem perfectionis gradum aſſequi potuiſſe, quem principaliſſimi & exaltatiſſimi vegetabilis, v.g. cinamomi, garyophyllorum, vini, &c. ſulfur; dummodo ingredientia & conſtitutiva fuiſſent ita diſpoſita.

Item & martis, vel veneris, vel antimonii, aut viliſſimi etiam mineralis ſulfur, æque potuiſſe, fieri aurum, dummodo principians illud univerſale Sal, particulas ita diſpoſitas inveniſſet pro conſtruendo ferro, quam invenit diſpoſitas pro auro, vel tempus illas taliter diſponendi conceſſum fuiſſet.

Fundamenti ergò univerſalis ſcilicet ſalis primigenii ratione omnia conveniunt quidem metalla, vegetabilia, & animalia: *Sed ſulfuris, vel ſalis primigenii, jam ſpecificati & ſulfuriſati ratione, nunc diſtinctio maximè attendenda venit:*

Et qui nunc *ſpecificum ſulfur pro auro conſtruendo* quærere intendit, is *è minerali regno* petat oportet:

Quo verò ſulfur, in hoc, vel illo, nunc ſpecificatum, pro auro magis exaltando acquiratur, *primigenii ſalis ope indiget*, quod omnium philoſophorum teſtimonio, *ex vitriolo, veluti ad mineralia & metalla* nunc *ſpecificato, facilius erui poteſt.*

Huc tamen & vegetabilium, & animalium ſulfura, ſive particulas primigenias ſalinas, multum contribuere poſſe, ſolus liquor Alcaheſt, & alia ex vegetabili etiam regno facta menſtrua ſulfurea, teſtari poterunt.

Univerſalis etenim ſalis primigenii ratione, videmus omnium rerum naturalium maximam concordantiam: Ubi tamen inter Animalia Homo, ex vegetabilibus Vinum, & inter mineralia aurum, perfectiſſima ſunt, utpote lucis concentrati magis quam alia continentiæ.

Qui

Qui ergò tam ſubito ex minerali regno ad iſtud ſalis primigenii arcanum penetrare haud poteſt, gradatim agat, conſulat animale, & vegetabile regnum, *& ex homine præprimis & vino, Sal illud univerſale primigenium ſibi acquirat*, & tum facilis erit via, quâ itur ad mineralia & metalla penetranda. Gradus ergò perfectionis obſerventur:

Cum enim omnia *ſulfura tam mineralium quam vegetabilium unico innitantur principio*, ſaltem ratione particularum magis minus fixarum differente, quia hoc magis fixum & occluſum reperitur altero, quia tamen in unico ſulfureo conveniunt principio, hinc ex eo fundamento ex quo unum reſeratur, reliqua etiam recludenda erunt.

Sic videmus ſulfur commune, veluti minus fixum, ex reliquis mineralibus, reſerari oleoſis quibuscunque, ob poros proportionatos, quos etiam craſſum oleum penetrare, & ob convenientiam ſulfuris primigenii reſerare poteſt.

Si verò mineralis cujusdam magis fixati ſulfur ſeparare animus eſt, tum, quia hoc cum ſua minera adhuc junctum, & magis præcluſum eſt, prius ſeparatio eorum inſtituenda, id quod quidem præſtabitur oleoſis, ſed magis igneis redditis, utpote quæ poros magis occluſos ſuis ſubtilioribus acuminibus penetrare, & à reliquis ſeparare poterunt.

Hoc verò præſtabunt ſalia alcalia, quæ nihil aliud ſunt quam olea mediante ſuo ſale & terra in magis ſtabile corpus cremando redacta.

Et quemadmodum hoc vel ſimile alcali nil eſt aliud quam oleum, ſale primigenio admodum igneum redditum, hinc magis item penetrat fixius aliquod mineralis corpus, quod antea impoſſibile ei erat.

Quo magis verò cum igneis corporibus, vel iis qui ſalis primigenii plurimum continent, ſalia dicta calcinantur, eo magis fiunt penetrantia & ignea, v. g. *quando Sal tartari depuratum, cum calce viva aliquoties calcino, tum particulæ ſalinæ primigeniæ tartari cum primi-*

primigeniis illis in calce viva contentis, ſe amice conjungunt, & conſtituunt Sal duplicatum, maximè penetrabile, pro reſerandis mineralium ſulfuribus, tam antimonii, quam aliorum.

Sed cum *metalla* multo magis, quam mineralia ſint concentrata, & fixata, hinc quia tale Sal nihilominus adhuc nimiis corporeis, & terreis particulis eſt oppreſſum, ad eorum intima penetrare haud poteſt:

Oportet ergò ut hoc vel ſimile Sal, planè à terreis ſuis ſeparetur particulis, & fiat ſpiritus penetrantiſſimus oleoſus, ut tum ille metallorum ſulfur ex ſimilitudine & pororum proportione, ſolvere & reſerare commode queat.

Spiritus hic ſalſus, ſulfureus, ſubtili ſale primigenio innatans, eſt illud univerſale ſolvens ad metalla, ſive liquor Alcaheſt. Subtilis, penetrans ſulfureus, lucis plenus, ſimiles particulas in Metallis concentratas reſerans, & in primum ſuum eſſe regredi faciens, retenta craſi Metallica, &c.

CAPUT VII.

De ſuccino.

SUccinum *reſinoſa* videtur eſſe *Subſtantia*, ex particulis alcalinis volatilioribus ope ſalis marini leviter concentrata & concreta.

Natales ejus, *D. Major.* & alii ex Therebintinis & pinu deducere vulgo volunt cum vidiſſent in illis locis copioſiorem ſuccini proventum, ubi tales arbores creſcunt, inde concludere voluerunt à reſinoſa talium arborum ſubſtantia per terram diſpersâ naſci: hanc verò eorum *opinionem roboravit inflammabilitas, & odor, à therebinthinæ incenſæ odore vix differens*; præprimis etiam cum ex *Martinii Alante Sinico* legiſſent, *Chinenſes* ex reſina pini per decoctionem artificialiter parare vel effingere ſuccino ſimilem ſubſtantiam, ut naturali vero invidiam facere poſſit.

Reperitur verò hinc inde ad maris littora, uti in *Boruſſia*, *Cimbria occidentali*, &c. ubi accolæ illud retibus piſcantur. Hoc tamen altero magis elaboratum ac perfectum eſſe creditur. *Nigrum* enim *vilius*, quod ſi tractu temporis Sole & ſale elaboretur amplius, tandem *in flavum & à flavo in album migrat*, id quod hæc probat Mechanica: ſi enim *ſuccinum flavum* in cucurbitam ponas, vel ollam fictilem, & ad hujus p.j. *addas ſalis communis* p. ij. ac *aquâ* ſ.q. *addita*, alembico cæco ſuperimpoſito ne aqua ſubitò exhalet, *coquas*, per aliquod temporis ſpatium ex flavo album evadit.

Levem ab acido concretionem nactum fuiſſe, facilis ejus indicat ſolutio. Sic *Cl. Morhoff* de Metall. tranſmut. refert, ſe apud *Cl. Theodorum Kerckringium* inſigne obſervaſſe artificium, ſolo nimirum ignis miniſterio, nec ullâ aliâ re addita, ſolvendi ſuccinum. Nam *oſtendit* mihi, pergit, *cadavera infantum ſuccino obducta, ut omnia membra transparerent*, monſtravit etiam *phiolam vitream ſuccino tali ſoluto*, rurſumque coagulato *impletam*. Tali verò fluiditate fuiſſe præditum ante coagulationem, muſcæ, araneæ & ſimilia, quæ perennius in eo ſepulchrum nacta ſunt, indicant.

SPIRITUS OLEUM & SAL VOLATILE SUCCINI.

Ut verò clarius ſuccini conſtitutiva nobis fiant manifeſta, deſtillationi ſubjiciamus, quæ hoc inſtituenda modo:

Recipe *ſuccini groſſe pulveriſati* ℔ iij. *immitte retortæ capaci*, ut dimidia pars vacua maneat, quam *arenæ impone*, *recipiente magno adhibito*, juncturis exactè clauſis, & ignem adhibe, menſuratis legitimè gradibus, ac *exit ab initio phlegma*, *deinde ſpiritus*, & *denique oleum cum majori ſalis volatilis portione*, quando nil amplius exit, tum refrigeratis omnibus, detracto recipiente, confuſa habes phlegma, ſpiritum, oleum, & ſal volatile, hæc ut ſepares, *recipienti infunde aquæ calidæ* ℔ ij. *ac ſal lateribus adhæreſcens ablue*, tunc in phiolam effuſa invicem ſepara, oleum ſcilicet ab aquâ, ſpiritum & ſal volatile continente.

Oleum ſeparatum cum cineribus clavellatis mixtum, ut ſaltem

oleum

oleum absorbeatur & fiat Massa sicca, retortæ indatur & leviter destilletur: Sic primo prodit oleum purum & clarum quod seorsim serva; tum aucto igne, successivè rubicundum excipe oleum.

Oleum hoc rectificatum, propter volatiles alcalisatas particulas copiosè implicatas, *insignes obtinet vires* in debellanda *Apoplexia*, *Epilepsia*, *Paralysi*, & aliis cerebri, *renum*, *vesicæ*, *& uteri affectibus.*

Dosi guttularum, iij. ad vj. & ultra.

Rubrum verò oleum roborandis convenit nervis, membris paralyticis confortandis, tumoribus dissipandis, &c.

Jam SI SAL VOLATILE SEPARATUM EXPETIS, recipe *liquorem supra reservatum*, à quo oleum fuit separatum, *immitte cucurbitæ* oblongi colli, *vel phiolæ*, *& ex M. B. leniſſimo*, sal volatile cum spiritu eleva, eo planè modo, de C. C. volatili sale edocto.

Vel *affunde liquori cui sal volatile inest*, guttatim *optimum spiritum salis*, & magna orietur ebullitio, dum acidus salis spiritus in sal volatile agit: quando cessavit ebullitio, capitellum superimpone, *& ex arena destilla*, & elevatur saltem insipidum phlegma leniori igne, quod cum cessat, auge ignem, & sublimabitur Sal volatile, quod, cum acido saturatum sit, *salis Armoniaci saporem habet.* Huic *anatica proportione sal Tartari adde*, & ex cucurbita capitello munita in arena sublima, & *Tartari sal acidum salis spiritum retinebit*, *volatile verò succini sal puriſſimum scandet in capitellum*, quod exemptum probè servetur clausum, ne ob summam, quâ pollet, volatilitatem, avolet.

Si tædioſiori rectificationi non inſiſtere velis, & attamen sal volatile ab oleo suo empyreumatico liberatum desideres, *cum spiritu vini rectificatiſſimo oleum extrahe*, donec purum relinquatur volatile sal, quod tum serva. Hæc vero rectificatio præstat, quam quæ repetitis destillationibus peragitur, hoc enim modo volatiliores salis volatilis particulæ servantur, oleosæ vero empyreumaticæ rectificantur, vel separantur.

Vires magnæ sunt, *in epilepsia*, *paralysi*, *convulsionibus*, destruendo

acido corrupto, &c. *ſudores movet*, & expertiſſimum præbet *Diureticum*, & ſimiles parat nobiliores effectus.

Ex hoc volatili ſale *cum ſpiritu vini rectificato, addito ſpiritu* C. C. itidem ab empyreumatico ſuo oleo liberato, mediante digeſtione & repetita deſtillatione *fit liquor C. C. ſuccinatus*, egregiarum virium in variis puerorum affectibus ab acido coagulante ortis &c.

BALSAMUM VITÆ SUCCINATUM.

Parant alii mediante hoc ſale volatili Balſamum ſuum vitæ non contemnendarum virium, hoc procedentes modo, v. g.

Recipiunt *ſuccini nobilioris* libras aliquot, ex hoc *deſtillant ſpiritum ſuum, oleum & ſal volatile*, ut ſupra edoctum. *Oleum cum ſale Tartari impregnatum rectificant per retortam*, ut itidem audivimus ſupra.

Hoc *oleum coralliis affundunt* ad eminentiam, ac in retorta recipienti juncta, & in arenam poſita, per ſeptem vel octo dies digerunt, juncturis tamen clauſis, ne quid perdatur, cum ſal volatile aſcendere compertum habeant: intra hoc tempus oleum tingitur, quod decantatur, & ſi quid in hac digeſtione aſcenderit ſalis volatilis, ei jungitur, & ita ſervatur. Tunc

℞. *Aleös opt.*
Myrrhæ ana. ʒj. ß.
Storac. calam. ʒj.
Benzoi ʒß.

mixtis in retorta ſuperfunde *ſpiritus ſalis volatilis* ℔ ß. & recipiente adhibito ex arena forti igne deſtilla, ac ſpiritus oleum transvehet, quod ſeparatur.

Hujus una pars, cum ſuperioris, coralliorum Tinctura impregnati, partibus duabus mixta, conſtituet Imperialem Medicinam, ad cerebri, renum, uteri & ſimiles affectus non ſatis deprædicandam, uti & in peſte abſolutiſſimam ferè.

Doſi guttularum v. ad x. xv. & ultra.

TINCTURA SUCCINI.

Qui rudiori & leviori methodo, *absque deſtillatione vires ſuccini expetunt*, mediante *ſpiritu vini eſſentiam extrahunt* ex pulveriſato ſuccino,

ſuccino, ſed tunc requiritur ſpiritus vini rectificatiſſimus, cui ego tartariſatum ſubſtituo. Quo vero ſuccinum ſuas potiores vires ſpiritui vini largiatur, *fixo quodam alcali* recludatur prius hoc modo. v. g. *Succino ſubtiliſſimè trito Nitri fixi liquorem ad eminentiam ſuperfunde*, ac in digeſtione repone per 14. dies, in fine augendo ignem, *ut omnis humiditas exhalet*, ac tum *alcohol vini* affunde & tincturam extrahe. Cujus.

Vires admodum ſunt inſignes in cerebro, ventriculo, vel toto nervoſo genere confortando, & in renum ac veſicæ vitiis & obſtructionibus corrigendis, &c.

CAPUT VIII.

Corallia reſolvit, Perlas conſiderat.

COrallium *eſt planta marina* mediante acido volatili ſeu *ſpiritu lapidifico petrificata*, in ſuo enim germinationis initio, mollia adhuc è mari ſæpius extrahuntur, quæ tamen ex mente *Boylæi* aëris ſale acido æthereo intra dies aliquot extra terram indureſcunt.

Ad perfectionem deducta rubeſcunt, acidis volatilioribus particulis in delicatius ſulfur, exaltatis, ex hâc causâ oleoſis, rutilans eorum color facilius quam aliis extrahitur menſtruis.

Contrarium quidem fovet ſententiam *Cl. Fr. Hoffmannus*, ubi *in ſua clave pag.* 161. inquit: Jam quod *colorem rubicundum concernit*, itidem *non à ſulfure, cujus ne gry quidem ineſt*, deducimus, ſed *ex nudâ naturali texturâ* diverſarum partium coalitione figuratâ: quam textram, ſæpius ab atomis & effluviis, è corpore geſtantium cachecticorum vel cacochymicorum, emanantibus, & in porulos ejus penetrantibus, inverti, ut pallore inficiantur, credimus: contra vero effluvia è ſano homine exſpirantia, eorum colorem adaugere vel conſervare.

At ſolam particularum texturam, niſi ſulfur accedat, colorem inferre poſſe, minimè videtur credibile, cum ſolum ſulfur, congruentiſſimum

tissimum colorum statuatur subjectum, utpote maximè extensibile, & pro majori vel minori particularum subtilitate colorem varians. Et, si nulli rei sulfur inesse credamus, quam ex quibus realiter & in substantia ac propriè ita dictum seu vulgare sulfur extrahitur; unde variæ emergunt colorum diversitates in vegetabilibus? *Non sanè ex solâ partium quà talium, sed quà sulfurearum, subtili vel crassiori textura: quo verò compactius sulfur rebus inest, eò color rubicundior.* Sed hic *non intelligimus illud vulgare sulfur*, quod nunquam nec ullius rei principium constituit *sed subtilissimas acidas & alcali particulas mediante Solis motu adeò exaltatas*, & sæpius concentratas, ac exindè variè figuratas, ut pro diversa earum tum positura, interveniens luminis ictus colores exprimat.

TINCTURA CORALLORUM.

Horum *suavi calore allecti artifices*, varias in eis *quasiverunt*, & quidem *magnas virtutes*, inprimis *in delicato eorum sed levi colore*, unde & in separando hoc maximè insudarunt, quem tamen, ludente sic menstruo, nacti, irrito cum effectu propinarunt, vel hunc sibi falsè imaginati fuêre, à coralliis profectum, quem menstruo tribuere debuissent.

Ex omnibus ferè meliorem Tincturæ extrahendæ modum docet *Cl. Langelott*, qui *corallia* cum *oleo Anisi purissimo* in hypocausto calido *per integrum annum digerendo, in mucilaginem rubicundam resolvit*, immutato olei colore, quo decantato, ex dicta rubicunda mucilagine, *cum spir. vini tartarisato Tincturam extraxit.* Sed quid hâc in morbis præstiterit, tacet.

Ego aliquoties *mediante oleo fœniculi* eorum colorem separavi, sed vires nullas, nisi quas menstruum largiebatur, animadvertere potui.

In substantia verò, ob vacuum corpus, alcalinæ naturæ, acido cruori destitutum, & subtiliori quodammodo perfusum, majores continet. *Acidum* enim *crudius vel superfluum*, in corpore *sibi associat*, acidis sulfuris particulis parantibus viam.

Majori cum suasu, si quis præparata velit, adhiberem *acido resoluta*

luta corallia, licet tum effectus, non tam coralliis, quam eorum ſolventi acido adſcribendus ſit: ac hic nobis placent à *Crügnero* deſcriptæ ſolutiones quas Tincturas vocat, cum hæc adſtringentem & refrigerantem obtineant vim, in fluxibus alvi, hepatis inflammatione, fluore menſium immoderato, &c. majoris effectus. Hanc verò commendat methodum.

Primò *cum aceto deſtillato, & phlegmati ſuo juncto, ſolvuntur corallia*, donec reiteratâ recentis aceti affuſione, omnia ſoluta ſint: tum *ſolutio hæc præcipiatur cum ſpir. ſulfuris*, donec omnis pulvis coralliorum ad fundum deſcenderit: hoc facto, *decantatur remanens liquor, qui eſt appropriatum* CRUGNERI *menſtrum.* Cum hoc

Secundò *ſolvuntur coralliorum rubrorum fragmenta calori levi impoſita*, & cum nil amplius extrahit vel ſolvit menſtruum, decantatur, filtratur, *& ad remanentem liquorem evaporatur*, ac ſervatur pro Medicina non ſanè contemnenda:

Aciditate enim ſua particulis terreis alcalinis coralliorum implicatâ, *ventriculum roborat, bilem acriorem obtundit*, hinc *in Diarrhæa, Dyſenteria*, &c. optimo cum emolumento propinatur, præprimis ſi in hunc finem combinatur *cum radicum tormentillæ ſucco*, & in ſyrupum ambo rediguntur. Pro exemplo:

Recipe *Radic. tormentill. mundat.* & ſiccat. ℥ vj. groſsè contuſis, in cucurbita *affunde aquæ ex eâdem herbâ & radice deſtillatæ* ℥ xvj. coquantur leniter in arena per 6. horas, ſuperimpoſito alembico, ut ſi quid tranſcendat, reaffundi queat; tum verò refrigeratum liquorem à radicibus effunde per manicam & filtra, filtrato *liquori adde Sacchari* ℔. j. *cum album. ovi num.* j. alembicoque indita rurſus, moderato igne ad conſiſtentiam decoque, ne empyreum aſapiat: deſpumato verò, & legitimè decocto ſyrupo *adde Tincturæ ſive liquoris coriallati* ℥ iij. ac ſerva pro uſu ſupra jam indigitato.

Doſi cochl. unius.

Huic ſuæ, ita vocatæ, Tincturæ quandoque addidit *Eſſentiam Martis*,

Martis, & in *hepatis obstructionibus*, *cachexia*, *hydrope*, *mensium fluxu & similibus*, optimo cum effectu adhibuit.

Porro *refert se hac suâ Tinctura*, *cum viperarum Essentia combinatâ*, aliquot centena militum, peste correpta liberasse.

SAL CORALLORUM.

Corallia, *aceto destillato* cum phlegmate juncto, *soluta*, si *adhibito leni igne*, *ad siccitatem decoquas*, ut liquor exhalet, *remanent corallia*, *acido impregnata & in salinam naturam conversa*, in omni liquore facile solubilia.

MAGISTERIUM CORALLORUM.

Pulvis vero qui *instillato spiritu sulfuris* ad fundum sedit, si aquâ purâ sæpius edulcoretur, coralliorum *vocatur magisterium*, acido saturatum, hinc naturali sua alcalina energia orbatum, & in aliud ens conversum.

REGENERATIO CORALLORUM.

Rutilantem corallia Tincturam, subtilissimis acidi spiculis in sulphur exaltatis debere, audivimus: Ab eodem etiam volatili *petrificante acido germinationis initium duxisse*, sequens probare videtur Mechanica. v. g.

℞. *virid. æris* ℔ iij.
sulfuris vivi ℔ j.
arenæ mund. ℔ iiij.

Pulverisata & exactè mixta ex retortâ destillentur, leniori ab initio arenæ calore, postea gradatim fortiori, ut exeat spiritus acido-dulcis, gustui gratus.

Hunc spiritum coralliis pulverisatis affunde, & leni calori appone, donec sensim siccescant, *tum in capaci vitro affunde aquam quandam destillatam*, vel simplicem vel rosarum, & relinquantur in calore leni, *ac resurgent corallia jucundo spectaculo*.

Spiritus ratione virium præclarus admodum est; *in asthmate* enim,

ex

ex pulmonibus copiosa & crudiori pituita refertis, orta &c. *maximè conducit.*

Dosi scrupuli unius.

Corallia item, oculos cancri, margaritas, &c. phlegmate vitrioli soluta *præcipitat in magisteria butyracea*, leviter omni in liquore solubilia.

DE MARGARITIS.

Margaritæ sive Perlæ in conchis concretæ reperiuntur ab exsuperante testarum succo, volatili acido conglomeratæ.

Vires vulgo creduntur maximæ, *& cordiales*, sed nullum unquam vidi morientem hisce revocatum, hinc plus mentaliter, quam realiter cordiales esse duco. Non quidem negandum, *eas in substantia saltem vel præparatas, nec viribus adhuc orbatas*, propter particulas subtiles alcalinas terreas acido-volatili imprægnatas, *acidum crudius rectificare, & corrigere*, unde sæpius in *affectibus hypochondriacis, spiritibus acido inquinatis*, hinc *in epilepsia*, & similibus, maximè conducunt. Quod verò agonizantibus in genere, tanquam sacra præscribantur anchora, *Medicorum ignorantiæ ut plurimum adscribo*, qui in eis latentes vires, non nisi ex libris, & quidem ut plurimum sinistrè traditas, metiri solent.

Ex omnibus tamen aliis, *suam ignorantiam produnt illi, qui perlarum magisterium præferunt*, vel alia exinde pomposo nomine *Arcana, Essentias, Tincturas*, &c. quia hæc crudiori aceti, spir. salis, &c. acido viribus suis genuinis alterata planè, deprehenduntur, nec aliis, vilioris sortis Magisteriis, tunc præferenda videntur, neque hisce pretiosis tum, argento sunt emungendi homines, quia, si in cruditatibus biliosis, amaris, acrioribus, acida expetuntur, vilioribus hæc expediuntur, & *minoris pretii acidulatis Magisteriis*, ut *oculorum cancri, coralliorum*, &c. *vel ipsis spiritibus acidis* legitimè paratis multò præstantius hæc *corriguntur acria, amara*, & similia bilis producta, & vitiata qualia.

CAPUT IX.

Lapides examinat.

AQuam *rerum naturalium esse materiale principium*, & mediante suo subtili terreo, nostrorum oculorum aciem aufugiente, lapides constituere *Henricus de Rochas* & *Bernhardus Palissy*, *Gallus* ingenioſus, confirmant; & in hanc sententiam propendere videtur *Illustr. Boyle*, dum gemmarum primam originem liquidam fuisse statuit, quæ, si molliores pro ratione mineralis obvii acquirant. In opacis vero, ut *Hæmatite*, *Jaspide* & similibus, terram metallico quodam succo imprægnatam, accessio ne spiritus petrificantis, in lapidis formam coagulatum fuisse existimat: imò ipsam aquam communem variis mineralium effluviis infectam, id præstare posse credit.

Nec aliam fovet sententiam *Sendivogius*, qui *ex aquâ produci duplicem terram, limosam unam, alteram lapideam verè statuit*, quando ita de hac materia discurrendo pergit: Lapideam hanc, inquit, terram, vulgò nos vocamus lapides, & licet inter terram & lapides, magna videatur differentia, attamen *lapides, ratione originis considerati, nil sunt aliud, quam aqua terrea, vel terra limosa*, quæ successu temporis accedente spiritu activo, vel calido vel frigido petrificante indurescit, & compactam lapidis formam nanciscitur, *in suo verò decremento rursus degenerat & regreditur in dictam terram limosam*, si scilicet spiritus ille lapidificus denegatur; ex illa verò, iteratò accedente novo petrificante spiritu acido lapis rursum confit, atque ita ex fine principium & contra resultat.

Inprimis si considéremus, *nullam existere aquam, quæ subtile terreum non secum vehat, & vice versa*; manifestum nobis fiet, hasce esse subtiles aquæ terreas particulas, quæ lapidibus materiam suppeditent, ab aquâ secretas & subjecto apprehenso annexas, non secus ac in aqua lapides ab adhærente aquosa mucilagine incrementum sumunt & augentur.

Porro

Porro autem hæc notanda diversitas: Nam qui *pellucidi sunt lapides aqueæ sunt naturæ*, & tamen ex aquæ subtili terreo pronatæ, mediante spiritu petrificante frigidioris energiæ. Qui verò *opaci* sunt, *ex crudioribus terreis particulis* non absque tamen humido concreti sunt, adjuvante spiritu petrificante calidioris naturæ, sicut nostro artificiali igne ex terra limosa vel argilla, lateres vel ollæ cremantur.

Hæc *Sendivogii* opinio de vulgarium saxorum generatione non rejicienda esset, si modo inter frigidum & calidum petrificantem spiritum, nullam admisisset differentiam: Quicquid enim lapidificum est, id omne per caloris activitatem induratum est, nisi cum veteribus duplex velimus inducere frigidum, alterum crassiorum, alterum verò subtiliorum partium, veluti est illud penetrans, ac interiora tingens acidum volatile, congelationis expeditioris causa, ut in armoniaco sale conspicuum.

Maximâ tandem cum industria, ferè ex *Sendivogii* mente, hanc materiam pertractavit, ingeniosissimus *Steno* in sua dissertatione; *De solido intra solidum naturaliter contento*: ubi corpus naturale vel solidum vel fluidum esse statuit, ac illud si secundum naturæ leges productum est, à fluido productum esse dicit: crescere vero dum particulis ejus novæ apponantur particulæ, ab externo fluido secretæ. Hanc autem fieri appositionem vel à fluido externo immediatè, vel mediante interno fluido uno vel pluribus.

Hæc omnia eleganter illustrat corporis humani comparatione cum productis terræ instituta. In omnibus, productionis locum accurate inspiciendam docet: nimirum corpora vicina, ad inclusorum productorum figuras componendas concurrentia. Sic in lapidum examine multa detegi posse judicat, quæ in mineralium ipsorum examine frustra tententur, siquidem probabile admodum sit, omnia illa mineralia, quæ Saxorum spatia vel fissa vel dilatata implent, pro materia habuisse ex ipsis saxis elapsas puriores & subtiliores particulas sive vapores.

De crystalli productione subtiliter disquirit: Num inter fluidum & fluidum, vel inter fluidum & solidum, vel in ipso fluido producatur:

catur : *è fluido enim productam esse, nullum illi dubium est* ; frigore tamen concentratam nobiscum negat, nisi, ut supra notatum, particulas crudiores adstringentes frigidiores dictaremus : quoscunque enim indurationis excogitamus modos, spiritum semper reperimus, vel per aërem vagabundum, vel terræ visceribus inclusum, qui indurat : non frigus, nec ejus quies, quæ induratorum semper socia vel sequela est. *Sic in Microcosmi fabrica humidum alit membranas, quæ vertuntur in cartilagines, hæ in ossa*, non ex quietis glutine vel frigore, sed à succo spirituoso, vel spiritu indurante, advecto.

Crystallum vitro comparans credit, hoc absque ignis violentiæ etiam humano artificio confieri posse, si modo accurata instituatur saxorum analysis, in quorum cavitatibus optimæ crystalli formentur : certum enim esse, ut ex fluido concrevit crystallus, sic in fluidum eandem posse resolvi asserit, si modò quis verum Naturæ menstruum imitari nosset. Hoc vero fluidum in quo crystallus crescit, eodem modo se habere ad crystallum, sicuti aqua communis se habeat ad salia, putat. Probari hæc posset assertio ex *Cl. Morhoffii*, de scypho vitreo per sonum tracto, Epistola ad *Cl Dn. D. Majorem* scripta, ubi refert, *se obtinere singularem quendam liquorem, qui ad tempus flexile reddat vitrum*, si non solvat : quo etiam imagines ex eo fingi, vel characteres illi imprimi possint.

Colores gemmarum aliorumque saxorum, *ex mineralium & metallorum admixtis particulis ortum trahere*, dilucidè, *gemmarum artificialium docet historia*, quam, cum hanc sententiam mirificè illustret, hic recensere lubet.

GEMMÆ ARTIFICIALES.

Sume verò *crystallum montanam pellucidissimam à lapide adhærente albo repurgatam*, immitte crucibulo cooperto, & inter carbones ignescat : *ignitam* optime *crystallum* in vas majusculum *lixivio forti plenum projice*, quod infra docebitur : *repete verò laborem* hunc *donec crystallum aliquoties ignitam, & lixivio extinctam digitis conterere possis*, tùm tere illum pulverem *in porphyrio cum summa assiduitate & diligentia, ut tenuissimæ farinæ instar deveniat, &*

tactum

tactum omnem aufugiat, in hoc enim totius rei versatur cardo, subtilissimum enim in alcohol redactum sit, si quid pulchri efficere velis.

Cave autem, *ne teras in mortario æneo vel ferreo*, aliâs nil præter Smaragdum efficies, sumenda autem semper *non major* in porphyrite *pulveris quantitas*, *quam quæ dimidium cochlear ferè excedit*, aliâs non adeo subtiliter teritur, utpote in quo tritu principalis labor consistit.

Lixivium pro extinguenda crystallo ignita fiat *ex salis Tartari* ℥ ij. cum quo aquâ soluto, imbibatur *cinerum fagi* ℔ ut cineri catillorum fiat similis, exinde formentur globuli pomorum magnitudine, qui in umbra siccati, postea in olla operculo munita exurantur in fornace figuli, post illos globulos subtilissimè contere, & ex eis fiat lixivium, quod *in Sal coagula*, & *ex hoc sale denique fiat lixivium*, ut in eo crystallus extinguatur.

Vel, *si Crystallus desit*, ejus loco *recipe pyriten*, ex quo vulgò ignem elicimus, *hunc Crystallo multi præferunt*, quia duriorem acquirunt ex hoc massam.

Jam si gemmis similem effingere velis massam coloratam; v.g. SI SMARAGDO similem desideres:

℞. *Crystalli jam parati & in alcohol redact.* ℥ ij.
Minii opt. ℥ iiij. *exactissimè mixtis adde*
æruginis bene tritæ & colorat. gr. 48.
Croci Martis cum aceto facti gr. 8.

Hæc subtilissimè trita & mixta crucibulo indantur, ut spatium digiti crassitie restet, tunc optimo luto claude crucibulum, siccatum verò furno venti impone, & igne sensim addito, tandem per 6. vel 7. horas, probè fluant, ac tum per se omnia refrigescant, antequam aperias crucibulum. *Ante omnia hic observa, ut sereno cælo labor instituatur*, & massa optimè fundatur, si pulchram exoptas massam.

Si elegantiorem massæ colorem expetis, metallicarum partium dosin vel augeas, vel minuas, v.g.

℞. *Cryſtalli in alcohol redacti*, ℥. j
Minii opt. ℥ vj. ß. *exactè mixtis adde*
æruginis, gr. 75.
Croci Martis aceto facti, gr. x

Miſce accuratiſſime, & ut prius procede, niſi quod hanc maſſam melius excoquas, quo minii ſuperfluitas perficiatur.

Vel ℞. *Cryſtalli præparati* ℥ ij.
Minii opt ℈ viij. *exactiſſimè mixtis adde*
æruginis gr. 90.
Croci Martis aceto facti gr. x.

miſce, & ut prius procede, ac pulchriorem acquires maſſam.

Sed cum hiſce mixturis crucibuli ad dimidias ſaltem ſunt replendi, ut ſuperfluæ impuritates ſpatium habeant, quo ſupernatare queant.

Si SAPPHYRI arrideat color.

℞. *Cryſtall. præp.* ℥ ij.
Minii ordinar. ℥ vj. *exactè mixtis adde.*
Zaffaræ præp. ℈ ij.
Magneſiæ Pedemont. gr. vj.

miſce, & ut ſupra procede.

Si ſaturatiorem expetas colorem.

℞. *Minii opt.* ℥ v.
Cryſtalli præp. ℥ ij. *miſtis adde*
Zaffaræ præp. gr. 42.
Magneſiæ Pedem. gr. 8.

miſce.

Si *Magneſiæ* doſin augeas, & *Zaffaram* in minori addas, *GRANATI nanciſceris* colorem. v. g.

℞. *Cryſtalli præp.* ℥ ij.
Minii opt. ℥ vj. *miſtis legitimè adde*
Magneſiæ Pedemont. gr. 16. *ſi ſaturatiorem* gr. 35.
Zaffaræ, gr. ij. gr. 4.

Sic

Sic variatis Metallicarum particularum doſibus, omnes colores effingere poteris, & vel omiſſis, vel uno, vel altero additis.

Si tamen *Minii loco, ſaccharum Saturni ſubſtituas, multò elegantiores* fient hæ coloratæ maſſæ, fit verò ad hoc opus *Saturni ſaccharum* expedite hoc modo; v. g.

SACCHARUM SATURNI.

℞. *Tenuiſſimas plumbi laminas*, vel quod melius, *plumbum quod in feneſtris diu perſtitit*, hoc ſolve *aquâ forti optima*, (aqua enim fortis bonæ notæ ſuo ponderi æquale plumbi pondus abſumit:) & plumbum ſolutum, brevi, in fundo vitri, & dimidiæ horæ ſpatio, magna ex parte in ſaccharum vel ſal abibit, modico arenæ vel cinerum calore: quid hoc in vitro præſtare poſſit, dicere non habeo, *Merrettus* inquit.

Maſſæ hoc mediante ſale confectæ, nulla obducuntur cuticula, ac illæ quæ ex minio factæ ſunt, eadem verò doſis addatur, quæ Minii.

Ante omnia verò, ut ſupra monitum, *obſerva, ut ingredientia quævis ſubtiliſſimè teras, & exactiſſimè miſceas*, ne ſpurcitiem acquirant, maſſam verò peroptimè fundas & liquefacias, nec tamen crucibulum aperias, antequam refrigerata omnia ſentias.

Hæc Mechanica probabiliter admodum gemmarum vel aliorum lapidum nobis demonſtrat natales, & ſtemmatis originem: quando enim ambientium ſpiritus petrificans fluida obrigeſcere facit, tum quicquid obvii mineralis apprehendit, ei fluido implicat, & ſucceſſu temporis continuo univerſali motore impellente excoquit & perficit, ubi ſuperflua, vel congelati fluiditas, ſubtiliſſimis mineralis particulis ſaturata, ſe ex craſſioribus extricat, & cavitatem vacuam nacta, illuc ſe colligit, incrementum capit & augetur: in quâ ſeparatione puri ab impuro colorem pro natura mineralium particularum advenientium aſſumit vel ſaturatiorem vel dilucidiorem, prout vel copioſe vel parcius eædem particulæ implicantur.

Colligimus etiam ex his, *cryſtallum ex puriſſimis terreis alcalinis aquæ particulis, absque cujusdam mineralis advenientibus particulis*, ope

ope ſpiritus petrificantis acidi congelatam fuiſſe, atque talem omnium gemmarum ferè eſſe materiam ſtatuimus, inter quæ *Adamas ratione exactiſſimæ mixturæ ex ſubtiliſſimis* & puriſſimis particulis alcalinis, congelatus, *invictus excellit.*

Ratione virium, omnes gemmas concordare, contendo, ſi præparatæ vel ſuo naturali nexu mediante igne ſolutæ ſunt, ac tum viribus orbatæ: ſi verò ſimplici ſaltem tritu in alcohol redactæ propinentur, vel collo appendantur, inprimis quæ nobilioris cujusdam metalli puris atomis tinctæ fuere, ut *Granatus*, *Sapphyrus*, &c. tunc cum *Helmonte* irradiatione vel ſuarum virium ejaculatione, retentis ſuis proprietatibus, Archeum afficere facilè perſuadendi eſſemus.

Sic *Helmont* ante omnes gemmas nobis commendat *Sapphyrum* in peſte magnarum virium, quando de magnetica vulnerum cura inquit: *Sapphyrus cæruleo colore ſatur, ſi anthracem, quo peſtis ſeſe tradit, tetigerit, & aliquandiu affrictus fuerit, mox verò auferatur*, non ceſſat magneticè jam abſens gemma *virus totum attrahere.*

Oportet autem locum apoſtematis *Sapphyro* in circinum paulatim aucto conſcribere, *ne ſcil. exiens virus latius explicetur*, & nobilem aliquam vicinam partem latius inficiat. Quà enim virus magneticè è corpore tabido tanquam per tubum attractum exhalat, totus circinus mox nigreſcit, & tandem in eſcharam combuſtis excidit. Quo verò fiat alligatio virtutis ſapphyricæ ad venenum, requiritur certum temporis, ſcil. *horæ quadrantis ſpatium, quo circumduci debet anthraci Sapphyrus*, qui tunc, quo ſæpius venenum exſuxit, & potentior deveniet.

Confirmat hoc *Cl. Knöffelius* de febribus malignis, ubi refert quod ſuper anthracem poſitus *Sapphyrus*, non aliter cum quàm aqua ignem extinguat. De reliquis gemmis earumque plerumque fictis qualitatibus, vide tractatulum Germanicum de Gemmis *Nicolai.* Quidque porrò de earum præparationibus vel potius corruptionibus, inprimis magiſteriis ſentiendum ſit, ſupra ex Perlarum analyſi patet.

An Sal propriè ita dictum gemmis inſit, negatur, acidum verò ineſſe

ineſſe firmiſſima docet concretio, cum hæc absque hoc non fiat, adeò verò ſubtiliter hoc ineſſe concentratum, coruſcantes earum notant radii, qui ſoluto nexu diſparent. Itaque, uti maximè inutilem, omnem earum rejicimus ſolutionem tam mediante menſtruo quocunque, quam ſimplici ſaltem calcinatione peractam.

DE CALCE VIVA.

Ex lapidibus minus pretioſis dantur, qui manifeſtius acidum & alcali continent. Veluti eſt ille *calcarius lapis, ex quo calx crematur igneæ naturæ*, ambo enim acidum & alcali in lapide hoc volatilia, ſe in igne arripiunt, & ſibi invicem implicata *conſtituunt Sal maximæ efficaciæ*, plus tamen alcalinæ naturæ, quia acido ſaltem volatili quodammodo imprægnatum extat, quod magnetica vi crudius acidum, facto ingreſſu, attractum, & ſuo ſocio alcalino imbibitum, efficaciſſimè corrigit.

AQUA CALCIS VIVÆ.

Sic *ex calce viva* paratur lixivium, quod vulgo *aqua calcis vivæ audit.* Hoc ſtupendo cum effectu *applicatur ulceribus antiquis corrodentibus*, etiam venereis, *inflammationem* enim *arcet, ſalia corroſiva abſorbet* vel corrigit, unde dolor, calor, *& gangræna* mirabiliter cedunt, hinc & *ſcabiem, herpetem, ſerpigines, guttam roſaceam, & tumores Hydropicos, curat* : ex hoc fundamento & in hoc caſu *Aqua-pendens*, ſpongiâ, totum abdomen comprehendente, hanc calcis vivæ aquam, ſuperimpoſuit, ac hoc modo aquas hydropicorum corroſivas abſumi vel corrigi, & lienem induratum ſanari aſſerit.

Si adjiciatur *Saturni ſaccharum*, & aliquid *Mercurii dulcis*, in affectibus venereis majoris erit efficaciæ, præſertim ſi inflammatio ſimul accedit, & fiſtulæ metuantur, vel jam adſint: calidè verò ſemper applicari debet, & ſæpius reiterari.

Cremor calcis vivæ in decocti ſuperficie colligitur alcalico-ſalinæ naturæ, qui *ſi labiis cancri inſpergitur*, corruptam à ſana ſeparat carnem.

Aliâs ex hoc ſubjecto mediante additione *ſpiritus vini*, & deſtillatione in amplum receptaculum, elicies acidum in eo contentum &

volatilem ſpiritum, qui ultimo deſtillationis tempore *inſtar ſpiritus ſalis exit, in formâ nebulæ*, inſigne in expellendo calculo arcanum.

DE LAPIDE LAZULI.

LAZULI LAPIS cæruleus maculas aureas obtinens ſtellarum more coruſcantes, in aurifodinis orientalibus utplurimum effoditur, unde intermixtas Antimonii particulas obtinens, *tàm lotus quàm non lotus, per ſuperiora & inferiora purgat.* Ex eo verò *mediante ſpiritu ſalis armoniaci extracta tinctura*, maximas præbere vires, *in Melancholia, Mania, Epilepſia*, & ſimilibus ab acido ortis affectibus, creditur. Doſi guttularum xv. xx. & ultra.

Paratur ex eo MAGISTERIUM ULTRAMARINUM à pictoribus *vocatum*, & pictoriæ arti imprimis dicatum, hoc *Zvvelferus* ita parare jubet in ſuis animadverſionibus p. 413. v. g.

℞. *Ceræ flavæ & novæ.*
picis Hiſpanic.
olei lini.
therebinthinæ liquid.
reſinæ pini.
maſtichis opt. ana. ℥iiij.

Miſceantur omnia & coquantur in patella lento igne, horâ unâ circiter, ut fiat maſſa tenax, poſt per linum coletur, malaxeturque optimè, & diu, ac in aqua frigida poſtea aſſervetur.

Jam *lævigetur lapis Lazuli cæruleus & purus, ſuper Porphyrite, cum aquâ ſimplici ſubtiliſſime*, (nam niſi ſubtiliſſimè & diu lævigetur, vix ad optatum ſuccedit præparatio,) hujus *lapidis ſubtiliſſimè lævigati*, exſiccati, inque pulverem redacti, *& maſſæ ſuperioris deſcriptæ* ana. p. æq. *malaxando manibus optimè uniantur ſine igne*, relinquanturque aliquot ſeptimanis (quo diutius eò melius,) *aquæ frigidæ immerſa*, poſtea cum aqua tepidâ inter initia, ultimo ſemper calidiore, manibus maſſam malaxando, eluatur pulvis cæruleus impalpabilis pulcher, ultramarinum dictus:

Notetur autem quod *qui primò eluitur pulvis ſit, elegantior in colore*

colore ſecundo, & hic tertio, ac ita conſequenter, propterea ſinguli ſeparatim aſſervandi, cum in aqua ſubſiderunt.

DE TALCO.

TALCUM ex lamellulis tenuioribus conglomeratum, *unctuoſitate metallica gaudet*, hinc vulgo venuſtatis acquirendæ cauſa, plus inſtituitur ejus præparatio, quam ſanitatis conſervandæ gratia. Licet *Martinius Martini in ſuo Atlante Sinico* teſtetur, quod Talcum in calcem redactum vinoque mixtum & epotum, à *Sinicis Medicis* tanquam ſingulare medicamen ad vitam longam commendetur.

Maximè tamen *laborarunt artifices in oleo ejus*, ſive unctuoſitate ſeparanda, quæ verò cum admodum ſit levis, & delicata fortiori igne deſtruitur; quærenda ideoque verior methodus, qualem nimirum *Cl. Morhoff de Metallorum Transmutatione* indigitat, ubi refert, *ſe vidiſſe*, vel *intra dimidiæ horæ ſpatium*, pauciſſimo igne, rudi ad ſpeciem artificio *totam* ejus *ſubſtantiam ita calcinatam*, ut colore flavo ablato, ſpongioſa facta *ſub digitis in minutiſſimum pollinem comminuta fuerit.* Atque non adeò igni indomabile eſſe Talcum ut multi credunt, ſi modo mitioribus flammis tractetur; cum ſæpius peragat tranquilla poteſtas, quod violenta nequeat: longeque hinc aberrent illi, qui ignis tortura hanc ab illo gratiam extorquere nitantur; tantâ enim ignis ſævitiâ indignatum Talcum, ut *Steno* loquitur, vindictæ loco Vulcano illam cedere ſui delicatæ unctuoſitatis partem, quam alias leviori igne in venuſtatis amorem, amatoribus reliquiſſet.

Oleum tamen verum extrahi poſſe, maximum me manet dubium, *niſi in alcalicam redactum calcem oleoſitatem aliquam, ut Tartarus calcinatus, largiatur.* Si verò in calcem leviori igne vertere lubeat, aliquot horis, vel horulæ ſaltem ſpatio *calcina per vaporem metallicum*, atque *per ſe in pulverem cadet:* ex hoc ſi unctuoſitatem expetis, tere in *alcohol*, ac *ſacculo lineo inditum pulverem, per vaporem aquæ calentis in Balneo* per 4. vel 5. *Septimanas digere*, ita ut die & nocte fervens vapor eum tangat, & talcum deveniat unctuoſum, quod tùm phiolæ inditum, rurſum ut prius B.V. impone, ac ſenſim in oleum

reſolvitur, ac quando fæces ſuperficiem occupant, tum ſepara fæces ab oleo & ſerva: modum clarioribus proſtituere non licet.

AMIANTHUS LAPIS, talco haud adeò abſimilis eſſe videtur, cum ac ille invictus forti in igne perſtet, niſi quod tenaciori acido concretus flexibilitatem retineat, unde & per artificum induſtriam ex eo telæ conficiuntur, quæ igni injectæ à ſordibus mundantur; hinc ex Salamandræ pilis per fabulam ortus creditur, quod haud conſumatur igne lapis. Ad conficiendas telas hoc modo præparari dicitur; v.g.

FILA INCOMBUSTIBILIA.

Recipe *Amianthi, ſive aluminis plumoſi*, q. l. *maceretur fortiſſimo lixivio ſaponario* per diem, vel in Sole vel M. B. tum exime & exſicca, ac tunc *imbibatur aceto deſtillato decies*, ſemper prius exſiccando Amianthum antequam recenti imbibas aceto. Hoc facto iterato *cum lixivio macera*, & aceto imprægna, ac hoc tertia repete vice. Poſtea *recipe doliolum parvum*, quod intus chartâ *oleo olivarum intinctâ obtexatur*, hoc peracto impone Amianthum maceratum graſſitie aliquot digitorum, & huic *oleum olivarum affunde ad digiti eminentiam, tum rurſus amianthum, & oleum*, atque ita fac ſ.ſ. ſ. ad vaſculi repletionem, tunc chartam impone & vaſculum claude, vel ſi vaſculum Amiantho non ſit repletum, aggravetur, claudatut, & reponatur, per menſes tres, vel quinque, donec in fila deduci queat, id quod primo ſtatim menſe probare poteris.

Alias *puncturis arthriticis inunctus* & infricatus per tempus, veſperi vero *oleo ſpicæ, juniperi, therebinthinæ illitis juncturis efficaciter omnem dolorem extrahit*, acidum attrahendo, quod adeò avidè arripit, ut etiam cum ignis acido ſaturari nequeat, nec minima in hoc lapide latitate arcana credo, dummodo naturæ diligens ruſpator curioſius in ejus inquirat vires.

CAPUT

CAPUT X.

Arsenicum examinat.

HOc non in fodinis, *sed fornacibus repertum* mineralibus ideò annumeramus, cum *ex cadmia sive cobalto sublimatione confectum* sit. Inter venena refertur, quia particulis suis acrioribus ventriculi membranas vellicans, spiritus dissipat, ut fermentum acescat nimium, & humores omnes exacerbentur. Si tamen potentiori *acido volatili*, quale *nitri est*, corrigatur, credimus cum *Helmonte innumerabiles ulcerum diversitates corrigere* & extinguere.

Observatum fuit, quod Arsenicum etiam absque correctione propinatum, stomacho potentiori acido repleto, nil intulerit mali, nisi quod salutari vomitu eum inverteret; ut hinc constet, quantum ad ejus correctionem acida contribuant.

ARSENICI FIXATIO.

Ex hoc fundamento diversos præparationum modos invenerunt artifices, inter quos hic, Agricolæ non rejiciendus videtur; v. g.

Recipe *Arsenici* ℔ j. *Nitri* ℔ ij. mista exactè sublimentur & ex retorta destillentur, ac *ascendit Nitri spiritus cum acri Arsenici spiritu mixtus*, inque collum sublimantur quædam Arsenici volatiliores particulæ, tum verò relinquantur ulterius in igne ad majorem Arsenici fixationem per horas decem vel ultra. Tunc *exime massam, & addito novo nitro* ut prius procede: aliquoties ita calcinatam massam *cum oleo Tartari humecta*, & denique *per totidem horas ut ab initio calcina*, tunc salia elue, vel massam calcinatam in oleum resolvi permitte.

Vires, *ad externa quævis insanabilia ulcera*, v.g. *fistulas*, *cancrum*, *lupum*, *herpetes*, &c. insignes sunt.

Cum melle & ovi albumine mixtum & applicatum, *tumores verminosos equorum perfectè sanat*.

Vel hoc procedas modo:

Recipe *Arſenici cryſtallini albi* q. v. miſce *cum vitriolo ad rubedinem calcinato, & ſublima*: ſublimatum *cum æquali pondere ſalis Tartari & Nitri* commiſce, & in tigillo per viginti quatuor horas calcina, primò leniſſimo, poſteà ſummo igne, ac habebis maſſam, Perlarnm colorem referentem: ex hâc mediante aquâ calidâ, alcali extrahe, & remanebit pulvis candidiſſimus, quem exſicca.

Hic ſi oleo talci imbibatur & exſiccetur aliquoties, ac denique rurſus ſal auferatur, manet pulvis fixus in oleum, butyri inſtar, reſolubilis, cujus vires ad ulcera quævis admirandæ ſunt.

BALSAMUM ARSENICI Thomſoni.

Nec contemnendus eſt *Cl. Thomſoni Balſamus* Arſenici, quem ita parare præcipit; v. g. *Cum Tartaro & Nitro Arſenici virus dometur*: huic pulveriſato *vinum malvatic. opt. affunde*, ad ſyrupi conſiſtentiam deſtilla, vini recentis affuſionem, atque ad eandem prædictam craſſitiem reductionem ter vel quater repete. Balſamum in fundo reſiduum in ampulla vitrea reconde in ulceribus malignis celebrandum.

Sic & *Angelus Sala*, non infimam communicavit Arſenici, præparationem, ubi mediante ſulfuris acido volatili, & addito Antimonio, correctionem inſtituit, ac tum *Magnetem Arſenicalem* vocat, v. g.

℞. *Arſen. albi cryſtallini.*
ſulfuris flavi.
Antimonii crudi ana. ℥ ij.

Subtiliſſimè pulveriſata, in cucurbitula vitrea in arenam poſitâ, *liqueſcant picis inſtar*, à fumo cavendo: quo facto refrigeſcant omnia, poſt exime maſſam ſubfuſcam & pulveriſatam ſerva.

Ex hoc paravit *Angelus Sala* emplaſtrum quod in extrahendo veneno &c. maximas obtinere vires deprædicat, hoc tamen paulo aliter conficere docet *F. Hoffmannus*, v. g.

℞. *Gum-*

℞. *Gummi ſagapeni.*
ammoniaci.
galbani ana. ℥ ß. ℥ ij.
therebinth.
ceræ virgin. ana. ℥ v.
Magnet. Arſenic. pulv. ℥ iij.
radic. ari ℥ j.

Gummita ſolvantur aceto ſquillitico, & coquantur in formam Empl. quibus tunc adde reliqua, & in Emplaſtrum redige, quod extendatur ſuper alutam ſine ſyndone rubra, in uſu verò illinatur oleo amygd.

Hoc Emplaſtrum *efficaciſſimè tollit lienis obſtructiones*, hinc *in quartana optimo cum ſucceſſu applicatur hypochondrio ſiniſtro, curat item ſcrophulas, induratas glaudulas*, aliasque excreſcentias tumidas, quas inſtar mitis eſcharotici ita debellat, ut absque moleſtia & ſine inflammatione pars poſt partem decidat, uſque ad radicem carnis ſanæ, ut tum ſarcoticis reſiduum facilè curetur.

In peſte, bubonibus ad extrahendum venenum optimo cum effectu applicatur. In iliaca paſſione ab incarceratione inteſtinorum in ſcrotum delapſorum *ut in herniâ, lumbis applicatum, inteſtina certiſſimè retrahit*, quod experimentum à ſe inventum Cl. *F. Hoffmannus*, gloriatur, ac exinde.

Sæpius etiam in liquidiori formâ, in uteri lapſu, & *herniis regioni lumbari inungit, ita paratum* v. g.

℞. *Gummi ammoniac.*
galbani puriſſ. ana. ℥ j.
thereb. ℥ ij. *ſolutis adde*
ceræ. ℥ ij.
Magnetis arſenicalis. ℥ vj.
terræ vitrioli dulcis. ℥ iij.
Ol. ſuccini gutt. aliquot vel pro lubitu.

miſce fiat unguentum.

DEAL-

DEALBATIO VENERIS.

Non contemnenda alias in Arſenico crudo latet tinctura metallica alba, quæ maximè exaltatur, ſi alcaliſatis ejus exaltentur particulæ, & ab aliis heterogeneis liberentur, in hunc finem Recipe *Arſenici pulveriſati* ℔ j. miſce exactè cum *cinerum clavellator.* ℥ vj. ac cum *ſaponis optimi mollioris* q. ſ. fac paſtam, quam crucibulo magno impone, ſuperimpoſito operculo foraminato, ac immitte in furno venti, & à principio moderatum adhibe ignem, poſtea fortiorem, *ut maſſa fundatur & liqueſcat*, tunc effunde in pyramidale infundibulum, vel in mortariolum, ſævo illitum, ac refrigeſcant omnia, ut *ſcoriæ à regulo ſeparari queant*, quem pulveriſa & in loco ſicco aſſerva. *Cum hoc pulvere & lamellulis Veneris* ℔ j. *ac argenti finiſſimi* ℥ j. fac ſ. ſ. ſ. & igne rotæ per bihorii ſpatium adhibito, aucto ultimò igne ut fluat maſſa, *fit Venus alba*, omnes argenti, præter cineritiam, probas ſuſtinens, quæ ſi ſub malleo, non ſatis tenax exiſtat, *cum ſalis comm. & Tartari crudi* ana. in fluxum injectis rectificetur, ubi verò non effundi maſſa debet, antequam in tigillo argenti vivi inſtar appareat.

SECTIO

SECTIO V.

Metalla & Imperfecta & Perfecta veriori ignis examini tradit.

EX Mineralium familia rectâ ad metalla itur, quæ num *ex uno oriantur fundo*, vel an ratione principii differant, inter sagaciſſimos etiam Philoſophos diu diſceptatum fuit. Nos *gradibus potius quam eſſentia in genere differre ſtatuimus*, id quod omnium ſolutio, mediantibus acidi ſpiculis peracta, innuere videtur, ubi, quæ plus elaborata ſunt & perfecta, multò penetrantioribus ſalis cuſpidibus perforari amant, quam quæ rudioribus, & magis poruloſis congeſta ſunt particulis.

Sic & compertum habent metallurgi, plumbi mineras ſucceſſu temporis in argentum commutatas fuiſſe.

Ac hinc etiam ſagax naturalium ruſpator *Baco Verulamius* veriſſimè ſibi perſuaſum habebat, *ignobilius metallum in nobilius*, non tantùm naturaliter, *ſed & artificialiter commutari poſſe*, quod non ineptè confirmat metallorum omnium eadem matrix, terreſtris ſcil. cruſta, ſive lapidea maſſa, in cujus porulis diverſa ſæpè latent metalla, quæ ubi latius nanciſcuntur ſpatium, pura, coalitu unita, occupant, particulis lapideis liberata.

Eadem verò ordine natura utitur in producendis metallis, qualem in omni corpore naturali obſervat; *à fluido enim omnia originem ducunt*, quod ambiens ſpiritus pro naturâ rei indurat, qui tamen in metallis fabricandis, multò vehementiori agitatione, pro imprimendâ arctiſſima concretione, & intenſa duritie, utitur, ac in vegetabilibus, & mediis mineralibus.

Eam vero inter ſe *metalla obſervant differentiam, ut perfecta alia dicantur*, & ab impuritatibus ſi non omnibus, tamen plurimis univerſali correctore liberata, puriori nitore fulgeant, *alia verò & mox ab ortu*

ortu inquinentur impuritatibus, partim propter loci nativi ineptitudinem, partim etiam propter ſpiritus coagulantis & perficiendi, infauſto univerſalis motoris Solis influxu, obſcuriorum ſiderum radiis obfuſcato, imbecillitatem, quæ prohibuerunt debitam perfectionis & virium metam aſſequi.

In ſulfure tamen, metallorum potiores vires, ſicuti & reliquorum mineralium, & vegetabilium etiam, ſedem figere, haud vanis exiſtimatur conjecturis, *non verò illo vulgari, ſed Philoſophorum*, & cuivis ſubjecto, pro majori vel minori perfectione proprio, ſpirituoſo, penetranti; & ab acidi perfectis ſpiculis concentrato & concreto, *quod æque quidem in interiore vulgaris ſulphuris, reconditum latet incombuſtibile, ac in auro*, niſi quod in hoc, plus purum, perfectum, condenſatum, ac concentratum exiſtat; in illo verò adhuc dum volatile, multis ſuperfluitatibus obrutum, & liquiditati proximum perſtet.

Poſſe verò ſulfur, ab unoquoque metallo ſeparari proprium, Chymici tam veteres quam recentiores teſtantur, ac non tantum in ignobilioribus, ſed omnium perfectiſſimo auro ſcilicet, cui tinctura extrahitur, ut candida reſtet maſſa, æque tamen ut prius ponderoſa, cuique per cæmenta color reſtitui poteſt; tinctura verò extracta, tantum argenti colorat, & in aurum convertit, quantum ponderis aurum habuit. Tale arcanum ipſam *Rempublicam* habere *Venetam*, ut *Cl. Morhoff de Metall. transmut.* habet, multi credunt, quod communicaſſe cum Senatu ejus, *Joh. Auguſtum Pantheum*, ſacerdotem Venetum dicunt; Conjecerunt hoc & ſagaciores ex eo, quod, cum ipſi nullas aurifodinas habeant Secinos tamen auream monetam cudant, quæ ratione coloris, gradu aliquo ſuperet omne nativum aurum, licet optimum. Sic & *Boylæus* memorabilem *de aureo ſulfure extracto* in ſuis operibus refert hiſtoriam: ut itaque ſufficienter pateat, *ſulfur*, ut in omnibus metallis, *ita & in auro eſſe diſtinctum & ſeparabile*, colore purpureo, ubi reliqua auri maſſa candida reſtet; ac ex hac purpurearum & candidarum particularum accurata mixtione flavum oriri colorem, non ſecus, *ac cum è cupro & zinco*, inter ſe juſta proportione mixtis, ſubſtantia oritur, quæ flavo colore aurum æmuletur.

Si

Si verò ſulfur extrahitur, ut dictum, *candidum fit aurum*, ac *Luna fixa* appellatur, quia pondus auri habet, & in aquâ fortì perſiſtit. Huic ſi color reddi ur, ut reddi poſſe docetur, multum inde lucri accreſcere poſſet. Sic & ſulfur per cæmenta ſulfureæ naturæ licet impuræ, ita intendi poteſt & perfici, ut ex viliori etiam, nobiliſſimum deveniat, uti in Rhenano notum, cujus color pallidior & ideò vilioris pretii, *per cæmenta ita colorari poteſt*, ut *Hungaricum* etiam provocet. Atque hoc artificio *Venetus* quidam *in Anglia*, tantas acquiſiverat divitias, ut Senatus inquiſitionem in ſe concitabat. Hoc item in *Gallia* factitatum fuiſſe, non levis eſt ſuſpicio, cum tot millia aureorum quotannis in Galliam miſſa fuerint, quæ tamen rarò comparuerint, ſed vel in ſplendiorem colorem excocta, vel nobiliori immiſta, recuſa procul dubio ſint.

Atque exinde conſtat, *metalla ſolum perfectionis ratione differre*, non verò eſſentiâ, utpote in quâ omnia & mineralia, & metalla, nullo excepto, conveniant, & ex qua natales, & originem ducant, & non ſecus ac ſtellæ ex una eademque luce cœleſti enatæ, calefaciant & irradient.

Confirmat hoc Paracelſus de ſeparatione rerum naturalium, ubi uno eodemque modo, ex omnibus mineralibus, per ſublimationem, primum ens ſive ſulfur embryonatum, extraxit, mox liquida mox ſicca forma. Quod tamen *Paracelſus* non ſimpliciter intellectum vult, ac ſi ſimpliciter hoc modo omnia eſſent ſeparanda ſulfura, & mineralium conſtitutiva, ſed quod ea, ex uno eodemque fundo ſulfur nacta, ſimili ſolvendi methodo erui debeant: ita tamen, ut, quemadmodum mineralia adhinc aperta, nec obſerata, hinc etiam ſuo principio proximiora, faciliori etiam methodo in ſua ſecernantur conſtitutiva: è contra verò metalla, veluti maximè condenſata concentrata, fixata, firmiſſimeque occluſa, penetrantioribus etiam ac multò ſubtilioribus indigeant ſolventium ſpiculis, ut firmiſſimis ſuis liberentur clauſtris.

Non vero negandum, quod, etſi mineralia omnia & metalla ex uno fonte ortum trahant, hoc tamen viribus illud longe exſuperet,

in quem ſententiam maxime pronus videtur *Cl. Helmont*, qui quidem in genere de correctis mineralium ſulfuribus deprædicat, quod omnes fere morbos curent, *id tamen ſe potentius aſpicere, in ſulfure Veneris, ſtibii*, ac potiſſimum *in ſulfure Glauræ Augurelli*, quibus correctis ac perfectis tota morborum cohors auſcultet, inquit.

Cum itaque tantas vires, in mineralium & metallicorum corporum ſulfuribus latitare audiamus, unumquemque verum & rationalem Medicum eò adactum ſentimus, ut Cl. noſtri *Helmontis* monitum curiosè obſervet, nimirum *ut diſcat ſulfura mineralium ſpoliare vi ſua peregrina ac virulenta*, ut abditum in eis ignem conſequatur vitalem, qui Archeum in ſcopos deſideratos placidiſſime deducat.

Nos ordine igitur ſingula luſtrabimus, ab imperfectioribus ad perfectiſſimum tandem aſcendendo metallum, & quæ ac quomodo ex eis ſeparanda ac corrigenda ſint, dextrè communicabimus.

CAPUT I.

Mercurii Analyſin ſiſtit.

HIc inter metalla primò conſiderari meretur, quia ceu liquidus & fluidus Protei inſtar mille ſe in formas fingit ac refingit, adeò ut plurimi *eum pro primo metallorum ente prædicare non dubitarint*: Nec nos abſtinemus, quin cum eis ſtatuamus, hoc fluidum corpus tandem indurari, & in perfectiſſimum etiam metallum denique converti potuiſſe, cum ſulfure æquè refertum exiſtat ac illa mineralia, ſicut hoc ex *Cl. Helmonte* clariſſimè conſtat, qui ideo *Mercurii ſulfur internum extra vertere præcipit*, ut in aurum horizontale vertatur.

Quod verò eædem Mercurii particulæ, quando univerſali adjuvante motore in perfectum aliquot metallum concentratæ & exaltatæ ſunt, reduci rurſus priſtinâ argenti vivi formâ queant, haud credo;

Ac

Ac hinc eos falli sentio, qui, dum è metallis quasdam argenti vivi particulas educunt, easdem statim reductas existimant.

Quod verò illæ nondum firmiter agglomeratæ & exaltatæ vel perfectæ fuerint, facilius judicarem. Ut hoc etiam notant imperfecta adhuc metallica corpora, videlicet Plumbum & Antimonium, ex qubus facilius, quam ex perfectioribus Mercurius resuscitatur, quia in his nondum omni ex parte elaboratæ, sibique firmiter agglomeratæ ac fixatæ fuerunt, ubi verò nullum dubium, eundem successu temporis perfici & in nobilius metallum exaltari potuisse.

Omnem, ex his colligo, *Mercurium*, vel in mineris liquidum, vel ex mineralibus & metallis reproductum, *ejusdem esse generis & naturæ, nec hunc ab illo prærogativam obtinere*, firmissimè mihi persuadeo, ut experientur illi, qui tot aliorum naufragiis in hoc alto mari nondum cautiores facti sunt: *nisi quod hic, illo, quandoque impuritatibus magis vel minus conspurcatus extet, superficialiter saltem.*

Uno quidem omnes ore exclamant Chymici, nil sibi esse cum Mercurio vulgi, nec se velle argentum vivum currens, sed substantiam metallicam immaturam, non tamen in radice impuram, quam illi Mercurium suum vocant. Hanc verò substantiam metallicam sulfur esse, sive particulas exaltatas puriſſimas volatiles acidas, æque in vulgi Mercurio reperibiles, ac in aliis mineralibus & metallis, à Philosophis tamen occultatas, verissimum est, & innumeris eorum effatis firmari potest.

Hæc *metallica substantia, sulfur est oleaginosum incombustibile*, & tamen ignis, vel igneæ naturæ, quod longa alteratione tandem in fixum, purum & incorruptibile corpus evadit; at istud parasse pro prima vice, est ingentis operis, pendetque ejus directio è manu ejus cui debetur omnis honos, quia parvulis revelat ejusmodi arcana, quæ mundus nescit, & idcircò vilipendit, ut *Cl. Helmont.* de febribus sine fuco monet.

Ratione constitutivorum, *Mercurius ex particulis acidis volatilissimis, sulfureis*, pressius sibi incumbentibus, celerrimeque provolutis,

attamen in ſe debilius motis conſtat, unde volubilitas & ponderoſitas. Hæ verò ſi ab invicem ſecedunt particulæ, conſpicuæ lædunt: ſunt verò in ſua cohæſione adeò tenaces, ut potius, ſubtilitate & volatilitate ſua, duriſſima etiam permeent, & externos hinc ſenſus, imò & intellectum deludant, dum ut *Cl.* etiam *Helmont* præter vulgarem experientiam confirmat, ſine ponderis jactura aut virium detrimento vim radialem, aquæ vel incoctum, vel immaceratum imprimat, ut *licet* ne minimum *quid de argento vivo in ſe ſorbeat aqua*, attamen proprietatem, non item ſubſtantiam mutuet, *adeo ut epota necet lumbricos univerſos & aſcatides*, etiam exiſtentes, quo potus iſte nunquam perveniat, quippe qui mox totus in lotium rapiatur, fierique aquam iſtam validiorem ſi ſemel cum argento vivo bullierit, quam ſi immacerata ſaltem fuerit. Unicam verò argenti vivi unciam millies aquæ menſuram inficere poſſe, & tamen permanere in pondere & proprietate priſtinis, inquit.

Sic etiam *externè applicatus* particulis ſuis volatiliſſimis non ſolum *pediculos*, ſed & *varia cutis vitia*, *ut ſcabiem*, *etiam contumaciſſimam fugat*, *& ulcera verminoſa*, & inveterata *alia ſanat*, ſi corpore prius purgato, hoc modo adhibetur; v. g.

CINGULUM MERCURIALE.

Pro homine adulto Recipe *argenti vivi* ℥j. *album ovi* num. ij. vel iij. in vaſe quodam idoneo probè conquaſſentur donec omnis Mercurius in minutiſſimas particulas albumini commixtus non amplius appareat, hoc inunge *cingulum* ex panno cylino paratum, & 8. digitos latum, intus & extus, ac lumbis nudis applica, & quatuor relinque ſeptimanis, donec ſcabie abactâ, cutis priſtino nitore & puritate niteſcat. Vel ex *Mercurii vivi* ʒj. *ung. pomati* ℥ ß. & *ceruſſæ* ℥j. ß. fiat unguentum quod junctûris inunctum intra octo dies effectum optatum præſtabit.

Cortici verò avellanæ incluſus, & inter mammillas poſitus veriſſimè *lac, auget*, & amiſſum reſtituit, inprimis ſi à faſcinatione amiſſum lac harioletur.

Cum

Cum floribus autem *hyperici*, *& lunaria*, ſacculo inditus, & novis nuptis collo appenſus, in cantationibus venereis reſiſtere perhibetur.

In ſubſtantia etiam ad ℔ ß. & ℔. j. propinatus ab *Henrico ab Heer*, mirum quantum laudatur, *in iliaca paſſione à pertinaciſſima alvi obſtructione*, quod ſine omni noxa momento citius ſecum obvias fæces per inteſtina ducat, quo facto ad eluendas remanentes particulas clyſterem ex puro vino cretico injicere jubet: Ac hac methodo aliquos ileo morituros cum Dei gratia ſervaſſe aſſerit.

Hæc ſunt Mercurii vires potiſſimum radiales, nec adhuc in ſua prima ſecreti. Ubi tamen nota, quod per corium ſæpius expreſſus eſſe debeat, & à ſuperficialibus ac adhærentibus impuritatibus quoad poſſibile liberatus.

Quantum verò in ſua principia ſecretus corrodat, quasque corpori noſtro conferat noxas, quibusque blandiatur fucis, & quam arctos permeet mæandros, metallurgi norunt, indiesque experiuntur aurifabri, quando argentea deaurant vaſa, ubi hydrargyreis tam malignè corripiuntur effluviis, ut tandem colla & manus tremant, & crura vacillent, ac ſcelotyrbo infeſtentur.

Longam ſanè introduceremus malorum ſeriem, ſi argenti vivi nocivam ad amuſſim ſcrutari velimus: at tonſoribus nimis nota eſt Mercurii in lue venerea exhibitio, quo ſi corpus nimiopere perfumarint dentes brevi liveſcunt, (ubi alias genuina Mercurii proprietas eſt, faucium, orisque poros & gingivas &c. à pituita purgare:) & tandem oſſa tam friabilia redduntur, ut facillimè diffringantur, ſicuti apud *Schenckium*, *Hildanum* & alios videre eſt, ubi prius nodis & tophis corpus defœdavit, & articulos gypſeis tuberculis, coagulativâ ſuâ vi lymphæ adverſarius, ac oſſa doloribus, intolerabili teredine excruciavit, ſpiculatiſſimo ac acriori acido inſtructus Mercurius.

Cumque ideò tantas Mercurius excitet tragædias corroſivâ ſuâ volatilitate acidâ, & in prima ſua hæc ſecretus; admodum in conſideratè illos dico procedere, qui ſalibus rudioribus acidis correctionem.

nem instituunt, ac ita plus acuunt, inprimis tot heterogeneorum salium affusione.

Eo verò laborent, ut volatilem hunc hostem ligent & figant, suumque internum sulfur cum *Helmonte* extravertant, quamdiu enim revificari Mercurius potest, non esse viri boni remedium *Helmonti* hinc lubentissimè largimur: ac experientissimus *Thomson* epilogismi chymici p. 67. hoc innuere videtur ubi inquit: Mercurius vulgaris utcunque in formâ pulveris albi, citrini, rubei, olei, resinæ, aquæ multifariam larvetur, nunquam tamen statui debet remedium luis venereæ innoxium vel alexipharmacum appropriatum: nisi absque ullo salium externorum sodalitio figatur, fiatque planè diaphoreticus.

Luculentissimum hinc manifestumque fit, quam ineptè, quam perversè Mercurii præparationes hactenus in Pharmacopoliis institutæ fuerint, & quam inconsideratè ab emunctioribus etiam Medicis sæpius præscripta sint, *Mercurius dulcis*, & similia malè præparata Mercurialia.

Et verissimum est Chymicorum plerorumque ignorantiam, tot perversis præparationum modis, viam struxisse; ipsos enim, quid corrigere debebant, latebat. Modo consideres, & *percurre præparationum farraginem, quas Schröderus corrasit*, vix unicam, credo nullam invenies, quæ juxta legitimam normam, suam subit perfectionem, undè non mirum tantas sæpissimè tragœdias, perversè elaboratis Mercurialibus excitari, *omnes namque istæ præpararationes externum saltem sulfur attingunt*, ac internum, quod juxta monitum *Helmontis* extravertere debuissent, additis salibus heterogeneis acidis firmius occludunt. Percurremus verò brevissimè, principaliores eorum Mercurii elaborationes, ubi ante omnia heterogeneitatum & *impuritatum separationem, mediante corio instituunt*, aliquoties per hoc exprimendo, *tunc per spir. vini, vel acetum simpl vel cum sale mixtum, tam diu conquassando & lavando*, donec isti liquores non amplius nigrescant, atque tum sufficienter à sordibus liberatum esse credunt.

MERCU-

MERCURIUS PRÆCIPITATUS VIGONIS.

Jam verò ulterius aſcendentes, fixum reddere, omni ſtudio laborabant, ac hic *Johannes de Vigo primus inventor erat*, qui etiam omnibus aliis meliorem *præcipitandi modum invenit*, quia mediante ſpiritu vini ultimo corroſivos mitigabat ſpiritus vel ſpicula ſalina, ut loco corroſionis, carnem ſaltem ſuperfluam abſumeret, utpote guſtu inſipidus & quodammodo dulcificatus Mercurius. Procedebat verò in hunc modum.

Primò aquam ſibi fortiſſimam parare hâc forma jubet: v. g. Recipe

Auripigm. citrini.
Florum æris ana. ℥ij.
Nitri opt. ℔ j. ß.
Alum. rup. ℔ ij.
Vitrioli Rom. ℔ iij.

Triturentur omnia ad invicem, & ponantur in retorta vitrea probè lutata, cum recipiente ſimiliter optime adlutato, & tum deſtilla ſ. a. per gradus, donec recipiens rubeſcere incipiat, quo facto auge ignem & continua, donec nil amplius egrediatur, quo viſo deſiſte, & aquam cautè eximè & ſerva.

Tunc Recipe *argenti vivi* ℔ j. *Aquæ fortis prædictæ* ℔ j. ß. ponantur ſimul in retorta benè lutata quæ ſit capax ℔ iij. *permaneant ſimul per diem naturalem, retortâ optime obturatâ*, tum adhibito recipiente, ac juncturis clauſis, *ab initio lento igne deſtilla*, donec recipiens paulum rubeſcere incipiat, tum continua ignem augendo donec omnis aqua egreſſa ſentiatur, quo facto, frangatur retorta & præcipitatus Mercurius, *ac in colorem minii converſus, ab omni alba & crocea remundetur*, rubicundior pars triturerur in porphyrio ſubtiliſſimè, & in patella vitrea per duas adhuc horas calcinetur, ut major ſpirituum pars expellatur, hoc facto ter vel quater ſpiritus vini rectificatiſſimus ab eo deſtilletur; & hoc eſt ſecretum, inquit, quod facit pulverem perfectiſſimum, dolorem non cauſantem, ac

tum inter cætera corrosiva iste pulvis nobilioris & securioris est operationis.

Hic vides boni viri intentionem, dum corrosiva salium *spicula mediante spir. vini cicurate intendit*, non perpendens externum Mercurii sulfur esse, quod corrosivo suo acido tantas inducat tragœdias, sicuti probat hoc Mercurii saltem adhuc vivi, nimia inunctio, cui nullum accessit acidum: quovis igitur modo correctionem & dulcificationem instituas, semper erit idem Mercurius, externo suo sulfure nocivus, nisi in ulceribus putredinosis à debili acido tales, ubi superfluam, hic pulvis, absumit, & excrescentem carnem, & debilitatum excitat, etsi non corrigit acidum.

Hoc alii subolentes, paulò aliter rem sunt aggressi, nimirum *per metalla corrosiva Mercurii spicula hebetare*, vel incarcerare allaborarunt, forsan ab *Helmonte* docti, qui ente Veneris, externum ejus sulfur invertere præcipit: sed admodum ruditer illi processerunt, nec aliis considerationes, dum hoc insistunt correctionis modo. v. g.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS VIRIDIS.

Recipiunt *Mercurii optimè purgati* ℥iij. solvunt *in aquæ fortis* ℥vj. huic solutioni jungunt *cupri purificati* ℥j. itidem in ℥ij. *aquæfortis soluti*, mistura peractâ, ex retorta destillando, *aquam fortem abstrahunt*, urgendo sub finem vehementius ignem, quo maxima spirituum corrosivorum tollatur pars, remanentem massam terunt, & cum aceto in cineribus per dies 6. digesta, ultimò ebulliunt, quo potissima Mercurii pars aceto solvatur, solutionem verò decantant, filtrant, & leni igne ad siccitatem destillant, ac cum spir. vini aliquoties, vel aquâ præcipitatum viridem edulcorant.

Hunc pulverem *maximè extollunt in Lue venerea, inprimis Gonorrhœa, cum conserva rosarum primo & secundo die* a. gr. v ad viij. *postea vero aucta dosi* ad ℈ß. scil. *etiam cum extracto catholico, vel panchymagogo*, exhibitum.

Notari verò volunt, quod, etsi materiam peccantem per urinam expellat, & hac ratione augere Gonorrhœam videatur, nullum tamen

tamen terrorem capere debeant juniores practici, cum se natura hoc modo à malo liberet.

Sed quod mala patrare debeamus, ut inde eveniant bona, nullibi scriptum legimus: Retrogrado quidem vel inverso ordine hic præcipitatus viridis agit, dum causticorum more *putridum destruit gonorrhææ liquamen*, quod tum natura exturbat, at nî caute procedatur & dosis ratione corruptæ materiæ justè commensuretur, pejora sanè inducuntur mala. In omni igitur Mercurii applicatione, *ne quid nimis*, observandum.

AURUM VITÆ.

Non absimilis videtur huic jam dicto præcipitato, ille, quem vocant *aurum vitæ*, quod paratur hoc modo, v.g.

Recipe *auri* ℥j, *raspato vel lamellulato* tenuissimè, adde *Mercurii probè purgati* ℥j. misce in tigillo calido, ut *fiat amalgama*, tum frigidæ infunde, & per corium massam exprime, *amalgama* in corio remanens *cum aceto & sale probè ablue*, donec non amplius nigrescat acetum, hoc pondera, & si ejus non sint drachmæ octo, *plus adde Mercurii*, donec octo habeat drachmas integra massa, unam auri, & septem Mercurii scil. partes; *cucurbitulæ inditæ massæ, duas aquæ fortis, superfunde uncias*, ac alembico superimposito ex arena destilla, hocque repete quinquies, & deveniet pulvis ruber, quem in patella terrea clausa, ulterius calcina, & rubicundior fit præcipitatus, sæpius aquis cordialibus (melius spiritu vini,) abluendus.

Dosis est à gr. j. ad ij. *in morbo Gallico, Lepra, Cancro, fistulis interne & externè.*

AZOTH HESLINGII.

Multò operosiori methodo suum *Azoth* elaboravit *Elias Johannes Hesling*, quod nil fuit aliud quam Mercurius præcipitatus cum Auro & Luna, sed quid effecit hoc suo decantato Azoth? funesta credulis intulit mala.

Et nî *Curiosus Nobilis de Mülinen*, *Helvetus Bernensis*, (à quo, nunc beato, communicatam obtinui ejus præparationem, quam

ipſe, ab *Heslingio* pro centum Imperialibus edoctus, proſequutus fuerat) ejus indulſiſſet uſui, (ſæpè enim ſternutatorii loco naribus attrahebat:) aliàs ſcorbuticâ diſpoſitione notatus, non, credo, gangræna in pede prehenſus, occubuiſſet.

Sed ecce laborioſam ejus confectionem.

Primo recipe *Mercurii Hiſpanici* ℔ iij. *purificato* probè *cum ſpiritu vini, vel aceto ſale marino ſaturato*, tam diu lavando, & conquaſſando, donec nulla amplius nigredine liquorem inficiat, tum *per corium cervinum, aut hircinum exprime*, ac in cucurbita ſuperfluam abſtrahe humiditatem, quod notes, ſi in alembicum ipſe aſcendit, quod peracto per corium denique exprime purgatum ab adhærentibus Mercurium ſordibus.

Tunc *recipe limaturæ chalybis puriſſimæ* ℔ ß. *Mercurii purgati* ℥vj. hunc tigillo immitte, & igni appone, ac cum fumum emittere incipit, *limaturam chalybis ſenſim immiſce*, ſpatulâ ligneâ, & ſi aſcendere Mercurium fumantem obſervas, remove ab igne tigillum; maſſam vel amalgama mortario lapideo infunde, & piſtillo lapideo optimè tere, per dimidiam vel quartam horæ partem. Si tum multum adhuc reſtet Mercurii currentis, cum limatura Martis haud combinati, ut prius procede, Mercurium nimirum calefaciendo, ac limaturam de novo admiſcendo, in mortario triturando, & hoc ſi exigit neceſſitas, reiterando donec omnis Mercurius cum Marte in amalgama coeat. Si verò paulum adhuc reſtet, non opus eſt repetita amalgamatione, quia ſi reliqua accedunt metalla, eis facile adhæret.

Hoc facto recipe item *limaturæ Veneris* ℔ ß. *Mercurii purificati* ℥vj. miſce & omni ex parte, ut jam de Marte edoctum, procede, & ultimo Martis amalgamati adde.

Poſtea item ſume *Stanni Anglici* ℔ ß. *minutim inciſo vel raſpato adde* ut in ſuperioribus *Mercurii purificati* ℥vj. hoc vero amalgama optime trituratum ſeorſim ſerva in vitro.

Tum ex *Saturni* etiam ℔ ß. *cum Mercurii* ℥vj. *factum amalgama*, adde ſtanno ſeorſim aſſervato, ac cum invicem ſteterint per quatuor dies, adde prioribus, & omnia amalgamata commiſce, &

optimè

optimè trita repone, per octo dies vel ultra, interea verò aliquoties triturando & commiſcendo.

Peracto hoc tempore, recipe *Cinnabaris Nativæ* ℔. ij. tere ſubtiliſſimè, & adde ſupra repoſita amalgamata cum ℔. ß. *argenti adhuc vivi*, ac omnia probè in mortario lapideo tere & commiſce, *tum rurſus omnia hæc mixta per duas vel tres ſeptimanas repone.*

Poſtea recipe *calcis vivæ* ſ. q. conſperge cum *aqua ſale communi* optimò imprægnata, pauliſper ſaltem, *ut concidat*, ex hâc collapsâ *calce vivâ*, & *pane ſecalino fac paſtam, quam cum amalgamate ſupra repoſito commiſce muriâ humectando*, donec omnia probè ſubacta ſint, & *Mercurius vivus non appareat amplius*, tum efforma globulos, quos exſicca.

Exſiccatos hos globulos retortæ immitte, & recipiente maximo adhibito, cum aquâ ad ſex digitorum altitudinem impoſitâ, lutatis legitimè juncturis, deſtillationem inſtitue per integrum diem, leni ſaltem igne, poſt fortiori, donec omnis Mercurius expulſus ſit, quem aliquoties aquâ lotum per corium exprime, & Mercurius paratus eſt.

Hujus recipe ℥ vj.

Auri per Antimonium fuſi & ſubtiliſſ. limati ℥. ß. fiat amalgama ut ſupra edoctum, in tigillo miſcendo & triturando.

Tum etiam recipe *argenti puriſſ.* ℥. ß. & cum *Mercurii præparati* ℥ vj. item fac amalgama, triturando ſolum per dimidiam horam, *atque tunc amalgamata commiſce & per integram horam probè tere*, & parata eſt maſſa.

Hanc cucurbitulæ immiſſam, leviter ſaltem, impoſito, orificio, goſſipio, cum veſicâ clauſam cineribus elixiviatis impone, & ita relinque *in loco ſicco per quinquaginta dies, ſingulis tamen octo diebus eximendo, triturandoque per dimidiam horam optimè, ac reponendo rurſus.*

Diebus hiſce effluxis *calori leviſſimo appone, item per quinquaginta dies*, vel in hypocauſto calido, vel cineribus calidis, ut prius ſingulis ſemper octo diebus eximendo & triturando, quò, ſi quid Mercurii ſeparatum fuerit, immiſceatur rurſus.

Elapſis his centum diebus, calorem paulisper auctiorem adde, *per centum alios dies*, ſemper tamen obſervato ſingulis octo diebus tritu.

Poſtea arenæ impone, & calorem, moderatum tamen, *per centum & quinquaginta dies continua*, ubi maſſa creſcere incipit cypreſſi ad inſtar, *tunc exime & de novo triturando commiſce*, & in priſtinam amalgamitis formam abit, tenaciorem tamen, quam rurſus ſuæ cucurbitulæ inditam, ut prius, foveto igne, ſingulis ut prius octo diebus terendo, donec tandem igne aucto in pulverem fuſci coloris convertatur, qui cum inter terendum elevetur in atomos, paratus eſt, à quo ter vel quater ſpiritus vini rectificatiſſimus avocandus, & ſi ultimò, & parato pulvere quid argenti vivi reſtet, ſeparandum, & pulvis probè aſſervandus.

En tædioſam præparationem pro acquirendo præcipitato inſtitutam, quem dictus *Hesling* pro univerſali venditabat Medicina, ſed quam arroganter & perverſe, multa docent exempla infauſtæ exhibitionis; hæc enim falſa univerſalis Medicina ſaltem *Doſi unici grani propinata, horrendos, præſtabat effectus*, ſcil. *per vomitum, ſedes, ſudores* &c. ut hominem non ferendo ſufficientem judicaſſes. Bona ſanè univerſalis Medicina, univerſaliter omnia deſtruens & liquefaciens! Præprimis quando per compendium ejus præparatio inſtituitur qualis erat *Heslingii* mos, qui, cum tempus non ſufficeret, auctionem ſui Azoth inſtituebat, hoc modo:

Recipiebat pulveris Azoth ℥ iij.
Mercurii ſuo modo Philoſophicè parati ℥ viiij.

factâ mixtura ſive amalgamatione ut in ſuperioribus factum, calori apponebat per quinquaginta dies, vel ſupra fornacem, vel cineribus calidis, ſingulis octo diebus triturando, & commiſcendo.

Poſtea arenæ imponebat, & ſingulis octo diebus ignem augebat, donec in pulverem omnia verſa erant.

MERCURIUS DIAPHORETICUS CARDILUCII.

Non melioris farinæ ſunt aliorum præcipitationes, pro acquirendo

rendo *Mercurio diaphoretico* inſtitutæ, qui etſi in concitanda ſalivatione, ſæpius etiam per ſudores, ſuum præſtet effectum, attamen tutus non eſt, quia ſuo ſaltem externo ſulfure nequam, id peragint. Inter hos maximè deprædicat ſuum præparandi modum *Cl. Cardilucius*, qui hic eſt, & priori non multum diſſimilis ratione ingredientium, v. g.

℞. *Auri finiſſimi partes duas.*
argenti cupellati partem unam.

Ducantur in folia tenuiſſima, quorum recipe partem unam *Mercurii vivi puriſſimi* partes tres, *fiat amalgama*, hoc per quam optimè tere in mortariolo agatino, quo in minimos atomos metalla diſcerpantur, & impuritates quas continent elui queant: *trituratione ſufficienti peractâ aquam affunde & tere*, quæ ſi impura, decantetur, & recens affundatur, hocque repetatur tam diu donec amalgama ſit ſatis clarum & purum; Hoc per corium exprime, *ita tamen ut maſſa Mercurii ſufficientem copiam ſervet, & liquidior ſit, tum cucurbitulæ immitte*, & leviter ſaltem clauſam arenæ impone, & ab initio leniorem, poſtea verò auctiorem adhibe calorem, *donec cypreſſi inſtar creſcat*, & tandem in rubicundum vertatur pulverem, obſervando tamen ut ſæpius eximatur & commiſceatur ſeparatus à maſſa Mercurius.

Hunc præcipitatum pro *Panacæa* dictus *Cl. Cardilucius* deprædicat, cum *per ſalivationem, ſæpius etiam inſenſibiliter, inſignes præſtet effectus in Lue Venerea, Catarrhis contumacioribus, Hæmicraniis, Epilepſia* & ſimilibus gravioribus ac tenacioribus morbis. Doſi gran. ij. ad v. & ultra cum mica panis in pillulas redactus & propinatus aliquoties.

PANACEA ROHTMALERI.

Quos non ſparſit rumores de ſua *Panacæa* **Rohtmaler**/ qui *cum Saturni minera Mercurium combinavit*, tritu per octo dies & ultra continuato, tunc *calore ſucceſſivo præcipitato.* Hac ſuâ *Panacæa* Podagram curare volens, Generali cuidam tunc Wormatiæ commoranti, fuſtibus

fustibus remuneratus abiit: tandem Mercurii nocuis vaporibus corruptus, in ætatis flore mortem obiit *Hanoviæ* præterito anno.

MERCURIUS DIAPHORETICUS Thomsoni.

Confideratus quodammodo proceditur, si volatilissimis acidi spiculis, mercurialium particularum internum sulfur extravertendum, quæritur, ubi sequens præparatio etiam *à Thomsone* admodum laudatur, cum inquit in observationum suarum Epilogismi Chimici §. 110. *Sulfur, Salarmoniacum, Mercurius, multoties permista sublimaque*, pulverem sub rubrum fixum reddunt diaphoreticum tutissimum; hoc verò ita instituitur, v. g.

℞. *Sulfuris optimi* ℥ iiij. liquefiat sensim in vase vitreato, cui immisce *Mercurii benè purgati* ℥ ij. probè commistam massam refrigeratam pulverisa subtilissimè, & adde *salis armoniaci* subtilissimè pulverisati ℥ j. ac phiolæ inditam, *arenæ impone*, capitello leviter imposito, & primis tribus horis moderatum adhibe ignem, postea eum auge, ad sex horas, ut ultimo capellæ fundus candeat, tum cessa, & refrigeratis omnibus, *majorem partem sublimatam invenies*, cum quadam remanentiâ in fundo, quam fracto vitro exime, & *sublimato immisce*, & *ut prius procede*, hocque tamdiu reitera, donec in fundo remaneat omnis massa in pulverem sub rubicundum conversa, flores verò qui in ultimâ sublimatione ascenderunt, abjiciendi.

Dosis est à gr. iij. ad x. corpore prius purgato, *inque luegallicâ, elephantiasi, catharrhis*, non contemnendum diaphoreticum, exhibet.

Longè verò adhuc abest, donec hi Mercurii Diaphoretici, perfectionem & vires *Helmontiani Diaphoretici* exæquent, de quo ille deprædicat, quod sit Medicina quæ Medicum nobilitet, quippe *quæ omnem sanet febrem unicâ potione, Hecticam intra Lunæ cursum, Luem veneream, Hydropem, Asthma & quemcunque morbum chronicum*, item *lupum, carcinoma*, & *quodlibet æsthiomenum, cacoethes ulcus*, sive externum sive internum, compleatque solus medentum desideria tam in Physicis quam Chirurgicis affectibus. Hanc verò

pro

pro primâ vice paraſſe, *ingentis eſſe operæ inquit*, ejusque directionem pendere ab ejus manu, cui omnis debeatur honor, quia parvulis revelet ejusmodi arcana, quæ mundus vilipendat.

MERCURIUS DIAPHORETICUS HELMONTIS.

Ut autem hic Diaphoreticus acquiratur, Mercurium mori oporteret dicit, absque ullo ſalium externorum conſortio, ita tamen ut vivus maneat in plauſtro, hoc eſt, quod requirit *Cl. Helmont* ſcil. ut ratione ſulfuris externi moriatur, Mercurius & internum ſulfur ope particularum ſulfurearum, metallicarum, volatilium, acidarum extravertatur, ut hoc probat ejus Mechanica, quando jubet:

Accipe *pulverem Johannis de Vigo propria manu paratum*, alioquin admiſto minio adulteratus eſt. Hic pulvis *affuſo elemento ignis, ex vitriolo Veneris extracti, cum aquâ regia cohobandus eſt quinies*, ſub finem augendo ignem, nam fixatus plane eſt, & pulvis valde corroſivus: Qui dein *cohobetur decies cum aquâ vitæ optimè dephlegmatâ, & vicibus ſingulis renovata*, donec omnem corroſionem ſecum abſtulerit: Et *tum iſte pulvis inſtar ſacchari dulcis eſt*: Ideoque ſpiritus vini Saltaberi ſive Tabarzet appellatur, quod ſaccharum ſonat, *non quod in ſe dulcis ſit, ſed auferat corroſivos ſecum ſpiritus*: Adeò ut reſiduus pulvis propria nec aliunde mutata dulcedine fulgeat.

Nam præterquam *quod ignis vitrioli ſit dulcis, ipſum ſulfur Mercurii tunc extra inverſum eſt ſummæ dulcedinis*, & tum fixus iſte pulvis *Aurum Horizontale* vocatur: de hoc fatetur, quod votis ſemper obſecundaverit. Difficilis quidem, inquit, eſt ejus acquiſitio, ſed duorum granorum doſis ſufficit ter quaterque exhibita, ac *ſemel nacto Mercurio Diaphoretico* multis ægrotorum ſufficit miriadibus, tam pro ſe medente, quam pro poſteris ſuis.

Hic Diaphoreticus etſi aſpernetur omnem digeſtionum laborem, facit tamen in morbis quantum Phyſicus ac Chyrurgus optare poſſunt. In ſuperficie enim ludit dulcedo ſulfuris ejus, pars autem per ſulfur externum obtecta latet, nec operatur niſi per ſpeculum lucens trans ſulfur, & ſic Archeum ſui ad lubitum affectans.

Alioquin *illa Diaphoretici dulcedo est sulfuris ex igne Veneris hausti*, qui est ejusdem saporis cum Diaphoretico, quapropter ignis ille est anodynus, soporiferus innocuè, doloris pacator, qui sedat omnem iram, dolorem, motionem, turbationem, tempestatemque Archei. Itemque imprimit in Archeum voluntatem resolvendi omnia coagulata, quo respectu tollit omnem morbum occasionaliter, materialiter & enormonticè excrementis quibuscunque tributum.

Huc adeste artifices! Huc intendite nervum! & *ens Veneris quærite per Sal Armoniacum, & ejus volatile acidum*, non per vitrioli, aut alium heterogeneitatibus vel ruditatibus onustum spiritum salinum; & habebitis verum Mercurii Diaphoretici fabricandi Instrumentum, qui uberiorem fructum & laudem comparabit, quam si vilioribus insistendo, non tempus solum & pecuniam, sed & existimationem vestram, cum ægrorum salute perdatis.

MERCURIUS SUBLIMATUS.

Jam ad alteram Mercurii præparandi partem, sublimationem nimirum, ubi particulæ mercuriales sulfuris, externi, mediantibus salinis acuuntur, ut venenosam planè induant naturam. Hæc verò præparatio cum infinitarum rerum, ac medicaminum ab artificibus ad diversos scopos elaboratorum, basis sit, eam primò circumscribemus: *sublimatur* vero *argentum vivum* hac proportione, v. g.

Recipe *Mercurii seu argenti vivi libras* 280. *Mercurii sublimati libras* 20. *salis communis, Nitri* ana. ℔. 200. *capitis mortui reservati* libras 50. *vitrioli rubificati* libras 400. Omnia separatim redigantur in pulverem, sub lapide molari qui calcat: tum mixtura fiat hoc modo:

Mercurius vivus, & *sublimatus, portioque salis communis & Nitri primò misceantur*, & quam vis salia arefacta sint: tamen ab hâc mixtura madescunt: sic Mercurius, miscendo cum dictis speciebus moritur, tunc adde reliquam salium partem, perge miscere ligone ferreo, donec Mercurius nullibi vivus appareat: tunc mixtura est humidissima, cui si addere velles vitriolum rubificatum, absumeret humidum in momento, quia est valdè aridum, ac saxi indueret naturam:

Oportet

Oportet itaque loco dicti vitrioli addere caput mortuum de prima ſublimatione reſervatum, aut de aqua forti, perinde eſt, ſic modice ſiccatur mixtura, quam per cribrum agitare oportet, ac *tum huic cribrato pulveri commiſcere vitriolum rubificatum.* Ac ita habes miſturam, quâ cum impleto 16. vaſa magna vitrea, ita tamen ut quarta pars ſit vacua, hæc *locentur in capella cinerum*, non verò in aperto igne, in quatuor furnellis, quorum quilibet contineat 4. vaſa; vaſibus appone alembica negligenter ſaltem cum ſuis receptaculis. Ignis per 24. horas ſit lentus, in quo tempore ſalia diſſolvunt Mercurium, *ſpiratque in illa actione odorem aquæ fortis, pulmoninocivum, qui inſpirantem ferè ſuffocat.* Poſt horas 24. odor perit, & *tunc ſublimari incipit Mercurius*, ac tum illo calore perſevera, donec Mercurium in forma placentæ, à ſuo capite mortuo ſeparatum in ſummo videas, quod fit plerumque quinto die ſi benè fueris operatus.

Aquam fortem egreſſam ſeorſim ſerva.

Frigefactis omnibus, propter grave pondus ſublimati, ſponte crepant vaſa vitrea: (fragmenta ſeparatim collige, habent enim aliquid ſublimati, quod abrade, quo cum alia vice Mercurius currens mortificari debet,) *cave cinerem, ne per rimas decidat, ſupra placentas*, quas curioſè ambabus manibus prehenſas, ſepone, quarum quælibet pendebit circiter libras 25. plus minus, juxta capacitatem vaſis, quod plus vel minus de mixtura capiebat: ita ex 280. libris Mercurii vivi & 20. ſublimati, colliges ſublimati ter centum & octoginta: ac crevit in pondere Mercurius vivus 80. libris.

Hic jam *monent Zvvelfferus* & alii, *ut ſublimatio bis vel ter reiteretur novis ſpeciebus ſale ſcil. & vitriolo*: ſed rejicit hoc *Tackenius* tanquam inutile, quia Mercurius ſemel acido ſalino ſaturatus, tantum abſorpſerit, quantum ſufficeret, & indigeret: & licet deinde centies ſublimetur, aut per ſe aut novis ſpeciebus, ſemper tamen maneat idem Mercurius ſublimatus: adeò ut reiterare laborem, ſit tempus & ſpecies inutiliter perdere.

Ulterius hic *Cl. Frid. Hoffmannus* hujus eſt opinionis, nimirum Mercurium, ſolùm, cum ſale & vitriolo, absque nitro vel aqua forti

paratum, minus corrosivum existere & hinc ad medicinam plus conducibilem. Sed cautelam hanc esse superfluam *Tackenius habet*, cum Mercurius à nitro nil acquirat ponderis, sicut facit cum sale & vitriolo sublimatus, sublimetur enim, inquit, idem Mercurius eadem proportione nitri & vitrioli rubificati absque sale communi, ac ascendit Mercurius rubeus, qui nil neque ponderis neque corrosivi acquisivit.

Hinc crederem ego, hunc cum *intermediato nitro ut supra edoctum, ratione spiritus nitri volatilis, qui acre Mercurii externum sulfur mitigat, minus existere venenosum sive malignum, quam qui cum solo sale & vitriolo sublimatus existit*, etsi nullus malignitate careat, adeò ut litem hunc inutilem planè duxerim; quacunque enim sublimes salium proportione, semper manet idem Mercurius nequam, nisi aut volatilitate aut fixitate differentem velis. *Si tamen crystallinum* magis expetas, *Recipe Mercurii vivi* ℔ ß. *vitrioli quodammodo rubificati, salis communis fusi* ana. ℔ j. mſ. optimè *cum aqua forti impasta*, & sublima ter, & fiet crystallinus.

MERCURIUS DULCIS.

Ex hoc jam sublimato Mercurio multa & varia sæpius nociva medicamina ortum ducunt, inter quæ primum locum tenet *Dulcis Mercurius*, si non ritè vel paratus vel exhibitus sit. Si vero legitimè quis paratum velit, hunc Mercurium dulcem, hanc sequatur methodum, v. g.

℞. *Mercurii sublimati legitimo modo* ℔ ß. *Mercurii vivi purgati item* ℔ ß. plus vel minus, exacta enim Mercurii vivi quantitas hic determinari nequit, quia *sublimatus tantum capit Mercurii vivi, quantum potest*: misce exactissimè, diutius ferendo in mortario lapideo, *cum pistillo ligneo*, donec nullus Mercurius vivus magis velit sorberi à sublimato, quem remove. Si quid ejus supersit, ac tum semel adhuc probè tere donec omnia exactè mixta sentias.

Hanc mixturam *cucurbitæ vitreæ immitte*, leviter saltem apposito capitello, ut fuligines exhalere queant, tum *arenæ impone*, & destillationem institue, primis 6. horis leni igne, postea cum sublimari incipit

incipit fortiori igne continuo, donec omnia elevata sunt, quo observato, furnellum exactè claude, ut sensim omnia refrigescant, tunc exime, & si quid Mercurii currentis ascenderit remove; *quod verò sublimatum est subtiliter tere & bis adhuc sublima*, per crebriorem enim sublimationem, vim purgandi amittere *F. Hoffmannus* refert, quæ item præcipit, propriâ manu sublimatum elaborare, ne arsenico adulteratus substituatur.

Sed hunc metum inanem esse facile colliges si arsenici nocivam & periculosam sublimationem consideres: Quis enim in sublimatione auderet addere, per se subtili acido venenosum arsenicum, sicut hoc expertus fuit *Tackenius*, qui ad ejus auram aliâs gratam & suavem inspiratione attractam, stomachum sensit contractum & dolentem, cum omnium membrorum convulsione, respiratione difficili, subsequente colico dolore, & contractura per sesqui horam: tam insanum ergo neminem judico, vel maximè ignorantem, & quidem maximo cum periculo, qui sublimando Mercurio arsenicum adderet, nisi finita destillatione & pulverisato sublimato, quis immiscere vellet, sed tum facile fraus deprehenditur, si oleo Tartari per deliquium affuso sublimatus nigrescat, qui flavescere debet.

Sæpissimè credo imputari ingredientibus, Mercurii dulcis, virium, quod illegitimæ ejus applicationi debetur; quocunque namque modo ingredientia correcta adhibeantur semper tamen exinde resultans compositum, pravos natales retinet, cum semper maneat mali corvi malum ovum.

Laudatur verò hic *Mercurius dulcis in impuritatibus Venereis, & pueris verminantib⁹* propinatus *cum extracto hellebori nigri* à ℈ß. ad ℈j. in pilulis, & *si cum emetico combinetur asthmaticis conducere perhibetur*, sed accidentaliter, quia viscidam ex pulmonibus evacuat pituitam, (utpote quæ ejus proprietas scil. pituitam in glandulis colliquare,) asthmatis causam; cum tamen argentum vivum pulmoni haud sit amicum.

Quod verò Mercurius dulcis, etsi multò plus Mercurii contineat quam sublimatus simplex, non adeo sit corrosivus ac hic, qui vix

ad granum unum ſine periculo exhiberi poteſt ; inde eſt, quia in ſublimato ſimplici corroſivi ſpiritus plus ſunt concentrati, quam in dulci, utpote qui ad primam ſuam formam propius accedit, nec plus verè virium continet, quam currens ipſe, qui æquè vermes pellit, & ſalivationem inunctus ſaltem excitat, ac dulcificatus Mercurius.

Ex hoc fundamento ſuum *Antiquartium paravit Riverius*, qui *Mercurium ſublimatum cum Mercurio vivo* conjunctum ſ. q. ut ſupra notatum, *duodecim vicibus ſublimationem reiteravit*, actum ad partes quatuor Mercurii duodecies ſublimati, & dulcificati, partem unam *Mercurii vitæ tamdiu calcinati*, donec nullum amplius vomitum cieat, addidit.

De hoc ſuo Antiquartio mirum quantum rumores fecit. *Riverius* in ſuis obſervationibus, quas vide.

A Mercurio dulci haud longe abeſt pro ductum illud, quod *ex Mercurio ſublimato & Antimonio*, eruitur, ac

CINNABARIS ANTIMONII

vocatur, Hæc ut ritè & ex arte fiat ſequentem, in modum procedatur. v. g.

℞. ☿. *ſublimati*, propria manu parati, vel non adulterati ℥vj. *Antimonii pulcherrimi* ℥iiij. *præſtat verò minori Doſi, quam majori ejus elaborationem inſtituere.* Singula ſeorſim in mortario lapideo, ſubtiliſſimè pulv. probe miſceantur. Vitetur tamen fumus inde excitatus.

Poſtquam commixta omnia ſunt, retortæ vitreæ immittantur, hæc verò arenæ imponatur.

Retorta verò ſit prædita collo ſat longo & largo, ne hoc à copia cinnabaris facilè obſtruatur & confringatur, ita etiam collocetur retorta, ut penè fundum capellæ attingat; quoniam ultimo, igne intenſo opus eſt.

Tum ignem primò adhibe lenem, ut ſaltem maceratio quaſi perficiatur; *poſtea verò augeatur ignis ut capella ex parte candeſcat*; Sic prodit

prodit liquor albedine conſpicuus, cui ſuccedit butyrum maximè limpidum, quod alio recipulo excipiendum.

Ab initio luto jungantur recipiens & retorta, ne fumus acidus & acris laboranti noxam inferat.

Hic verò ignis gradus continuetur, donec liquor luteus egredi incipit, tum fortificetur ignis, & ſi nullæ amplius guttæ decidunt, recipulum auferatur, & retortæ foramen ſive collum ſaltem charta convoluta obturetur, vehementiorque gradus ignis adhibeatur, ut materia in retorta fluat, & liqueſcat, *niſi enim retortæ fundum candere obſervas, nil aſcendit cinnabaris.*

Ab initio verò dum butyrum aſcendit, caveto ne ignem intendas, *ſi enim butyrum citatius exeat*, ita ut gutta guttam trudat, *& retortæ collum variegato colore*, flavo, viridi, rubro &c. *pingitur, ſignum eſt caloris nimis fortis*, hinc ignis debilitetur, ne deſtruatur cinnabaris productio: Liquore verò luteo prodeunte tempus eſt ut ignis augeatur.

Operatio intra 12. horas peragitur vel & citius pro majori vel minori ingredientium copia.

Finito opere, retortâ fractâ, colligatur Cinnabaris Aqua aliquoties abluenda, poſtmodum ſiccanda, pulveriſanda & ad uſum aſſervanda.

Dantur artifices qui reiteratis ſublimationibus hanc cinnabarim rectificare intendunt, ſed contrarium ſtatuit *Cl. WEDELIUS* qui rectificatione hâc cinnabarim comburi & deteriorari aſſerit.

Si tamen quis rectificationem urgeat, ea inſtituenda in crucibulo, deſuper applicato crucibulo alio loco aludelis.

Si ex ☿ii *ſublimati* part. ij. & ♂ *crudi* part. j. hunc proceſſum inſtituis, *& opere finito, remanentiæ novum ☿ ſublimatum addis*, & mixta deſtillas, majori copia cinnabarim acquires; ubi verò ingredientia æqualibus partibus miſcueris, plus habebis butyri &c.

Si loco ♂ii *Crudi, Regulus ejus miſcetur cum* ♃io *& quidem metallis nobilioribus fortificatus emergentia inde erunt nobiliora prout ſequens te docet encheyreſis* v. g.

Recipe *Reguli Antimonii martiati* ℔. j. huic in tigillo fuſo adde

auri

auri ℥ß. *Argenti capellati* ℥j. & probè invicem uniantur & *fundantur. Regulum hunc refrigeratum in pulverem redige*, & ei analogam *Mercurii ſublimati partem adde*: pulverem commixtum retortæ immitte, *& per dies tres vel quatuor in cella repone*, donec maſſa fiat humidior, & metalla ad recluſionem diſponantur.

Tunc *arenæ impone retortam*, recipiente adhibito, & ignem adde primo leniorem, poſtea fortiorem, & *prodibit craſſus liquor*, qui cum retortæ collum occludat, carbone admoto candente, ſolvatur rurſus. Liquore omni egreſſo ignem auge, & *ſublimabitur in collum rubicunda maſſa, cinnabaris antimonii vocata.*

Hanc refrigeratis omnibus exime, & ſubtiliſſimè tere in porphyrite ac cucurbitulæ immitte, alembico leviter ſaltem impoſito, & ſublima duodecim horis forti igne in arena, donec fixus in fundo maneat pulvis, uſui aſſervandus, quem pro lubitu iterare laborem poteris, donec ſufficienter fixatum ſentias.

Hic pulvis ſive cinnabaris *de ſulfure antimonii, Martis, Mercurii, auri, argenti*, ortum trahens, *Diaphoreticum non contemnendum exhibet.*

Jam recipe *liquorem*, ſive ut vocant, *butyrum Antimonii & Mercurii ſublimati, & aëri expone ut liqueſcat*, quod tum *per retortulam ter vel quater cohobando rectifica.* De hoc *recipe parum* vel quantum libet, *infunde aquæ copiam*, ac ſubitò *albiſſimus pulvis fundum petit*, à quo aquam acidulatam decanta, & recentem affunde, ac edulcora ſæpius, tunc exſiccatum *Mercurium vitæ, & ſerva*: Cujus grana 2. 3. vel 4. per noctem vino infuſa, & mane propinata, *addita aquâ cinamomi*, vomitus & ſedes ciet: ſemper verò debet exhiberi in infuſo, nunquam in ſubſtantia, ne in ventriculo diutius commorando hypercatharſin excitet, pulvis à ſuo pondere nil perdit nec etiam viribus, hinc exſiccatus rurſus, ſæpius vinum inficere poterit.

CORRECTIO MERCURII VITÆ.

Sed cum adeo incorrectus hic Mercurius vitæ, nimium violenter operationes ſuas perficiat, *Angelus Sala* ſequenti modo corrigit, v.g. crucibulo eum immittit & lento igne calcinat, donec nullum fumum

rum amplius emittat, & *griseum nanciscatur colorem*, quod fit intra aliquot horas. Postea imprægnat sæpius *tincturâ santali rubri*, spiritu vini extractâ, & siccatâ sæpius, usque roseum colorem acquisiverit; & parata erit *Rosa vitæ ab Angelo Sala* adeò laudata, quam alioquin additâ *ambrâ & moscho*, *cum saccharo* in trochiseos redigebat, & tanquam pretiosum thesaurum servabat.

Testatur tamen *Cl. B. Ettmüller.* comment. *Ludov. Angelum Salam*, Butyrum ♁ præcipitasse cum Urina, loco Aquæ atque ita acquisivisse suam Rosam vitæ.

Si hujus *Mercurii vitæ correcti* gr. iij. vel iiij. cum octo *Mercurii dulcis* granis misceantur, insigne purgans præbere, cui vix aliud exæquandum, asserunt.

Vel ℞. *Mercur. Vitæ correcti.* ℈j.
Merc. dulcis opt. ℈ij.
Tartari vitrioli. ℈j. ß.
Extract. helleb. nigr. ℈j.
Panchymagog. ℈ij.
Aloes. ℈j. ß.

M.f. fiat massa pilularum, quæ dosi ℈j. ad ij. propinata in pillulis, abditissimas corporis obstructiones reservare perhibetur.

Præterea *Antimonii butyrum* causticum efficax præbet, & ab Agricola maximoperè laudatur in Cancro mortificando, & aliis excrescentiis carnosis absumendis, sed cum periculi plena sit hæc cura, sequens *Rhenani oleum fixum & dulce Mercurii* longè præfero, hoc ita fit, v. g.

MERCURIUS FIXUS RHENANI.

℞. *Spiritus Nitri* partes ij.
Salis armoniaci crystallini partem j.

Destilla simul, & affunde Mercurio sublimato, ad trium digitorum transversorum eminentiam, clauso vase octo horis digesta destilla, residuum tere, & aquam rursus affunde, idque tantisper reitera, donec omne argentum vivum sublimatum in fundo fixum

maneat. *Fixum hunc Mercurium ſublimatum*, per horam unam aut alteram *leviter reverbera*, dein terito, & *ſpiritum vini rectificatiſſimum ſæpius ſemper novum affunde*, quem multoties à Mercurio ſepara, donec in olei formam abire videas, quod erit fixum & dulce.

In lue Venerea, Cancro, fiſtulis, & omnibus inveteratis, & malignis ulceribus, magni uſus.

Antequam in oleum redigitur hic Mercurius, dicitur illi *Calcinatum magnum Paracelſi* in excreſcentiis carnoſis & ulceribus ſordidis inſignis efficaciæ. In hoc enim, ope ſpiritus Nitri volatilis, particulæ acriores ita cicuratæ ſunt, & repetitis ſpiritus vini rectificati abſtractionibus ita dulcificatæ accedentes corroſivæ particulæ, ut tutius multò, externè applicari poſſint, quam omnes alii vilioris ſortis præcipitati.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS ex SUBLIMATO.

Nec hic *ex ſublimato præcipitatus pulvis*, contemnendæ eſt energiæ, in dictis exterioribus malis, qui ita fit, v. g.

℞. *Mercurii ſublimati* ℥iiij.

ſolve cum ſ. q. *aquæ moderato calore in arena*, hoc facto, *ſequens inſperge lixivium*, & præcipitabitur ad fundum rubicundus pulvis Lixivium hoc eſt.

℞. *Calcis vivæ.* ℔ j.
Tartari calcinati ℥iiij.

calcinentur probe in furno figulino ac tum *ex calcinato fac lixivium* quod per ſubſidentiam & filtrationem coletur & clarificetur: de hoc, ut dictum, *ſolutioni Mercuriali inſperge, & primo cadit pulvis ruber*, à quo aquam ſeparata, & de novo lixivium inſperge, *& alius cadet pulvis non adeo rubicundus*, quem item ſeorſim collige, & *ſi tertia vice aquæ ſeparatæ de lixivio inſpergas, cadit tertius pulvis flavi coloris.*

Id quod primò cadit de ſublimato acrius eſt, reliqua mitiora. *Uſus inſignis eſt in carne ſuperflua, ulceribus putridis & ſimilibus ex fundamento purificandis*, cum Emplaſtris vel linimentis adhibitorum.

BEZO-

BEZOARDICUM MINERALE.

Si ulterius hic pauca addimus de *Minerali* ut vocant *Bezoardico*, quod, corrosivâ secretâ Mercurii vi, *in butyro antimonii*, *ope spir. Nitri* fractâ post pugnam omnem exuit ferè malignitatem, & fit temperatum ac blandum ex toxico medicamen.

Hoc nonnulli cum Antimonio Diaphoretico convenire, nec ab eo realiter differre, volunt. Sed magnum ego concipio discrimen; inter id quod spiritu volati omni heterogeneitate spoliato, quam quod ipso Nitro multis terrestreitatibus alcalinis combinato correctionem subiit.

Fabricatio hæc est:

Recipe *butyri Antimonii* q. l. cucurbitulæ vitreæ immisso, *affunde spir. Nitri rectificatissimum*, *volatilem guttatim*, donec butyrum sit solutum, & *nulla amplius effervescentia sentiatur.* Tunc *in arena abstrahatur humiditas ad siccitatem*, & remanentiam pulveris albi, fixi, sine ulteriori & calcinatione, & dulcificatione sat correcti: primâ enim vice tantum sorbet acidi convenientis, Mercurius solutus, quantum pro sua saturatione & correctione indiget.

Subolemus hic Mercurii occultam actionem, qui cum acri volatilitate acidaque polleat, accedens sibi associat simile acidum volatile, & cum eo saturatur & figitur, ut tum ex eo salutare medicamen efficiatur, sicuti hoc ita fit *in Diaphoretico Paracelsi*, ubi subtilissimis acidi spiculis internum sulfur extravertitur, externum verò suturatur ne nocere queat: cum aliâs Mercuriales & volatiles particulæ separatæ, in corpore sibi similia liquant subtilissima acidi spicula, & spiritus vitales destruunt, & ita viribus orbatum relinquunt sanguinem, maximorum morborum, arthritidis, contracturarum &c. causam, in subtilissimis etenim acidi dulcificatis spiculis, spiritus vitalis Essentia consistit, & totius Naturæ robur, quæ si quovis modo vel destruantur vel figantur, vel cruditatibus supprimantur, Archeum turbant.

Hæc est principalis Mercurii Historia, ratione energiæ ad medicinam applicandæ, considerata.

Reſtat ut *de metallica ejus indole* quid moneamus; in radice enim nil aliud eſſe quam metallum, *Paracelſus* habet, cum *Auro etenim Mercurium Diaphoreticum fuſum*, in *Aurum ſimul converti*, de morte rerum refert.

Sic & hoc demonſtrare videtur ſequens mechanica, ubi ſulfure crudiori metallico, particulæ Mercuriales ita ligantur, ut cum eis metallicam induant naturam.

MERCURIUS COAGULATUS.

Opinantur quidem alii, *reductionem eſſe cupri*, quod in vitriolo contineatur, ſed quorſum Mercurius quem coagulatum & concretum tigillo immiſimus? En fabricationem.

℞. *Viridè æris pulv.*
Salis comm. exſiccat. ana. ℥vj.
Mercurii vivi currentis ℥iiij.

Solvatur primo Sal, poſtea *viride æris cum aqua ferrata fabrorum*, in quâ ferrum ſæpius extinctum, tum coquatur in cacabo ferreo, continuò ſpatula ferrea agitando, donec ebullire incipiat, ſed cave ne regurgitet: tunc *Mercurium vivum injice, perge coquendo donec Mercurius non amplius currat*, ſed ſpatulæ & fundo *malagmatis incraſſati ſubflavi inſtar* & inſpiſſati adhæreſcat: quod fit ferè horæ dimidiæ ſpatio.

Tum *aquam rubram* (ſi enim ulterius coxeris, aqua & Mercurius nigreſcerent,) *per inclinationem ſepara*, & Mercurium impuritatibus commixtum, *mediante repetita aquæ frigidæ affuſione lava*, & à ſordibus ſepara, & in orbe ligneo pone, ac aëri expone ut indureſcat, eoque magis quo diutius in loco frigido aſſervatur.

Poſtea recipe hunc *induratum Mercurium*, & cum *radic. curcumæ flavæ*, & *tutiæ alexandrinæ* ana. p. æq. pulveriſatis fac. ſ. ſ. ſ. in tigillo, quem tunc probe lutatum & clauſum, ac ſiccatum, *igni impone, ab initio leni, poſtea per horam fortiori, inſtante folle, ut omnia liqueſcant*: tunc refrigeratis omnibus, invenies Mercurium in forma metalli aurei concretum, vario uſui inſervientem, externè in lamellulis, ulce ribus, tumoribus &c. applicatum.

Si

Si hæc metallicæ naturæ indolem tibi haud ſufficienter demonſtrare videntur;

Mercurii partes quinque.
argenti puri partem unam.

miſce fiat amalgama: hoc in tigillo calefactum *extingue ſexies vel ſæpius in ſequente oleo*, & Mercurius cum argento metalli formam aſſumit. Oleum hoc eſt; Recipe *Tartari crudi* q. v. deſtilla per retortam, egreſſa omnia fæcibus redde, & deſtillâ, *donec omne oleum Tartari prodierit*, hoc, *cum tantundem calcis vivæ triturando probè commiſce, & ab eo rurſus abſtrahe, cum hoc oleo tincturam ex ſulfure communi extrahe*, & dicto uſui deſtinatum ſerva.

DE CINNABARI NATIVA.

Huc refertur, *terra* illa *ſulfurea, Mercurialis, ponderoſa, à Paracelſo* tantopere commendata, ſub nomine *Electri mineralis immaturi*, & ab *Helmonte Metallus primus ſive maſculus* inter imperfectiora vocatus, quod ab indole metallica neceſſario veſtiatur Mercurio & ſulfure metallicis, Mercurio nempe liquido, nec digitis adhærente, & ſulfure cremabili in flamma cœrulea. Huic *de injaculatis* §. 7. *maximas vires contra incantationes adſcribit*, collo enim appenſum, inquit, liberat quos ſpiritus immundus perſequitur & angit; nec ullum ſe noſſe, qui appenſo illo ſimplici non præcaverit ne injecta intromittantur, vel ab importunis ligationibus confeſtim non ſolvatur.

Ex hoc ſubjecto *Helmont* ſulfur ſeparare jubet, & *in vinum vitæ Paracelſi* more redigere, hâc mechanicâ: *Metallus hic maſculus* inquit, quia facile ſinit à ſe ſequeſtrari ſulfur, *liquetur hoc in oleo cinnamomi, vel nucis myriſticæ.* At ſaltem, quanquam inſignes vires ſic ſulfur reſolutum habeat: quia tamen odorem fœtidum haurit, reſervatque liquati ſulfuris reſiſtentiam, nec poteſt ad intima transire, ſed tantum agere velut transeundo per ſui attactum, obiter ſui doni reminiſcentiam ſaltem ſuperficialem excitat.

Attamen ſi liquatum iſtud ſulfur in oleo aromatis ſic uniatur; ut

per alembicum licet fœtens tranſierit, ac dein cum alcali debito modo circuletur: atque tandem in Elixir ſalis volatile tranſeat, quodammodo æmulatur vires & virtutes vini vitæ & eſſentiæ membrorum. *Siquidem Elixir iſtud rectificatum*, in *optimum ſpiritum vini*, omnem fœtorem emittit, reſumitque aliquid de geniali dote, ut difficiles chronicosque morbos ſaltem adimat.

Hæc eſt HELMONTIS noſtri de ſeparando ſulfure Electri mineralis, mechanica, ſed cum obſcura ſit, eam paulo manifeſtius declarabo.

SULFUR CINABARIS NATIVÆ.

Teratur hoc ſubjectum quam ſubtiliſſimè, tunc *alcali per calcem vivam fortificatum adde*, & ambo in mortario per dimidiam horam probè terendo miſceantur, facto hoc, *aquam affunde*, & *filtra ſaltem*, ac *acetum filtraturæ inſperge*, ut *ſulfur fundum petat*, quod exſicca, erit flavi coloris, & flammam cœruleam emittens. Mercurialis verò pars in filtro remanet.

Jam *ſulfuri tuo oleum cinnamomi affunde*, ac in phiola coque, *donec oleum ſit tinctum ſatis*, hoc retortæ immiſſum, *abſtrahe*, donec leni igne nil olei clari exeat amplius, tum refrigeratis omnibus, habebis extractum rubicundi admodum coloris, ſanguinem concretum referens, hoc ſerva, oleum verò clarum rurſus novo affunde ſulfuri, & per 12. horas coque, ac tingetur iterato oleum, hoc priori in retortula contento extracto affunde, ac oleum iterum leni igne abſtrahe, quod clarum prodeat: hoc denuò ſulfuri affunde, & ut prius procede, ac priori in retorta extracto additum abſtrahe, leni igne, ac quando nil amplius exit, auge ignem pauliſper, ac egreditur primò flavum, poſtea rubrum oleum.

Hæc omnia *remanentiæ reaffunde*, & *cohoba ſæpius*, donec oleum tuum rubicundum admodum elevetur ut nec rubicundius prodire poſſit. Hoc Alcali quodam puriſſimo, quodammodo calidè commiſce, & aliquot horis exactiſſimè in porphyrite invicem tere, donec in formam mellis abeant: (*hoc verò obſerva ne nimium olei addas, quicquid enim cum oleo non miſcetur, nullam ſubit correctionem:*

nem:) hoc facto, cucurbitulæ immitte, & leni igne aliquot ſeptimanis digere, ne oleum aſcendat vel ſeparetur, ſed leni ſaltem calore, in ſalinam vertantur maſſam, quæ tum fortiori igne acta, volatile Sal fundit magnarum virtutum, cui maxima morborum cohors auſcultabit, quippe de eo *Helmont* prædicat, quod *Caducum, Paralyſes, Apoplexiam, Vertigines, Atrophias, Hydropes*, & *immanes alios defectus* annihilari viderit, ipſa naturâ ſtupente.

Obſervamus hoc in crudiori hujus ſubjecti adhibitione, ubi inter alia D. D. *Michaelis ſpecificum Cephalicum*, id pro baſi habet, de quo magna gloriantur: mediante videlicet quo, multa millia ægrotantium reſtituta fuiſſe, *F. Hoffmannus* refert.

Nec ſolum internè, ſed & externè contra infinitos applicari morbos, cinnabarim hanc, quippe *in Illuſtriſſima* quadam variolis laborante ſpaſmaticâ, *externè carpis manuum impoſitam*, ſe optimi effectus expertum fuiſſe, dictus *F. Hoffmannus* porrò refert. Sicuti & ſupra ab *Helmonte* edocemur, quod collo appenſa liberet quos immundus perſequitur ſpiritus.

Cum itaque tantas obtineat vires crudius ſaltem adhibitum hoc ſubjectum, quid non largietur virtutum, ſi ab heterogeneitatibus liberatum, ac *in Elixir ſalis volatilis redactum fuerit?* Aliter quidem ſentit *F. Hoffmannus*, qui putat, non conſultum eſſe, ut in hoc ſubjecto unita & conjuncta ſeparemus, cum nudo ſaltem aſpectu vel odoretenus, variè & mirè noſtrum alteret Archeum.

Moderni noſtri Practici *correctionem cinnabaris Nativæ mediante ſublimatione* inſtituere ſolent ſequentem in modum.

℞. Lapidem, ſive *mineram Cinnabari Nativa refertam*, q. l. contundatur in fruſtula, atque crucibulo ſatis forti immitatur, deſuper impoſitis 6. vel 8. aludelis, ſive ollis ſublimatoriis, junctarisque ubique luto probe obductis, adhibeatur ignis moderatus, *ne flamma infimum aludel attingat*, in fine tamen ſupremum ita calidum ſit, ut manu tangi queat; *cæterum nil refert, etiamſi crucibulum candeat*, in quo gradu etiam tribus horis, quatuorve pergendum;

pergendum ; tum refrigeratis vasis auferantur aludeles, & cinnabaris in inferiore subsistens auferatur, cum ☿io vivo simul sublimato.

Alii singularem Panaceam ex Cinnabari spondent sequenti methodo, eamque CREMOREM CINNABARIS NATIVÆ *appellant.* v. g.

℞. *Cinnaburis Nativæ* q. l. conteratur in pulverem tenuem, cui ad digitorum iij. eminentiam *affunde Aquam pluvialem*, coque in fictili vitreato, ita in superficiem aquæ ascendet flos tenuis, quem caute auferto, atque siccato, *acoholque vini desuper deflagrato.*

Prædicatur ceu *specificum aut Epilepticum*, cum *Rasura Ungulæ Alces* &c. exhibita Dosi gr. v. ad ℈ ß. Nec non in *Febribus malignis, variolis & Morbillis* contemnendi est usus & effectus.

Principalis aliâs cinnabaris Nativæ species *Glaura Augurelli est*, Germanicè, Rothgülden Ertz: quanquam hæc *pro Marcasita Solari* à multis habeatur, interim tamen non differunt nisi puritate, *Glaura enim pellucidè rubra est, cinnabaris verò*, & reliquæ auri Marcasitæ, lapidi sæpius permistæ, inveniuntur.

DE BISMUTHO.

Facilè huc *Bismuthum* sive *Marcasitam* propriè ita vocatam referre possumus, quæ levem saltam ex Mercurio concretionem obtinuisse, indicat præter metallicam ejus formam, *levis in flores elevatio*, & *in aquam destillatio*, sic & mediante aquâ forti solutio.

SENDIVOGIUS de hoc subjecto mira prædicat *in suo novo lumine Chymico*, ex quo menstruum conficit universali haud multùm, uti credit, absimile.

Recipe, inquit, *mineræ Marcasitæ*, (ex hâc enim funditur, vel sæpius etiam solidè concretum ita reperitur Bismuthum sub malleo ductile, ℔. 9. *pulverisatam mineram retortæ immitte*, ac *recipiente magno*

magno adhibito, deſtilla leni igne per 12. horas, & *albicantem habebis* in recipiente *aquam & dulcem*, quam bis rectifica, & dulcior evadet.

Si hâc aquâ vitrum impleas, ut tertia pars vacua remaneat, & probè clauſam, ſeponas, *in plenilunio obſerves, vitrum impleri, decreſcente verò luna decreſcere rurſus*; adeò ut in ipſo novilunio, cum hâc parte quam in plenilunio aſſumſit, unam ultrò perdet, & concentretur, pondus tamen ſuum retinens.

Hanc aquam auro animam extrahere intra biduum refert, quo facto ſi ter aquam cohobando deſtilles, remanebit in fundo ſulfur auri in forma olei, quod tantum argenti colorabit, quantum pondere aurum erat.

Item *ſi aridam huic immittas plantam, quoad radicem*, per tres vel quatuor horas, *vigeſcere rurſus & germinare herbam conſpicies.*

Si verò huic aquæ, *plantæ cujusdam aquam deſtillatam cum ejusdem ſalis proportione addas*, & eis, repletum vitrum, loco tranquillo reponas, *intra biduum vel triduum, figuram plantæ in vitro advertes*, quæ tamen commoto vitro diſparet, rurſus tamen reſurrectura.

Ex remanente in retortâ maſſa cum aqua *Sal*, inquit, *extrahe*, & ſuæ propriæ aquæ redde, & *habebis menſtruum aurum radicaliter ſolvens*, & trans alembicum evehens, ad maximos etiam morbos, aurum potabile magnarum virtutum. Hæc SENDIVOGIUS fides ſtat penes experimentum.

Aliâs *Bismuthum*, aqua forti ſolutum *Magiſterium exhibet*, & coſmeticum non contemnendum, v. g.

MAGISTERIUM COSMETICUM.

Solve *Bismuthi* ℥ij. in *ſpiritus nitri opt.* ℥vj. *in phiola in arenam calidam locata*, ac dimidiæ horæ ſpatio ſolutio erit facta, *ſolutionem* adhuc *calidam in patinam, in qua ſint aquæ frigidæ* ℔. x. infunde, *ac aqua lacteſcet*, ſubſidentia verò factâ, magiſterium colligitur, edulcoratur & exſiccatur.

Alii *cum ſpiritu vini tartariſato* ſolutionem præcipitant.

Ex hoc ſubjecto *GLAUBERUS flores ſublimare docet*, quos *in ophthalmia* &c. maximè commendat.

CAPUT II.

Antimonium resolvit.

PErgimus ad alterum *semimetallicum subjectum*, quod cum *Paracelso* inter marcasitarum censum referre non hæsito, duriorem verò ex Mercurio nactus est, quam priora, concretionem; unde sæpius præter *copiosum sulfur embryonatum auri*, ipsum aurum purissimum continet, ceu in cujus mineris perfectius reperitur, undè & pro variâ particularum diversarum textura vel mixtura sæpè sulfur ejus maximè variat.

Interea tamen *sulfur ejus auro* quam simillimum est, ut in fulsione per Antimonium patet, ubi hoc *auro* etiam viliori, nobilissimum *addit colorem*, adeò ut etiam plures Philosophi ex hoc subjecto *Medicinam universalem* fabricare non dubitarint, quippè cui exinde, vario modo occultando, diversi addiderunt encomia; *Vocarunt enim suum magnetem*, cum omnia metalla influxu attrahat sibique annectat, quod & *Basilius confirmat in tract. de Naturalib.* Melioratio, inquit, metallorum in stella signata, vel eorundem magnete reperitur, à quo omnia metalla virtutes receperunt &c. Ulterius variis in locis expressè ponit: Per Antimonium brevissimo tempore summam animalium & mineralium perfici posse Medicinam: cui & *assentit Theophrastus*, qui *omnia mineralium arcana* potentissima *in Antimonio concentrativè reperiri statuit.*

Verum est, nec saniores negabunt, Antimonium inexhaustum suppeditare Medicaminum magnorum fontem, in desperatissimis sæpè morbis, id quod obiter saltem indicant *vitri ejus & Reguli radiales energiæ.* Et *Sylvius* etiam, ex recentioribus non postremus, verè statuit, quod, si aliqua repetiatur in rerum natura materia, ex quâ confici possit, Medicina universalis, morbos quosvis ab humorum vitiis pendentes, curans, illa revera sit Antimonium.

Cum

Cum ergo tanta adsint rei testimonia, ulterioribus verbis, pro confirmando ejus encomio, non opus esse duxerim, ipsa jam considerabimus Antimonii constitutiva, & exinde resultantia diversa Medicamina.

Constat Antimonium *ex sulfure crudiori aureo, acido, acri* volatilitate prædito, & Alcali sat copioso; prius demonstrant virosi halitus quos persentiscunt artifices dum pulverisatum fumigant stybium, ad conficiendum vitrum, unde *vertiginosi*, *pneumonici* &c. deveniunt, quodque si stomachum vellicet, eum *ad vomitum* lacessat. Alterum vitrificatio docet, quod absque Alcali fabricari minimè posset; Sic *per Alcalia* analysin subiens, pro multo sulfure *Sal præbet.*

Percurremus singula, & præparationum fundamenta cum effectu inde resultante ruspabimur.

CALCINATIO ANTIMONII.

Primo loco *calcinatio occurrit*; in hac crudiora spicula acida sensim avolant, reliqua verò cum alcalinis concentrata & eis fortius implicata, fortiori igne in vitrum abeunt: quæ tum duriori vitri texturæ agglomerata radiales saltem edunt effectus absque & ponderis & virium deperditione. Fabricanti modus hic est.

Pulverisetur Antimonium subtilissimè, ponatur *in olla terrea lata supra lentum ignem*, semper *spatula lignea* id movendo, donec fiat coloris cinerei, alias *si* ob quietem conglomeretur & *liquescat*, *iterum pulverisetur*, & ut prius calcinetur, spatula semper lignea agitando, donec Antimonii pulvis fiat cineritii coloris, & crudiores sulfuris particulæ exhalarint. Hunc ita calcinatum pulverem *in tigillo absque mora funde*, aliàs si longè post calcinationem reponatur, attrahit ex aëre acidum quod tum liquefactionem impedit.

Si verò *vitrum adhuc opacum nimis sit*, reiteranda est calcinatio & fusio, *donec* pellucidum & *hyacinthinum* acquirat colorem.

Sereno tamen *cælo instituendum* est hoc opus, quia tunc aër purioribus acidi spiculis imprægnatum existit, quam nubiloso vel pluvioso tempore.

Si ferrum vel ferreum ſaltem continens, in opere *accedat*, *in ſcorias vitrum abit.*

Et ſi vitrum in tigillo ad perſpicuitatem reduci nequeat, *injiciatur aliquid ſulfuris citrini*, hoc acidum, quod pelluciditatem remoratur, extrahit, & in auras abire facit, ut tum perſpicuum reddatur.

Aliàs *ſi calx hæc* Antimonii *ulterius in crucibulo calcinetur*, & iguiatur, *ut ex albeſcente* colore, fiat pulvis *ad flavedinem* inclinans, & tum anatica proportione C. C. uſtum addatur & calcinetur: Acida contenta ſpicula ita rectificantur & concentrantur, vel crudiora expelluntur, ut tum loco vomitus, Diaphoreſin, excitent, & ob particulas C. C. terreas alcalinas, ſtipticam vim obtineant, in dyſenteria non contemnendæ virtutis.

VITRI ANTIMONII CORRECTIO.

Cum verò vitrum Antimonii, utcunque modo elaboratum, violenter nimis ſuas exſerat operationes, diverſas, artifices, inſtituerunt correctiones, ut loco vomitus violenti, leviter ſaltem eundem cicat, vel per inferiora ſolum purget. In hoc Doctiſſimus *Maxvellus* ſuum commendat modum, quo per inferiora ſaltem purgans vitrum reddit, hâc mechanica.

℞. *Vitri Antimonii per ſe facti* ℥j.
Olei vitrioli tantundem, i. e. ſpir. volat.
Helmontis.

miſce diligenter in mortario vitreo, & *exſiccentur ad ignem*, hoc ſepties repete, ſemper ſingulis vicibus omnia diligenter exſiccando: ultimò, pulvere jam exſiccato talem ſpiritum vini paratum habe, v. g,

℞. *Spir. vini opt.* ℔ j.
Maſtichis. ℥j.

Digere ſimul per quatuor dies, tunc in decantato ſpiritu, *vitrum Antimonii præparatum per 3. dies macera*, poſtea pone in vaſe terreo ut incaleſcat vas, tum ſpiritum accende, ſpatula ſemper movendo, donec flamma ceſſet, pulverem verò remanentem benè exſicca, cujus Doſis gr. iij. ad vj.

Hoc

Hoc enim modo, acriora in vitro adhuc contenta acidi ſpicula, mediante *ſpiritu vitrioli* volatili ita rectificantur, & *ope ſpir. vini* tum *dulcificantur*, ut vomitus loco, leniter ſaltem membranas ventriculi vellicantes, per inferiora vim exſerant.

Alii longè aliter *acidas* Antimonii particulas *corrigere tentarunt, mediante nitro*, quod pro diverſa mixtura, diverſimodè easdem alterat; minori enim doſi, crudo Antimonio combinatum hoc Sal, acidum ejus exaltat & recludit, ut multo violentius vim ſuam exſerat, uti hoc luculenter admodum demonſtrat *Metallorum Crocus*, qui pro diverſa nitri addida doſi, in effectu etiam multum differt.

CROCUS METALLORUM.

Sic ſi *duabus Antimonii partibus* unam ſaltem *nitri* addas, & ſubtiliſſimè pulveriſata miſceas, ac in tigillo accendas, fit Crocus Metallorum *Crollii*, *majori vomitoria vi præditus, quam ſi partes æquales reciperes*, & ſi ultrò nitri doſis excedat, videmus acidas omninò vel expelli vel alterari particulas, ut ſalinam potius induat naturam, & loco vomitus ſudorem ſæpè excitet.

Crocus Metallorum olim *Rulandi* & aliorum ferè Panacæa erat, & eorum maximi uſus vomitorium ſuppeditabat, vino infuſum, quod in maximis etiam morbis propinabant, ſed cum timiduli plurimi ejus vim violentam formidarent, hodierno die Neoterici excogitarunt ſuum *Tartarum Emeticum*, qui alienas à croci metallorum infuſo vires vix obtinet, niſi quod *jucundâ plus formâ*, & *doſi* propinari poſſit: Mediante enim acido Tartari, ſimile, in croco metallorum ope nitri, extraverſum acidum liquatur & ſibi unitur, quod alioquin vino extrahi & liquari potuiſſet. En laborem.

TARTAR. EMETIC.

Recipe *crocum metallorum ex æqualibus nitri & Antimonii partibus* detonatione paratum, vel ſi fortiorem vim vomendi expetas, ex una nitri & duabus Antimonii factum: Contunde ſubitò poſt

detonationem, & *per cribrum transmitte*: & hoc *cum aquâ tepidâ nitrum elue* repetitâ aquæ affusione. Huic aquæ decantatæ, quia nitri fixo sale liquatam continet quandam sulfuris crudioris partem, acetum inspergе, & sulfur præcipitatur ad fundum, quod auratum veteres vocabant:

Jam recipe croci metallorum edulcorati & exsiccati.
cremoris Tartari subtilissimè triti ana. p. æq.

misce & tere exactè, ac ollæ vitreatæ immitte cum s. q. aquæ puræ, tum *coque semper leni igne*, ne excedat vasis ora, *donec* aqua maximâ parte decoctâ, *stellulæ, vel cuticula appareat*, quod signum saturatæ imbibitionis acidi Tartari, aquâ liquefacti: tum *filtra remanentem* Tartaro imprægnatam, *aquam calidam*, quæ cum refrixerit, crystallos vasis lateribus affigit.

Remanentes in filtro *fæces*, *illis in olla relictis adde*, & recente aquâ additâ ut ab initio coque, *donec prioris signum, stellulæ appareant*, tum ex filtrato decocto, refrigerato crystallulos collige. Repetatur verò labor donec omne acidum Tartari hoc modo elixiviatum sentiatur. Postea *facta subsidentia crystallos collige*, relictam verò aquam, ad cuticulam ultrò exhalari permitte, & crystallisari sine, ac hoc reitera donec omnis filtratus liquor, Tartarum acido Antimoniali saturatum, reddiderit, quem exsicca & serva.

Dosis est à gr. j. ad iij. etiam ultra, si mitiori metallorum croco addito, Tartarus vomitoria vi imprægnatus sit.

ACETUM ANTIMONII.

Alii *ex ipso Antimonio acetum*, & acida ejus spicula separare allaborant; Et in hoc excellit *Cl. Kerckringius* in suo curru triumphali; Modum verò compendiosiorem ex *Vreeswykio* huc transponamus:

Recipe *Antimonii* q. l. pulverisato, & *vitro anguſti colli immisso, affunde aquam*, ut ter Antimonii pondus excedat, (aqua sit vernalis mense Martio collecta:) & cum hæc steterint per quinque vel sex septimanas, tum aquam filtratam per chartam, novo Antimonio

monio affundas, *postea verò per destillationem evehes*, & *novo rursus reaffundas*, hocque tam diu reiteres, donec aqua aceti instar acida extet, & quo sæpius recenti Antimonio affunditur, & abstrahitur, eo fortior eadem imprægnatur acido aqua.

PANACEA ANTIMONII Vreesvvyck.

Hâc aqua acida, sive aceto, animam Antimonii extrahit dictus *Vreesvvyck* hoc modo, v. g.

Vitro Antimonii subtilissimè pulv. affundit *acetum*, & permittit stare *per tres menses*, vel *donec acetum tingatur*, quod filtrat, & remanenti pulveri *novum affundit acetum*, & per dictos tres menses alios infusa reponit, donec acetum hoc etiam tinctum conspiciatur, hocque repetit repetita aceti affusione, donec nullum amplius tingatur acetum. Postea *omne acetum tinctum* conjungit, & ad sicc. *destillat*, ubi in fundo restanti massæ nigricanti, *spirit. vini rectificatiss. affundit*, unde in rubicundum convertitur colorem, ac tum filtrat per chartam spiritum, & in fundo remanentem Antimonii animam servat, cujus vires satis describere nequit, Dosi gr. j. ad iiij.

FLORES ANTIMONII SIMPLICES.

Non miramur hic *florum Antimonii* vehementiam, quippe *illi ex crudioribus acidi Antimonii particulis*, mediante intermedio ab invicem avulsis constant, olim tamen in maximo habiti pretio, multo sæpius labore quæsiti, cum tamen eos *ex pulverisato & tribus arenæ mundæ partibus commixto* Antimonio, & *ex retorta destillato*, leviter puros & albos consequamur.

FLORES ANTIMONII RUBRI.

Sed cum horum vehementia periculosa admodum esset, excogitarunt *Hartmannus & Grammannus*, aliam conficiendorum florum antimonialium methodum, quâ eos *Diaphoretica vi magis præditos obtinebant*. Præstabant verò hoc *sale armoniaco*, quod suæ aciditati volatili implicabat Antimonii acidas particulas, & alca-

& alcalina ſua parte evehebat Antimonii ſimiles particulas, nullâ amplius vi vomendi præditas, ſed Diaphoreticâ, v. g.

Recipiebant Salis Armoniaci ℔.ß
Vitri antimonii, vel ſulfuris antimonii ℥ ij.

ſubtiliſſimè trita & mixta, ſublimatorio humili immiſſa, & alembico ſuprapoſito leviori ignis gradu, (ne acidas crudiores ſimul elavarent particulas:) ſublimarunt, hoc facto aquâ calidâ ſal armoniacum abluerunt, & reliquias ſpiritus vini repetita deſtillatione extraxerunt inprimis cum ſuſpicio adfuerit acidas quasdam, inprimis ſi ignis regimen neglectum ſit, ſimul elevatas eſſe. Totum enim ſublimationis artificium in ignis legitimo regimine conſiſtit, quod ſi paulo auctius addas, Flores fiunt purgantes, acido ſimul transvecto & implicato.

SULFUR ANTIMONII.

Jam ad ipſum accedamus *ſulfur*, à reliqua ſua Mercuriali parte quoad poſſibile ſeparandum. Hoc, quia *cum auro* ut ſupra doctum, *maximam habet cognationem*, magnas item ſed nobiliores vires, quam commune obtinere ſulfur quivis ſaniori mente præditus facilè colligere poterit.

Expeditum tibi exhibet exemplum hæc mechanica, v. g. Recipe *Antimonii pro lubitu*, p. j. fluat in crucibulo, tunc injice *nitri* partes ij. *tartari* p. j. poſt ſemihoram probè fuſa effunde, & aquâ calidâ ſolve, *fiat lixivium ſulfure antimoniali imprægnatum, hoc filtra & evapora*, ac remanebit rubicundiſſima maſſa ſalina. Hujus unicum granum ſi vel in centum particulas dividas, & centeſimam ſaltem particulam in cochleare argenteum optimè politum imponas, & guttulas quasdam aquæ frigidæ affundas, & in cochleari circumducas, colore aureo pictum videbis argenteum cochlear, non ſecus ac ſi ab aurifabro deauratum eſſet. Si verò hujus ſalis gr. x. ad xx. in morbis variis exhibeas, mirandum videbis effectum.

Hoc eſt ſulfuris ſeparandi fundamentum, ſcil. ut acidi crudioribus particulis mediante conflagratione & detonatione deſtructis & expulſis, vel fortiori alcalino ſale alteratis, hoc ſeorſim exiſtat ſulfur.

Requi-

Requiruntur verò hic admodum igneæ alcalinæ particulæ, quæ penetrantius ſulfureas ſeparant particulas, & acidum in eis contentum deſtruunt, & in alcalinam naturam commutant: hoc verò ita fit: Per aliquot dies leni ſaltem igne digeritur vel *coquitur Antimonium ſubtiliſſimè pulveriſatum, addita modica aqua cum alcali igneo*, quo diutius eo melius. Poſtea cum refrixerint *affunde magnam aquæ frigidæ copiam*, quò plus eò melius, ſtent ita per dies aliquot, ut particulæ Mercuriales ope alcali avullæ ſubſidant, tunc *filtra lixivium*, & Antimonium quod in filtro remanet, rarum & leve, *hoc probè edulcora à ſale* & ſerva, externè admodum conducibile. *Filtratum* verò *lixivium aſperſo aceto præcipita*, & primum rubicundius ſulfur fundum petens ſeorſim ſerva, ut & reliqua quæ repetita aceti aſperſione minus tamen colorata ſeparantur & ſubſidunt, prius tamen rubicundum, externè plus convenit, ultimum verò citrini coloris pro interna aſſerva Medicina tanquam optimum: hoc, eo planè modo ſupra de ſulfure communi & *Paracelſi* mente edocto, ad fixitatis ſtatum deducito, & nactus eris Medicinam, univerſali vix cedentem.

CENTAURIUM MINERALE
Cardilucii.

Si verò crudiori modo, ſulfur acido ſuo non omninò liberes, purgantem & vomitoriam obtinebit adhuc vim, ut tibi expeditum exhibet exemplum, Centaurium minerale *à Cl. Cardilucio* vocatum, quod fit ſi *Antimonii*, *Nitri*, & *Tartari* ana. p. æq. *ſubtiliſſimè pulveriſata*, ſ. a. *leviſſimè ſaltem in crucibulo liquefacias*, & *ſubitò rurſum effundas* & regulum ſepares, ſcorias verò in pulverem redactas, *aqua paulum coquas*, ne pulvis ſubſidat inter coquendum, & ante tempus præcipitetur. Tunc verò *aquam ſulfure probè ſaturatam* decantes, *filtres*, & *acetum forte inſpergas*, ac *maſſam ſacco imponas* quo ſenſim aqua deſtillet ad ſiccitatem, ut tum pulveriſari & edulcorari ultrò queat. Cujus doſis gr. vj. ad xj. per inferiora & ſuperiora ſæpè ſimul, optimum præſtat effectum, cum ſaccharo in tabellas redacta.

Conſtat hinc ſolum *eſſe peculiare acidum* acre *quod* in Antimonio *membranas ventriculi vellicans*, *vomitum excitat*, hoc quo plus deſtruitur vel alteratur, eò minus virium vomitum ciendi ſibi ſervat.

SULFUR ANTIMONII Boyle.

Alium recludendi ſulfuris modum docet *Boyle*, qui *Antimonium crudum* pulveriſatum *cum oleo vitrioli digerit*, poſtea verò per retortam deſtillando, *ſulfur in collum ſublimatum colligit*, colore & inflammabilitate communi ut arbitratur idem, haud abſimile.

SULFUR ANTIMON. HELMONTIS.

Sic & *Tackenius* in ſuo *Hippocrate chymico* hujus fuit opinionis, nimirum ſulfur Antimonii quod *Helmont* extrahere jubet, ex hoc fundamento fieri debere, hunc in finem. Recipit ille *aquam fortem*, ex Vitriolo, Nitro, & alumine paratam, *in hâc ſolvit tantum ſalis fuſi*, quantum capere poteſt, ac tum *affundit Antimonio inſtar milii grana contuſo*, ac ſubitò leni calore agere in Antimonium, & ejus regulum erodere incipit, cui ſtatim aquam frigidam ſuperaddit, & ſubitò ſeparatur ſulfur, ac picis inſtar aquæ ſupernatat, quod ſeparat, & edulcorat.

Notari verò vult, *ne una vice*, *ultra duas drachmas ſolvere tentes*, aliàs in majori quantitate corrodi ſulfur ab aqua, & id fæces abire aſſerit; cum ſolum Mercurialis Antimonii pars, aqua forti alias attingi, ſulfurea verò liberè dimitti debeat.

Hoc credit eſſe ſulfur illud quod *Helmont* ad ſuam cinnabarim aſſumi velit, ubi *in Tr. Herb. Verb. & Lapid.* inquit, extrahe ſulfur Antimonii quod vix à vulgari diſcrepat viſu, niſi quod paulum in viriditatem vergat, *fac cinnabarim*, *hanc adhuc ſexies per ſe ſublimabis*, ut ſublimatio inſerviat pro reverberatione Lili: accipe *ſemiunciam hujus tritæ cinnabaris*, ſuſpende per 24. horas *in dolio vini*, cujus unicum cochlear per aliquot dies ſumtum, mirandum effectum edit. Eſtque eadem cinnabaris ſufficiens, multis centenis doliis iterum æquivalens, ſi iterato ſublimetur.

Sed

Sed hanc operationem anxios plurimos tenuisse, dictus *Tackenius* refert, quapropter claro sermone eam aperire haud invideat inquit, v. g.

Funde leni igne unciam semis hujus sulfuris in cochleari ferreo, tunc immisce *Mercurii Antimonii* si haberi potest ad drachmas sex plus vel minus, quantum sulfur mortificare potest, misce continuò spatula ferrea, donec refrixerint, massam reduc in pulverem, hanc *inde retortæ longi colli*, ne obturari facilè queat collum ab ascendente cinnabari, tunc per gradus *ex arena pelle*, & quod superfluum erit aut de sulfure aut Mercurio, illud per collum retortæ colliges, tunc auge ignem, ut capella candeat & cinnabaris elevetur; Frigefactis omnibus frange retortam, cinnabarim reduc in pulverem, & septies adhuc per se sublima in idoneo vase.

Hic jam non contemnenda oritur quæstio, *An Helmont mediante acido* sulfur extractum, *vel mediante alcali* igneo separatum velit, cum in his maxima sit diversitas, & hoc, quod mediante acido extractum est, longè aliam obtineat naturam, tanquam acido saturatum, quam id quod ope alcali separatum, alcalinam potius induit naturam, & inanitionis impatiens, acido rursus saturari delectatur. Ego pro hoc starem, & acre Mercurii acidum hoc magis corrigi sentirem, quam illo quod crudiori acido jam saturatum extat quodammodo.

Hæc de *sulfuris Antimonialis separatione* humidâ viâ, cui eam complementi loco addimus, *quæ mediante proprio aceto peragitur*, quippe hoc *pulverisato Antimonii vitro* affusum, statim arripit Mercurialem ejus partem acidam, & liberè sulfuream leniori igne dimittit, alii intentum labori. De quo lege *Polemannum p.* 185.

Viâ siccâ potentius corrigitur Antimonii sulfur, & recluditur. Si v. g. *Antimonii & alcali ignei* p. æq. in tigillo, *mediante carbone figantur*, ut ex Antimonii & alcali ana. ℔ ß. vix binæ remaneant unciæ ignei sulfuris, sex horarum spatio, ex quo tum magna depellendorum morborum arcana depromi sanè queunt, & interna & externa.

PANACÆA ANTIMONII.

Ex hoc item fundamento alia emergunt generosiora medicamina antimonialia, inter quæ sequens *Panacæa* primum ferè locum vendicat, ac ita fit:

Recipe *Antimonii pulcherrimi* uncias decem, *limaturæ Martis* uncias tres. Limaturæ in tigillo probè candefactæ, per vices Antimonium adde, ut optimè liquescant omnia, tunc adde *cochlearia aliquot tartari fixi*, ex *nitri & tartari* ana. p. æq. confecti, quæ cum liquefacta sint, alia *adde hujus salis fixi* cochlearia, donec per vices pulveris libram dimidiam injeceris, hoc facto per dimidiam horam omnia probè invicem fluant, ac tum effunde & regulum separa, uncias 4. circiter ponderantem.

Regulum tigillo recenti immissum rursus funde, ac probe liquato *injice nitri pulcherrimi pulverisati* cochlear unum, claude operculo superposito, & ignem intende, ut peroptime rursus fluant, tunc effunde, & regulum à scoriis separatum, & ad hoc opus sat purum, tigillo denique recenti rursus immitte, & adde *unum nitri, & unum salis detonati fixi cochlear*, & liquefiant optimè fortissimo igne quatuor horis vel ultra, tunc effunde, & regulum à scoriis separa, & ut jam doctum, iteratò procede, donec omnem regulum mediante nitro & sale fixo, in scorias redegeris, quas omnes collectas pulverisa, & aqua calida Sal elue, donec pulvis insipidus restet, quem serva, pro *Panacæa* in maximis morbis sat pretiosa, quippe alcalinis suis particulis salinis fixioribus *omne*, in massa sanguinea, & *venia hostile acidum destruit, corrigit, & per cutem expellit.*

Dosi ʒß. ad ʒj.

Fit item mediante hâc *Panacæa* purgans omnibus numeris absolutum, si ejus recipias ʒj. *diagridii sulfurati* ʒß. *trochis. alcahand.* ʒij. & cum extracto vel *rob granorum actes* massam formes pillularum, quæ in pillulas grani pondere formata, & ad grana x. vel xx. exhibita, universaliter omnes eruditates ventriculo & intestinis nocivas educent.

Emplastris verò addita, admirandum in vulneribus ac ulceribus præstabit effectum.

ANTI-

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM.

Viliori modo fit *Antimonii Diaphoretici elaboratio*, ubi ad unam *Antimonii ſubtiliſſimè pulveriſati* partem, tres adduntur *nitri ſubtiliſſimè itidem pulveriſati* partes, quæ tum exactè mixta & ſiccata, *per vices crucibulo in fundo ignito injecta detonantur*, quo facto adhuc paulisper igniuntur: Poſtea *exempta edulcorantur*, & ſiccata optimè clauſa ſervantur.

Quædam etiam *pars non edulcorata ſervatur*, in febribus malignis inſigne refrigerium ſuppeditans.

Ubi aliàs *in genere Diaphoretici Antimonii vires admodum laudantur* in mundificando ſanguine, acido quovis modo corrupto exiſtente, prædictæ tamen Panacææ haud æquiparandæ.

Si verò *aqua edulcorativa diaphoretici, cum ſale tartari* præcipitetur, acquires pulverem præſtantem, & *præſtantiorem ſi cum urina præcipites*, febribus malignis conducentem.

Vel *ſi* ipſum *Diaphoreticum Antimonii à quo nitrum nondum eſt eliixatum, in aqua ſ. coquas*, nitrum à ſulfure antim. in alcali combuſtum, diſſolvit rurſus ſulfur jam fixatum, *in lac ſulf. antim.* magnarum virium, huic ſi filtrato *calido acetum inſpergis*, cadit pulvis albus, levis, qui ablutus ad ʒj. in peſte plus virium obtinet quam communis Diaphoretici ʒj. cum aceto exhibitus.

DIAPHORETICUM MARTIALE Cl. Ludovici.

Alii Diaphoretici Antimonii vires, in Cachexia, Dyſenteria &c. exaltaturi, addito Marte id efficiunt, cujus *Cl. Dan. Ludovici* inventor eſt, qui recipit *limaturæ Martis pro lubitu*, cui *in tigillo candefacto* tantundem addit *Antimonii pulveriſati*, & cum fluere incipiunt, *rudicula continuo agitat*, ne ſeparetur regulus, ſed *omnia in ſcorias abeant*: Has pulveriſatas *cum nitri triplo detonat*, poſtea verò edulcorat, in Cachexia, Ictero, Dyſenteria maligna & ſimilibus, inſignis uſus.

REGULUS ANTIMONII.

Pergamus ad *Regulum* in opere Magno Philoſophico à multis maxime expetitum, & Mercurii corrigens creditum. Cum enim obſervaſſent, omnia metallica corpora Mercurialis eſſe originis, Mercurium verò ipſum pondere ac homogeneitate eſſe perfectiſſimo metallorum, auro ſimillimum, hinc ad auri maturitatem digerere ſunt conati, at fruſtra, quia ſordibus nimis inquinatus exiſtebat. Hinc magnum Saturni ſobolem, Antimonium ad manus receperunt: cum enim viderent quod ab auro fæces ſecernendi, & eum exaltandi vim haberet, idem in Mercurio facturum, argumento à majori ad minus ſumpto crediderunt, nec multum aberrarunt ipſo *Philaletha* teſte, qui *in Regulo Antimonii veram Mercurii depurationem quæſivit*: At hic labor, hoc opus! quomodo enim Mercurium cum Antimonii regulo conjungere debeant, hic hærent! Si enim Antimonio liquato addere vellent calefactum etiam Mercurium, in auras abiturus eſſet maximo cum tonitru, & adſtantium ſummo periculo. Alia itaque quærenda via, & intermediatis rebus, quæ copulam promoveant; hinc *Suchtenius Reguli Antimonii unæ parti, duas addit Lunæ partes*, quas fuſas, & pulveriſatas miſcet cum Mercurii vivi partibus decem, *& facit amalgama* in mortario calido, ac hoc per dies aliquot digeſtum, abluit, & *Mercurium deſtillando reſuſcitat*, & hoc opus ſeptimâ reiterat vice, uſque ſplendeat.

Alii verò alio procedunt modo, & exteriorem primò inſtituunt depurationem, antequam ad intrinſecam deveniant, v. g. Recipiunt *ceræ pro lubitu, liquefacto addunt Mercurii* ana, & per dimidiam horam lignea ſpatula ſemper agitant, *donec fiat nigerrima maſſa*, quam ab igne remotam refrigeſcere permittunt, tum *ceram perforant & Mercurium in minima vaſis parte ſubſeſſum*, effundunt, & *cum recenti cera reiterant laborem*, donec cera permaneat munda quod plerumque tertia fit vice: Ceram verò rurſus depuratam ad emplaſtra uſurpant.

Jam ſi artificium calles *Regulum cum mercurio combinandi*, ac

ſingulari

ſingulari methodo internam inſtituis depurationem, *tunc cum Auro fit molliſſimum amalgama*, quod phiolæ hermeticè ſigillatæ immiſſum & per gradus coctum tandem per omnes colores in rubiniformé Elixir abit. *Auri ſit una, & Mercurii Philoſophici duæ partes.* Præcipuum operis Philoſophici onus, ut ante dictum in juſta & legitima, Mercurii, mediante Antimonio, purgatione, conſiſtit, prout plures teſtantur Philoſophi, *Paracelſus*, *Baſilius Valentinus*, *de Monte Snyders*, *Philaletha*, & alii.

Præterea, miramur inexhauſtas Reguli Antimonialis vires, etenim *ſi mediantibus particulis Martialibus ejus aliâs compactæ particulæ diſcontinuantur pauliſper*, tum ratione Mercurialium particularum vires ſuas vomitorias, quas potiſſimum retinuit, in infinitum extendit, & *perpetuò purgantem exhibet mineram.*

Alias duplex Confici ſolet ANTIMONII REGULUS SIMPLEX, vel MARTIALIS.

Si deſideratur.

REGULUS ANTIMONII SIMPLEX.

Hic à diverſis Artificibus diverſimodè fieri ſolet.

ZWELFFERUS recipit *Antimonii Hungarici optimi* ℔ iß. *Nitri puriſſimi*, *Tartari crudi puriſſimi*, ana. ℔ j. Dom. BARCKHUSIUS recipit ingredientium modo enumeratorum ana. p. æq. *Omnia in pulverem redacta*, *& probè mixta detonant*, *cochlear unum poſt alterum crucibulo candendi injiciendo* : Hoc facto ignem adhibent fuſorium, ut aquæ inſtar fluant, tum cono fuſorio calidè infundunt, eum continuè percutiendo leniter, vel pulſando, ut regulus eo melius ſubſidat. Refrigeratis hinc omnibus Regulum à ſcoriis ſeparant: & ſi hunc magis depuratum deſiderant, *cum dimidia parte ſui*, *Nitri & tartari* miſcent, & ut prius fundunt.

LE MORT ad ſimplicem Antimonii Regulum conficiendum ſumit *Antimonii crudi* ℔ j. ſive ʒ xvj. Salis ♀i ʒ v. *carbonum Lignorum* ʒ iiij. mixta fundit in crucibulo, tum materiæ liquefactæ ſenſim injicit *Nitri pulv.* ʒ j. vel alteram, donec fluidiſſima ſint, tunc in mortarium,

mortarium, ſive conum fuſorium calefactum & ſevo illitum effundit, eum leniter concutiendo, ut Regulus ad fundum præcipitetur: ſic refrigeratis omnibus in fundo habet regulum à ſcoriis ſeparandum.

Qui ſi magis depuratus expetitur, iteratò funditur cum quadam Nitri particula, ſic ſcoriis ſeparatis Regulus relinquitur magis purus.

Notari vult *le mort*, ut loco ſalis ♄i vulgaris, illud ſumatur quod ex *Nitri* p. j. & *Tartari crudi* p. ij. invicem probè tritis, mixtis & detonatis factum ſit.

LEMERY ſumit Antimonii ℔ j. Tartari crudi ℥ xij. & Nitri puriſſimi ℥ vj. Omnia ſubtiliſſimè pulveriſata & mixta detonat, poſtea igne fuſorio adhito in Regulum fundit.

Regulum ita prima vice factum iteratò fundit, addito pauco Nitro & magis depuratum acquirit.

Si major Reguli copia deſideratur carbones pulveriſati addantur, ita præcavetur, ne ſalia nimis promptè antimonii ſulfur arripiant, & plus quam par eſt de regulo furentur. Sed tunc Regulus etiam haud adeò depuratus acquiritur, quam ſi per ſalia crudiori ſuo ſulfure ſpoliatur.

Ex Scoriis aquâ ſolutis & per acetum præcipitatis, *cadit ſulfur antimonii auratum* vulgò dictum

Aliâs *Lixivium ſive ſolutio Scoriarum Reguli egregium eſt purificans & abſtergens, in ulceribus malignis & ſordidis, imò in incipiente gangræna*, ſi ei pars affecta immergitur aliquoties, ſic enim materiam obſtruentem reſolvi & mirè prodeſſe CL. ETTMULLER *in ſua pyrotechnia* teſtis eſt.

REGULUS ANTIMONII ♂ialis.

ZWELFFERUS recipit *Antimonii Hungarici* ℔ j. in crucibulo liquefacto adjicit *clavorum ferreorum candefactorum* ℥ viij. His probè liquatis & unitis ſuperinjicit *Nitri puriſſimi*, & *ſalis Tartari* ana. ℥ iſſ. vel ℥ ij. permittit fluere per quadrantem horæ, tum in conum calefactum

factum & ſevo illitum effundit, refrigeratis verò omnibus Regulum à ſcoriis ſeparat. *Hunc, ſi altera & tertia vice cum Nitri particula & ſale Tartari fundit, ſingulis vicibus ſcorias ſeparando, Regulum tandem Stellatum acquirit.*

D. CARDILUCIUS proceſſum hunc commendat, in commentario ad chymiam FEBURII, & hâc methodo citius Regulum Stellatum acquiri aſſerit, quam ſi ſolo Nitro fiat & fundatur Regulus.

D. LE MORT recipit *Fruſta chalybis purioris* ʒiiij. his in crucibulo candefactis ſuper injicit *Antimonii in fruſta minora confracti* ʒix. liquefactis addit *ſalis ex Nitro & Tartaro detonando parati* ʒj. & ubi per horam in fluore ſteterunt, effundit materiam in conum fuſorium: Regulum verò à ſcoriis ſeparatum iteratò fundit, ſextam *Nitri puriſſimi* partem ſenſim adjiciendo, atque hâc methodo ſpondet Regulum ſtella inſignitum.

Quod ſi verò in ſecunda illa fuſione ſtella haud appareat, nova nitri particulâ additâ fuſionem reiterat.

D. BARCKHUSIUS recipit *Antimonii* ℔ j. *clavorum ferreorum* ℔ ß. *ſalis ex Nitro & Tartaro facti* ʒiiij. ac in fine adjicit *Nitri* ʒj. aut alteram, & ut ſupra procedit.

LEMERII recipit *Antimonii* ℔ j. *clavorum ferri* ℔ ß. his ſ. a. liquatis, paulatim adjicit Nitri puri ʒiij. & dum haud amplius ſcintillant ſtatim effundit maſſam in conum calefactum.

Si enim paulo diutius tunc relinquitur in igne ſcoriæ in denſam cruſtam abeunt, ut tum maſſa nec effundi, neque Regulus ad fundum ſedere queat.

Poſtea Regulum hunc iteratò fundit, cum Antimonii crudi pulv. ʒij. *& Nitri* ʒiij. paulatim additis; *Regulum* hâc ſecundâ vice ita paratum *adhuc bis cum ſolo Nitro fundit*, ultima vice fortiſſimo igne, ut appareat ſtella.

Operationis hujus cauſa, quâ Antimonium in Regulum funditur, *in hoc conſiſtit*, ut conſumtis & abſorbtis crudioribus ſulfuris Antimonii particulis, puriores Metallicæ ſegregentur & in Regulum redigantur.

Uſus Reguli, præter ſupra indigitatum, diverſus eſt, præterea enim quod ex eo varia fieri ſoleant Medicamenta notabilia, *ex eo globuli funduntur, qui quaſi perpetuas ſuppeditant pilulas purgantes*, quique in alvi conſtipationibus à multis admodum laudantur. Fieri etiam inde ſolent *Pocula Vomitoria*, quibus vinum infundunt, & ad vomitum ciendum propinant.

Stannarii; ut vaſa conficiant quoad colorem & duritiem ac ſonum argento ſimilia, ſuo ſtanno, Regulum Antimonii addunt ſequenti methodo à *D. Maets* commendato v. g.

℞. *Stanni Anglici puriſſ.* ℔ j. *Reguli Antimonii ſimplicis depurati* ℥iß. vel ij. *cupri optimi ſive Japonici* ℥ij. alii ℥ij. fundunt verò primò cuprum, cui tum Regulum cum ſtanno addunt, & dum omnia fortiſſimo igne ſunt fuſa, paratum habent metallum argenti forme, ad vaſa inde conficienda.

Cuprum additum livorem ſtanno adimit, & Regulus duritiem addit.

Ex Regulo Antimonii Martiali, & Stanni Anglici ana. invicem liquatis fit *Regulus Antimonii Jovialis* pro Antihectico inde conficiendo.

Et *ſi Regulus Antimonii Auratus conficiendus eſt*, fundatur Aurum cum ſexduplo Antimonii, & in fundo relinquitur & ſubſidet Regulus antimonii Auratus.

Confici porro ſolet ex Antimonio Reguli formis maſſa, quæ, quoniam compactior maſſa fundum petit, ſcoriæ verò ſupernatant, vocari conſuevit.

REGULUS ANTIMONII MEDICINALIS.

Et fieri ſolet. v. g. Ex *Antimonii pulcherrimi* ℥v. *Salis communis* ℥ß. & *Salis* ♀i ℥j. mixtis, pulveriſatis & in crucibulo quam optimè fuſis: Maſſa probè fuſa reponitur ad refrigerandum, tunc ſcoriæ à ſecedente in fundo regulo ſeparantur, qui eſt friabilis coloris atro purpurei. Hic pulveriſatus & aqua edulcoratus ſervatur ad uſum.

Vires ejus olim à D. CRANEN in quibusvis Febribus intermitten-

mittentibus admodum prædicabantur Dosi gr. v. ad ℈j. vel & ʒß. sic hâc dosi sæpiusculè vomitum simul excitare solebat. Laudatur porrò ab aliis in scabiè & aliis cutis vitiis, *& ego medicamen hoc egregios effectus egisse vidi in humoribus & spiritibus leviter mobilibus, ubi nulla volatilia, nec spirituosa aut calidiora alia locum inveniebant.*

Sulfuris Antimonii supra fuit facta mentio, sed quâ methodo, hoc sulfur ita cicurari queat, ut effato HELMONTIS ei ingens morborum cohors auscultet hactenus latet, non tamen multum abludit sequentem in modum paratum.

BALSAMUM ANTIMONII.

℞. *Nitri purissimi. Tartari crudi pulcherrimi* ana. p. æq. *subtilissimè pulverisata & exactè commixta in crucibulo sensim & successivis vicibus detonentur. Hoc facto accipe* Salis hujus detonati, & Antimonii pulcherrimi ana. ℔ ß. *Antimonium crudum immittatur tigillo, & in furno venti fundatur, cui probè fuso successive adjicito Sal. detonatum pulverisatum, forti igne semper urgendo, ut omnia in continuo maneant fluore; & si omne Sal adjectum est, sensim injice carbones in pulverem redactos, quibus deflagratis alios insperge, & hoc continua tam diu, quam diu carbones super massam semper probè fluidam deflagrare observas, quando vero cessant deflagrare, tum desiste, carbones injiciendo, tigillum verò adhuc per horam in igne fortissimo relinquito, quò hoc igne particularum sulfurearum cum salinis primigenitis unio promoveatur quantum possibile: deinde exime tigillum, & refrigerari sinito, postea confracto eo separa scorias à regulo: scorias ita calidè quantum possibile est in pulverem contunde, & cucurbitæ vel phiolæ oblongi colli immitte, ac pulveri affunde*

Olei juniperi ℥iiij.
Anisi ℥ij.
succini
spir. therebint. ana. ℥j.
spiritus vini alcolisati ℔. iß.

Jam phiolam vel cucurbitam ſuo munitam & occluſam alembico, Balneo impone, & recipulo præpoſito alembici roſtro, ignem adde moderatum, & ſic ſenſim ſpiritus vini ebulliri incipit, ita verò perge donec omnem vini ſpiritum egreſſum obſerves, tum refrigerari omnia permitte, & poſtea Balſamum per inclinationem ſepara, & uſui aſſerva.

Viribus ſuis excellit omne Balſamum ſulfuris, quoquo modo etiam paratum ſit; non ſolum ſulfuris ratione, utpote ubi antimonii ſulfur commune illud, longè viribus exſuperare notum eſt, ſed & ingredientium ſubtiliſſimorum ratione, ubi ſulfur antimonii, ſimul ex carbonibus, ſibi primigenii particulas in copia aſſociavit non ſolum, ſed & ab oleoſo ſalis detonati ſali primigenio, tantum ſuarum particularum correctionem & diſpoſitionem accepit, quæ oleis ſubtilibus tantas impreſſit vires, ut Lucis plena vires ſanè inſignes præſtent, in corroborandis ſpiritibus, &*vindicandis viſceribus depuratoriis*, imprimis *pulmonibus*, diſproportionatis variis ab æthere frigido inductis, vel à ſanguini illuc translatis particulis, obſeſſis:

Item *in doloribus colicis*, ab acidis diſproportionatis particulis, primas vias moleſtantibus & laceſſentibus.

Tum *in Renum obſtructionibus*, *Uteri oppilationibus*, & ſimilibus texturarum corporis, vel item ſanguinis & ſeri, diſproportionatis particulis incommodatis, variis alterationibus.

Sic *in Peſte cum camphora* inſigne præbet alexipharmacon, particulis namque ſuis lucidis integram corporis machinam pervadit, & poros à venenatis diſproportionatis particulis vindicat.

Similesque plurimos præſtat inſignes effectus, nec modo internè propinatum, ſed & externe applicatum, *vertici* videlicet &c. inunctum, *in tubulis extremis hærentes*, diſproportionatas particulas, & exhalationibus aliis viam præcludentes, extricat, & ſic deſtillationibus variis viam præcludi laborat.

Non verò indifferenter omnibus exhibeatur temperaturis, iis etenim quæ multa conſtant luce, hinc calore prærogativam præ aliis tenente, lucidas ſuas particulas jungendo (ſi ex hâc cauſa malum

lum quoddam adeſſet) minimè conveniret, quia lux copioſa ſulfureis ſubtiliſſimis particulis juncta, furentem evolveret idæam, pro deſtructione corporis omnimoda: Id quod Febres ardentes clarius commonſtrant:

Temperaturæ etenim, lucis multum continentes à natura, (temperamentum cholericum vulgo nuncupatum) ab eis qui lucis multum continent læduntur, & ubi vel diæta mediante, vel aëre, calidiori, ſulferis ſubtiliſſimis diſproportionatis particulis referto, in copia, vel ingeruntur vel attrahuntur tales ſulfureæ diſproportionatæ particulæ, tum morbi & Febres ardentes præſto ſunt, & ſulfureis tum particulis ſuam furentem evolventibus idæam, corpus ita exæſtuat, ut omnia intus comburi, & flamma quaſi conſumi videantur.

Omnia ergò convenienti loco, tempore, & applicandi modo menſurentur.

Sunt quidem medicamenta, quibus copioſa & concentrata lux inhabitat magna homini medicina, & inſitam hominis lucem potenter irradiant & augent: Sed ubi jam lux nimia imprimis ſulfureis contitata particulis, corpori ineſt, tum nullo indiget additamento, ſed potius minuente opus, quo temperetur lux copioſa exagitata, & in ſulfure in furorem acta, & exorbitans.

Differentia ergò hic ſimul attendenda venit, quæ ſulfurum ratione occurit:

Sulfureas particulas luce commotas levi opera furentem ſuam exercere & evolvere idæam diximus, ſed hoc de volatili intelligendum ſulfure, quale præbent vegetabilia & animalia, in oleis ſuis ſubtiliſſimis &c.

De Fixis mineralium & metallorum ſulfuribus aliter ſe res habet, in eis lux copioſa quidem, ſed concentrata, & ſubtiliſſimis particulis terreis alligata, furentem vim extricare non amplius poteſt, hinc irradiando hæc agunt ſulfura, & ſolo quaſi aſpectu inſitam

hominis & partium ejus lucem roborando, morbos tollunt, & quidem indifferenter in omnibus temperaturis, tam calidis quam frigidis; Id quod noſter HELMONT abundè inculcat, *Sulfuribus* nimirum *Mineralium correctis & perfectis, tota morborum cohors auſcultat*, inquit, utpotè quorum pluralitas in unitatem Archei, tanquam in pugnantem pugnum contrahitur.

Hoc pacto, porrò pergit, in ipſa animæ ſede, combinatoque Duum viratu, *Amentias, Apoplexias, Caducos, Paralyſes, Vertigines, Aſthmata, Hydropes, Atrophias*, immanesque defectus alios annihilari vidimus, ipſa ſtupente natura.

Quâ ratione porrò

MERCURIUS ANTIMONII

confici queat utpote quam plures quidem curioſiores quærere intendebant, ſed pauci inveniebant, ut etiam *pro Non-Ente, vulgo haberi ſolebat*, ſequens docebit Mechanica, quâ *Mercurius qui nondum ad perfectionem Metallicam pervenit, ſed leviter ſaltem agglomeratus cum ſuo ſulfure Antimonium conſtituit, reſuſcitari poteſt.* Primò quidem *ſulfurea pars à Regulo ſeparetur*, & tunc *Regulus in pulverem impalbabilem tritu redigatur*, utpote in quo principaliſſimus operis conſiſtit labor, tritæ Antimonii reguli libræ adde *ſalis tartari puriſſimi & ſicciſſimi* ℔ ij. *ſalis armoniaci* ℥viij. probè mixta, *cum urina hominis ſani humecta*, & ſi haberi poteſt vinum bibentis, tum curabis, *ut mixtura hæc à duobus* prævalidis, *& lacertoſis juvenibus in porphyrite per integrum diem, ſine ulla intermiſſione teratur*, aſpergendo ſemper ſi humidum deficiat, *urinam*, poſtea mixturam iſtam cucurbitæ immitte, & ſuperfunde urinæ tantum, ut tribus digitis emineat, clauſamque ſicuti decet per menſem integrum lenta digeſtione fove, & quotidie agita.

Sique interea temporis *ſiccior appareat maſſa, reaffunde urinam*, finitaque digeſtione, cum æqualibus partibus vitri contuſi, & calcis vivæ in globulos forma, & in umbra exſicca: ac tum ex illis ſequenti modo Mercurium elice:

Primo

Primo *præsto sit vas quoddam ferreum*, cucurbitæ instar oblongum, cui *frigidam oportet infundere, eamque in terra defodere*: Huic superimpone laminam ferream, multis foraminibus per viam, & pone in ea globulos benè siccatos, postea capitellum itidem ferreum, & paulò depressius ei adapta, ut carbones candentes commodè ei imponere queas, & sic gradum ignis per quatuor horas moderatum tene, dein auge eum per totidem horas, usque ad extremum: postea refrigescant, & cave ne vas in terra defossum prius moveas, aquamque effundas, antequam ea penitus refrixerit, aliâs multum Mercurii jacturam facies: Mercurius enim tanta vi ignis in minimas atomos resolutus, frigore iterum coagulari debet.

Hoc est inventum *Cl. Langelotti*, quo equidem hoc obtinuiit, ut è numero non-entium hic Antimonii Mercurius, transferatur rursus, præ Mercurio tamen vulgi nullam prærogativam obtinens, cum in tota metallica & minerali natura unicus sit Mercurius, qui solum à se ipso differat per accidens puritatis ratione, uti ipse Mercurius in dialogo *Sedivogii*, inquit: *Cor meum semper est purissimum, vestes autem sordidissimæ.* Ad metallicam igitur naturam jam in terræ visceribus prædestinatum esse, sed fermento ac coagulatione spiritu destitutum, nec eo adhuc dum sufficieter saturatum, in fluida remansisse forma, quilibet, qui metallicarum rerum non planè existit ignarus, facile agnoscet.

CAPUT III.

Plumbum examinat.

HOc *à Mercurio paulum differt*, nisi quod paulo fixioribus alcalinis poris, Mercuriales aculei inserti, & agglomerati sint, undè & *omnium facilimè Mercurius vivus cum eo miscetur* & liquatur in metalli formam. Facilis calcinatio & destructio, levitatem acidarum particularum, à copiosis alcalinis terreis absorberi indicat, ignis

ignis violentiâ, quæ ſucceſſu temporis exaltatæ acidæ particulæ, & concentratæ, continuo Solis motu, in nobilius aurum de facili migrare potuiſſent.

Artifices hoc variæ ignis ſubjecerunt torturæ, pro diverſis exinde conſequendis & medicaminibus, & aliis artibus mechanicis, deſtinatis rebus.

CALX PLUMBI.

Vilior ac communis metallicæ formæ deſtructio *Calcinatio* eſt, ubi plumbum fuſum *aucto igne & continua agitatione in calcem abit*, quæ ſi igne agatur reverberatorio in minium ignis flamma lambente convertitur.

Si verò *cum ſulfure pulveriſato* plumbi practeæ ſtratificatæ urantur, fit officinarum *plumbum uſtum.*

Eadem calx fit ſi plumbo ſaltem crudo *acetum affundatur*, quod ſucceſſu temporis penetrat, & aculeis ſuis licet rudioribus, mollius adhuc plumbi corpus diſcontinuat.

Conſtant hinc levem plumbi concretionem, levioribus item acidi ſpiculis, & vel ignis, vel liquoris acidi, facilem ſubire ſeparationem, & mutationem.

Sic & Minii Mechanica, hujus ſubjecti alcalinam indolem monſtrat, quæ ceu vacua etiam ex flamma acidum attrahit, adeo ut ex centum libris in minium converſis, decem libræ ultrò accreſcant, non ſecus ac ſi ex aceto vel alio liquore acido, hæc natum eſſet.

SACHARUM SATURNI.

Principaliſſimum ex hoc ſubjecto productum, corpori humano applicabile hoc eſt, quod ſaccharum vulgo appellatur: quodque Argicola ſequenti conficere jubet modo:

Recipe *Plumbi puri granulati Villachici*, vel hujus loco mineræ puræ Silberglantz / dictæ, alii ſumunt *vel minium vel ceruſſam*: Superfunde pulveriſato *acetum deſtillatum ſpiritu Nitri pauliſper acuatum*, agitetur verò *ab initio ſæpius in digeſtione repoſitum*, *ne in*

ne in fundo vasis conglomeretur, postmodum relinque in digestione, donec acetum & flavedine & dulcedine probe sit tinctum, *quod decantatur, & reaffunditur novum acetum*, hocque reiteratur, donec nullum amplius acetum dulcedine imbuatur. *Acetum omne tinctum filtra, & abstrahe ad remanentiam sacchari.* Hoc repetitis solutionibus & filtraturis cum aceto in crystallos redige.

Vires sunt insignes, internè & externè, ubi acrimonia bilioſa, & spirituum exultans motus, inflammationem, calorem, & dolorem inducit, accedente sæpius acido volatili, quod amicè recipit & absorbet, uti *in Ulceribus*, *Vulneribus*, *Erysipelate* &c. quam sæpius maximo cum levamine conspicimus in Emplastris adhibitum.

SPIRITUS SATURNI ARDENS.

Destillant artifices ex hoc saccharo liquorem qui instar spiribus vini inflammabilis existit. Hunc vini sobolem, & *ex aceti particulis in plumbo regeneratum esse multi credunt*, cui tamen alii contrariam objiciunt experientiam, nimirum, quod *plumbum calcinatum cum spir. vitrioli deliquio solutum*, filtratum & coagulatum, in similem destilletur inflammabilem spiritum, cui tamen nullum accesserit acetum, aut aliud vegetabilis originis humidum.

Ut igitur concludendum potius sit, inflammabilem hunc liquorem à volatilioribus acidi spiculis sulfureis, à corpore suo mediante quovis acido attenuato, liberatis, dependere destillatio in spiritum, hoc instituitur modo, agricolæ usitato, & aliis faciliori.

Recipe *crystallinum Saturni saccharum*, hoc *superaffuso spiritu vini rectificato*, per mensem in B. V. digere, facto hoc, in balneo hunc *spiritum rursus abstrahe ad liquorem melleum dulcissimum*, quem *cum arenâ purâ mixtum ex retorta per gradus destilla* recipiente magno apposito, & duplo plus acquires spiritus quam alia encheiria: destillatione finita, liquorem invicem commixtum (continet enim spiritum, oleum & phlegma:) retortæ vitreæ immitte, & ex B. V. destilla, ac primo *elevatur spiritus qui guttatim exit, secus quam spiritus vini qui striatim exiens colligitur*, quando oleum flavum egredi ob-

ſervas, muta recipulum, & ſpiritum ſeorſim ſerva: oleo flavo egreſſo, phlegma ſequitur, & ultimo aucto igne, oleum rubicundius, quæ omnia ſeparata aſſervari poſſunt.

Vires ſpiritus cum ſaccharo Saturni communes ſunt, niſi quod hic internè melius exhiberi poſſit, *in febribus ardentibus, eryſipelate, & aliis ſpirituum exorbitantiis, & acida acrimonia bilioſa*, maximi effectus.

Oleum externè bono cum effectu applicatur *in ulceribus & vulneribus inflammatis*, ſi *cum oleo lini in butyraceum vertatur linimentum*, vel ejus loco etiam ipſum Saturni ſaccharum aceto ſolvatur, & cum oleo lini in butyrum miſceatur.

CRYSTALLI SATURNI.

Præterea hoc ſaccharum diverſis ſe accommodat acidi ſpiculis ſi enim *ſaccharum in aceto ſolutum, cum tantundem* commiſceas *nitri*, eodem & *ſimili aceto deſtillato ſoluti*, ac tum humiditatem ex M. B. abſtrahas ad tertiæ partis remanentiam, tum in cella *colliguntur cryſtalli, qui cum* quodam *ſpiritu vel vini vel* alio appropriato ſoluti & propinati, in pulmonum affectibus conducere perhibentur.

Si verò *cryſtallos ſaccharinos aceto deſtillato ſolvas*, & abſtrahas, donec concreſcere velle obſerves, ac *tum ſpiritum vini rectificatiſſimum affundas*, digeras, & ſpiritum vini ad medietatem rurſus abſtrahas, *nanciſceris cryſtallos ſplendeſcentes*, aliis correctiores, in febribus ardentibus & ſimilibus, inſignis energiæ, præprimis ſi cum ſpiritu vitrioli coagulato mixti propinentur.

TINCTURA ANTIPHTHISICA D. Mich.

Ex hoc fundamento *D. Michael* ſuam paravit *Tincturam antiphthiſicam*, in ſanguinis ſputo admodum laudatam, v. g. ſolvit *Saturni cryſtallos cum ſpiritu vini* in pultis formam, addidit *vitriolum Martis itidem ſpir. vini rect.* imprægnatum, tum digerit per tempus, donec ſolutio vel mixtura rubeſcat, tunc *plus ſpiritus vini rect. affundit*, circulat, & tandem repetitis cohobationibus deſtillando, in tincturam redigit, magnarum virium.

Mihi

Mihi placet hæc methodus; nimirum. ℞. *Aceti ex lithargirio vel Minio probe dulcificati* ℥iiij. *Vitrioli* & groſsè ſaltem confracti ℥ß. ſtent ita per tempus: tempore Uſus commiſce *ſpir. vini rectificati* q. l. & detur à gtt. x. ad xxx. ad immoderatos omnes ſanguinis fluores, hæmoptyſin, &c. item ſudores immodicos reſtinguendos &c.

BALSAMUM SATURNI.

Porro ſi *cum ſpiritu therebintinæ ſaccharum ſolvas*, & *addito pauco camphoræ* digeras, fit balſamus rubicundus, admodum efficax *in gonorrhæa*, & externè non ſatis laudandus *in variis ulcerum & vulnerum generibus.*

Nec abſimile huic eſt *oleum Saturni antihypochondriacum*, quod auro pretioſius æſtimat, ad omnes lienis affectus & ferociſſima quævis ulcera, *Rhenanus*, hoc ita fit:

Recipe *ſacchari Saturni*, huic *oleum juniperi affunde*, & digere donec tingatur oleum, repetitis vicibus, oleo novo affuſo, donec nullum amplius tingatur oleum: *Oleo tincto ſpir. vini rectificatiſſ.* ad quatuor digitorum eminentiam *affunde*, & digere, donec ſpiritus vini omnem abſorpſit tincturam, quo facto ſpiritum ab oleo ſepara, & in B. abſtrahe & remanet tinctura ſive oleum dictum, *Rhenano* admodum pretioſum.

VITRUM SATURNI.

In vitrum abit *Minium*, ſi *hujus partes duæ* cum una parte *ſilicum calcinatorum*, mixtæ in tigillo fundantur, quod ſi effundas, & huic ponderi de novo *æquale Minii pondus* addas & fundas, hoc verò *tertia vice repetas*, ac ultimo forti igne urgeas, ſit *vitrum Smaragdinum*, quod ſi *pulveriſatum cum aceto deſtillato extrahas, & ad liquorem decoquas*, remanet *oleum dulciſſimum*, viribus, ſuperioribus ex ſaccharo productis, nec ipſo ſaccharo abſimile.

Patet hinc *Alcalica hujus metalli natura*, quia *omnis generis acida abſorbet*, & formam ſuam pro varia acidi figura mutat. Sic aceti vapor illud in candidam convertit ceruſſam: Acidum in flamma in rubrum minium comburit: ſulfure verò crematum nigreſcit: & cum mineralium acido impuro in lithargyrium duplex vertitur: cum

ſilicum vero acido in Smaragdinum abit vitrum, & ex hac item cauſa metallum ab omni immaturo acido impuro liberat, & ab omni macula pura relinquit.

Ex hoc item fundamento *in Emplaſtris* & *unguentis* variam *ab acido orientem inflammationem in corpore reſtinguit*, & tanto celerius, quo ſæpius dicta mutantur unguenta. Hanc acidi deſtructionem & extractionem, vulgo refrigerare vocamus, quia caloris cauſa abſorbetur vel mortificatur.

Hinc etiam *Rhenani* oleum non minimarum virium judicamus particeps, in abſorbendo ſuperfluo vel exorbitante lienis acido, quia hoc ſubtiliſſimis olei acidis ſpiculis extractum, & ſpiritu vini inſuper rectificatum, & ab acido accedente rurſus liberatum, ac propterea maximè vacuum, & alcaliſatum exiſtit.

CAPUT IV.

Stannum reſolvit.

HOc *à plumbo non niſi puritate differt*, temporis ſucceſſu facile in argentum migrans, ſicuti ea confirmat mechanica, quæ Stannum cum arſenico in ſcorias redactum, ſimplici uſtione, ſingulari tum artificio in purum argentum, aliquam ejus partem convertit: qualem ſeparationis artem, civis *Wonſiedlenſis* in *Voitlandia*, *Sigismundus Wan* exercuit, tali cum emolumento, ut Anno 1464. ibidem ſplendidiſſimum inſtituerit & ædificarit Hoſpitale, quod hodie adhuc, cum epitaphio dicti civis conſpicitur: ejusdem cum Saturno eſſe indolis, ſimilis docet elaboratio in ſaccharum & ſimilia, uti & facilis commixtio amborum.

Hæc enim candida metalla ſolum ratione puritatis differunt, nec copioſo impuro ſulfure ſcatent, ac illa quæ rubro colore, ut ferrum, cuprum prædita ſunt, quæ hinc etiam vitriolum ſuppeditant, ſecus quam illa, quæ acido plus volatili concreta, alcalicam potius relinquunt & præbent terram, quæ ex hâc cauſa etiam lubentius in auri confectione recipiuntur, quam ferrum aut cuprum, quia hæc ceu

vacua

vacua puriſſimum auri ſulfur avidius abſorbent, & fixam naturam aſſumunt, quam rubra impuro ſulfure jam ſaturata & duriter concreta.

SAL JOVIS.

Ex Stanno, addito acido inprimis volatili, emergit calx alcalico-ſalina, in uterinis & aliis affectibus inſignis uſus, v.g.

℞. *Stanni calcinati per ſe igne reverberii*, leni in patella terrea fuſione, & agitatione continua facti ℔ j.

Nitri puriſſimi ℔ ij.

Exactè mixta *cucurbitæ terreæ* probè lutatæ immiſſa furno impone, circumcirca luto probè munito, exceptis ſpiraculis, cucurbitæ impone *ollas perforatas, unam ponendo ſuper aliam*, in modum ſublimatorii, *rimas tamen optimè claudendo*, cucurbita verò in latere habeat tubulum pro materia injicienda, tum fiat ignis per gradus, ut cucurbita candeat ferè, hoc viſo injice materiæ unciam unam, & ſtatim claude tubulum, & *ſublimabitur Sal Jovis cum nitro*: detonatione peractâ rurſus unam unciam injice & ut prius procede, & hoc reitera, donec omnem materiam ſucceſſivis vicibus injeceris, & detonatio peracta ſit, tunc *collige flores, & aqua pura edulcora*, ac modico calore exſicca, ſiccatis his floribus *acetum deſtillatum ad trium digitorum eminentiam ſuperfunde*, & in arena calida per tres dies repone, tunc decanta & materiæ relictæ aliud acetum affunde; & ulterius extrahe, hocque tam diu continua, donec omnes flores ſoluti ſint: ſolutionem filtra, & *leni calore evapora ad ſalis remanentiam*, huic in cucurbita *ſpiritum vini rectif.* ad eminentiam trium digitorum affunde, & ſuperpoſito alembico rurſus abſtrahe, qui acidum aceti Sal evehet: hanc ſpiritus vini abſtractionem quinquies vel ſexies repete, ut acetum probè eluatur, tunc exſiccatum Sal ſerva.

Cujus doſis gr. v. ad ℈ j. cum idoneo vehiculo.

Aquam ſupra remanentem, *qua flores edulcoraſti à nitro, exhala*, & remanet *nitrum Joviale*, ad ſanguinis ebullitionem, in febribus ardentibus arcendam inſignis efficaciæ.

ANTIHECTICUM POTERII.

Paratur item ex hoc ſubjecto decantatum illud *Poterii Antihecticum*, quod cum diverſimodè fieri è diverſis artificibus ſoleat, ſequentem conficiendi veriorem modum *à Nobiliſſ. D. Sebaſt. Schaffero* communicatum appono, qui hic eſt, v. g.

℞. *Reguli Antimonii* cum tartaro aut nitro, vel ter aut quater ſaltem *cum nitro ſemper recente fuſi, & facti* ℥ij. *Stanni Anglici* ℥iiij. (major amborum quantitas, una vice non debet immitti tigillo, quia alias regurgitat,) *funde in regulum*, quem effuſum, & pulveriſatum *commiſce cum triplo nitri puriſſimi*, ac probè mixta detonentur, & fundantur, per vices tamen injiciciendo pulverem in crucibulum ad rubedinem candefactam, pulvis verò unâ vice injectus ſemper prius ſit liquefactus, antequam alium injicias pulverem, omni verò pulvere immiſſo ſtent adhuc per tres horas aut ultra in igne, non tamen nimis forti, ne regulus ſeparetur rurſus, & ſubſidat, & ita incaſſum labores.

Peractâ hac calcinatione è crucibulo *effunde in aquam frigidam*, cautè tamen ne regurgitet, vel prius refrigeratam maſſam, pulveriſa, & tum aquâ calidâ ſolve, *& Sal ablue*, tum aquam per filtrationem ſepara & pulverem exſicca, tunc rurſus, ſiccato pulveri adde duplum nitri, & probe mixta detonentur rurſus, ac omninò procedatur ut prima vice, & hoc tertia vice repetatur, & denique pulverem ſiccatum ſerva.

In hectica, Phthiſi, morbis uterinis & ſimilibus *ab acido putrefaciente, auſtero*, inſignis efficaciæ. Doſi ℈ß. ad ℈j. & ultra.

CAPUT V.

Argentum examinat.

HOc ex purioribus Mercurii particulis, acido ſaltem volatili concentratis, candidis adnumeramus metallis, quia *externo ſulfure rubicundo*

rubicundo caret, hinc *alcalinis volatilioribus etiam, ejus compages mitius ſolvitur, quam ipſis acidis aquæ fortis ſpiculis*, & ex hoc etiam patet ejus in nervis ab acido liberandis & cerebro hinc confortando energia, quæ alcali volatili propria ceu vacuo? ut etiam hoc innuunt, inconſpicuæ argenti ſcheſes, qui in vulgari ejus calce ob fæcum colluviem haud apparent, niſi Sal combinatum menſtrui figuram repræſentet, at tum non genuina apparet argenti figura, quam ego vel raram alcalinis particulis implicatam judico, ne hinc acidis ejus præparationem inſtitui debere exiſtimo, quia hæc ſuam, nec argenti, producunt efficaciam.

Multo tamen cum labore, & anxiè diu quæſitæ fuere *Argenti tincturæ*, & ferè ſemper mediantibus acidis menſtruis, ſed quali efficacia? contrarius patefecit & inanis effectus. Ex hac cauſa Neoterici inverterunt methodum, & loco acidorum, alcalica ſubſtituerunt, quibus ſuaviter & ſenſim concentratum volatile acidum exſuſcitarunt, & tincturam ex argento acquiſiverunt, acido volatili, in alcalicum converſo & transmutato, Sal, inſignium virium in cerebro confortando, v. g.

Recipe *argenti ſcobinati* q. ſ. *adde Sal volat. C. C. vel urinæ* mixta aſſerva *in vitro clauſo per menſem*, & fiet pulvis ſalinus cœruleus, ex quo cum *aquâ Anhaltinâ tincturam extrahe*, ab hac ſi menſtruum abſtrahas, *remanet Magiſterium Lunæ* in forma ſicca.

CAPUT VI.

Ferrum examini tradit.

PErgimus ad ea, quæ *ſulfure copioſo interno & externo concreta*, rubicundo colore ſaturata extant, & hinc acido imprægnata vitriolum ſuppeditant, vel aliud corpus ſalinum pro acidi diverſitate; ſic *acidum aëreum in rubiginem ferrum commutat*, cum *ſpiritu ſulfuris in ſal ſaccharinum*, cum acido vitrioli in vitriolum &c. abit, & cum

ignis

ignis acido in crocum vertitur ferri corpus ; ut adeò nulla interſit differentia, *an manifeſto vel occulto acido, præparationes vel deſtructiones Martis conſiant*; ſufficit ſolo hæc fieri acido, licet variè variato vel diſpoſito.

Caditque hinc *differentia* vulgò, *inter crocum Martis aperientem & adſtringentem*, facta, quæ materiæ in corpore hoſpitantis diſpoſitioni potius adſcribenda eſt. Si enim in primis viis hæret ſal illud ſcorbuticum ex acido & alcali minus concordante combinatum & digeſtioni ineptum, hoc propter particularum inæqualitatem purgantibus non auſcultat, ſive illud inprima aut ultima corporis regione exiſtat. *Sumpto itaque ferreo*, acido nondum ſaturato ſubitò *Sal iſtud excrementitium liquidum ad ferreum accurrit*, ac ei adhæret, ut hoc diſſolvat, tum verò excrementum hoc ſalinum, ferrum rodendo, coagulatur : quoniam verò in alimentum haud verti poteſt, ideò *ſub nigro calore cum ferro ſoluto ejicitur*, ab alcali, in colcotar nigricantis coloris præcipitatum. Et *niſi excrementa ita tingantur*, jam *ferrum inconſideratè propinatur*, quia indicat, nullum adeſſe acidum ſuperfluum vel excrementitium, quod illud ſolvat: & tum adſtringit, etſi etiam optimus aperitivus Martis crocus propinatus putetur.

Et *hæc* item cauſa vel *ratio acidulus applicari commodè poteſt*, cum enim hæ potantur, Martis particulæ contentæ, ſed alimoniæ ineptæ, virtute alcali à commiſto ſeparantur acido, in qua ſegregatione dicta ſalia confluunt ad ferrum & illi adhærent ac deſtruuntur, ut hoc *videmus in argento aquâ forti ſoluto fieri, ſi enim huic ſolutioni, cupri lamellas injicimus tum aciditas aquæ fortis argentum deſerit*, & *debilius cuprum aggreditur*, argentumque cupro adhæret in pulvere compacto. Rurſus ſi huic ſolutioni, jam à cupro viri deſcenti, lamellas ferri injicias, tunc ſubitò cuprum relinquitur, & roditur ferrum, cuprumque ferro adhæret.

Hanc transmutationem fieri, dum *Goslariæ* pulvis ruber vitriolatus in cuprum funditur, credibile admodum eſt, ibi enim aqua vitriolata cupro ſaturata, ferrum rodit, & cuprum dimittit in forma

pulveris

pulveris rubei, qui falsè tunc ferrum in cuprum transmutari, ignaris notat, quia ipsum cuprum est in formam pulveris præcipitatum, ab advenientibus particulis ferreis.

Præparationes ferri innumeras artifices invenerunt: cum vero omnes acido debeant ortum, eas, quia destructiones potius sunt, mittamus; contenti paucis in quibus Martis alcalica energia, (quia acido quocunque adeò expeditè se submittit,) non destruitur admodum, sed eam illibatam plus servat.

FERRUM SOLUBILE Willisii.

Inter hæc non minimum sibi servat locum *ferrum solubile Willisii*, quod *in tractatu de fermentatione adeò cælavit*, hoc fit blandis acidis tartareis particulis hoc modo: Recipe *limaturæ Martis subtilissimæ*, à sordibus ope magnetis boni attractivi separatæ ℔ ß. *tartari pulverisati* ℔ ij. optimè mixta ferreo magno vasi immitte, *& aquæ mensuras* 10. vel 12. præter propter superfunde, ita tamen ut tertia pars vasis vacua maneat; Tunc *ebulliant probè quo solvatur tartarus*, isque solutus Martem aggrediatur, quod observes si materia attollatur. *Perge verò coquendo per diem*, & præsto semper sit aqua calida fervens, de qua semper affundi possit tantum, quantum decoquitur, semper verò itidem agitare oportet materiam quæ alba apparet. Post horas 12. vel 14. ab opere desiste, & quod crassum est fundum petit, *Tinctura verò subdulcis saporis supernatat*, hanc effunde *& filtra, ac ulterius leni* igne *inspissa ad mellaginem*, & serva.

Vires sunt ut indigitatum supra, vel resolutivæ vel constrictivæ pro peccantis materiæ dispositione, prout vel superfluum, vel deficiens acidum in corpore reperit.

Si plus alcalisatum Martem expetis, *humectato sæpius Martis limaturam puram, cum urina*, & in crocum vel rubiginem abire videbis jucundo spectaculo, fungulos enim minimos, ac si ex terra creviſſent, producet rubicundos.

CROCUS MARTIS SACHARINUS.

Si crocum saccharinum dulcem in omni & quocunque liquore salis instar solubilem velis, destilla ex ana. *Martis limatura*, & *salis*

armoniaci ſpiritum volatilem urinoſum, relictum caput mortuum *cum rectificato vini ſpiritu extrahe* reiteratis vicibus, donec omne acidum extractum. Poſtea *ſuperfunde aquam calidam*, & liquatur Martis crocus & ſolvitur cum aqua, hanc filtratam exhalare permitte & habebis crocum alcaliſatum, *ſapore admodum dulci præditum*, & ſale citius reſolubilem: Sal muriaticum vagans & errans expedite attrahentem.

Aliàs *ſi laminis ferri*, *ſpiritum ſulfuris cum tripla*, *ſpiritus vini doſi infundas*, radiisque exponas ſolaribus, ut liquor omnis evaporet, *recipies cryſtallos laminæ lateribus adhærentes dulces*, non contemnendarum virium.

VITRIOLUM MARTIS.

Si verò Martem acido vis imprægnatum, quo in alvi fluxibus, à bile acriori nimis alcaliſata, præſtet effectum, ex eo fiat vitriolum hoc modo:

Recipe *limaturæ Martis puræ pro lubitu*, ſuperfunde *aquam fontanam*, *cujus tres partes una ſpiritus vitrioli vel ſulfuris parte acidulatæ ſint*, cucurbitæ immiſſa Balneo impone, quo ſolvatur ferrum, ſolutionem filtra, *ſi verò craſſa nimis ſit ſolutio*, *aquam affunde quo filtrari queat*, hoc facto *exhalare aquam permitte in cacabo ferreo ad cuticulam*, quæ tum cellæ vel in alio loco repoſita cryſtalliſatur, qui leni calore exſiccandi, remanens vero liquor ulterius evaporatur, donec omnis in cryſtallos abierit.

Hi debilitatum excitant acidum, hinc *confortant Stomachum*, *Hepar*, *Renes* &c. *ac bilem acriorem obtundunt*. *In Dyſenteria* ʒß. miſcetur cum theriaca, & alutæ inducta umbilico imponitur, maximo cum effectu.

VITRIOLUM VENERIS & MARTIS.

Si Veneris, Martis vitriolo combinatum deſideras, ut *Hermaphroditicum* audiat, Recipe *Mineræ Veneris* ℔ iij. *Mineræ Martis* ℔ j. *vitrioli vulgaris* ʒxiij. ſubtiliſſimè pulveriſatis *affunde aq. comm.* ſtent per diem & noctem *donec tingatur aqua*, hanc effunde & recentem reaffun-

reaffunde, ac ſimile opus reitera donec non amplius aqua tingatur. *Jam evapora aquam ut concreſcat vitriolum.* Hujus gr. ij. iij. *cum fœcula bryoniæ exhibita*, maximè laudantur ab *Hartmanno* in deſperatis uteri affectibus.

CAPUT VII.

Cuprum conſiderat.

HOc ferro purius exiſtit, quia ſulfur ejus externum impuritatibus magis liberum, ac purioribus acidi ſpiculis concretum, exiſtit. *Cl. Helmont miris laudibus ſulfur ejus extollit, externum*, hoc enim cum non ſit neceſſarium, ut ſentit, metallo perfecto; credit ſulfur hoc externum abundanter Veneri eſſe additum pro infirmitatibus humanis, in cujus uſum cuncta mundi creata, à ſtoicis directa eſſe, credita fuerint.

Ex hoc metallo, *ſuperfluo externo ſulfure metallico* puriore prædito, dictus *Cl. Helmont* ſuum parat *Ens Veneris*, de quo in ſuis operibus mira prædicat. Hoc multi conjecerunt eſſe ſpiritum vitrioli, ſed errarunt ut ipſe *Helmont* docet, quando inquit *in ſuo tyronibus oblato ferculo*: Non eſt ignis Veneris ſpiritus vitrioli, utcunque exquiſitè rectificatus. Sed *ignis ille eſt ſulfur cupri volatile in forma olei viridis*, dulcius melle, & à Mercuriali corpore, ſui cupri, planè ſeparatum. Non verò haberi hic ignis poteſt, *niſi cum plenaria cupri deſtructione*, corporisque Mercurialis ipſius Veneris volatiliſatione, quod tamen etſi fiat volatile in forma olei: facili tamen negotio poſtmodum iterum reducitur in album & novum ac anonymum metallum, ſub malleo tamen extenſile.

Altera vero conſtitutiva cupri pars, ignis ſive ſulfur Veneris, non item amplius reducitur in metallum per ſe, quia ſulfur non conſtituit metallum, ſed Mercurius.

Duplex ideoque hic *conſiderandum ſulfur*, *Externum* ſcilicet, & *Internum*; Internum quod in albo anonymo jam dicto Mercuriali metallo corpus fixat, ſive coagulat, efficitque ſub malleo ductile,

cum aliâs Mercurius absque interno hoc sulfure nunquam in metallum coagulari posset.

Externum verò *Veneris sulfur, est oleum illud viride dulce*, quoque iterum in metallum in se abstractum cogi nequit.

In imperfectioribus verò metallis externum illud sulfur à suo corpore Mercuriali separari minimè potest, quin hoc simul pereat, etenim si toties plumbum sublimetur, semper redit in idem numero plumbum.

Secus itaque se res habet in nostro hoc subjecto quod amisso suo externo sulfure, attamen in metallica licet candida massa subsistere potest, ut ideò sulfur hoc externum non adeò necessarium sit huic metallo, & propterea necessario alios habeat fines ad necessitates ingrati hominis conducentes, pro infirmitatibus scil. ejus.

Hactenus mirum quantum ruditer progressum est in indagando hoc admodum laudato sulfure, quod tamen *Cl. Helmont* & quidam ejus assecla, fideliter adeò aperuerunt: Et tamen *sunt qui crudum vitrioli acidum spiritum pro dicto Ente Veneris haberi volunt* adhuc dum, at quam turpiter aberrent, supra ex *Helmonte* sufficienter demonstratum est.

Sulfur est quod expetitur, *non* vero *corrosivis acquisitus spiritus* etsi summè volatilis & albus. Sed hoc è spiritu viridi vitrioli per repetitam cohobationem, ultima ignis tortura expresso & insigniter volatili, fieri & coagulari debet; *Ex viridi vitrioli spiritu*, *non verò viliori methodo acquisito & fucato saturato colore*: Sed cuprum ipsum exaltari debet repetitis cohobationibus *in liquamen volatile viride*, blando & suavi acido volatili dispositum, & non corrosum, sed internè recluſum, quod tum, cum ipsum volatile sit, secum evehit cuprum quoad interna etiam recluſum, ut ne granum quidem relinquatur de metallo: uti observas, si hujus quid, ita dispositi & recluſi cupri tigillo indas, & igni tradas, intra breve temporis spatium omne evaporat cuprum ut ne vestigium ejus relinquatur; quod tamen non ita procedit vasi clauso incluſum, ubi multo fortior requiritur ignis tortura, & repetita cohobatio, *donec cuprum* etsi recluſum, *in forma spiritus viridis volatilis*, omne evehatur.

Ante-

Antequam verò hoc cupri vitriolum volatile in ſpiritum deſtillatur, *maximas etiam obtinet vires hoc dulce vitriolum*, confortat enim, pacatque iratum archeum, dolores lenit & mirandas alias & infinitas vires continet, ſecus quam vitriolum communiori modo elaboratum, licet depuratiſſimum, quod præter ingratum ſaporem vomitum excitat, & alia mala, Illud etiam ceræ inſtar igne liquabile, ſi ſpiritu vini, in quo mox liquatur, digeritur aliquot diebus, aromaticum ſpirat odorem.

LAPIS BUTLERI:

Hiſce ex cauſis, hoc vitriolum volatile, multi veram fuiſſe lapilli *Butleriani* Baſin, crediderunt, confirmati relatione *filii Helmontis Mercurii van Helmont*, qui retulit hunc lapidem vetuſtate in viridem mutari colorem: ac hanc ejus mechanicam fabricationem docent: nimirum recipe *ſalis marini ex capite mortuo poſt* deſtillationem ſpiritus extracti ℥j. hoc liquefiat in tigillo, ac *immiſce vitrioli entis Veneris* ʒij. & ſubitò effunde in porphyritem, & lapillo huic aptato & in gyrum ducendo, permiſce quam optimè, antequam vitriolum avolare, & Sal planè coagulari queat.

Hujus vitrioli inſignes vires etiam ita crudè adhibiti, confirmat *Marcus Marci à Kronland*, qui refert, quod tunc temporis ex quo illo uti ceperit, Arthritis ſenſim remiſerit, ut poſtmodum ab ea immunis vixerit: ut adeo veriſſimum ſit, hoc vi pacandi Archeum præditum vitriolum, ad multos graves valere morbos, imò ad vitam ipſam prolongandam.

Hoc enim ſulfur metallicum externum, in pauperum ſolamen deſtinatum, & ab artifice reſeratum, volatile, fixioribus ſalis marini particulis irretitum, virtutis ſuæ extenſione adeò fermentale exiſtit, ut etiam jam minima ſui odoris participatione, ſuas extendere poſſit vires in Archeum, eundemque ſopire & demulcere.

EMPLASTRUM ENTIS VENERIS Polemanni.

In Emplaſtris hoc vitriolum *admirandos præſtabit effectus*, nec ſatis deprædicandos: ſic fiat Emplaſtrum tale: primo *cum oleo lini* per

integrum diem, *cum ſulfure Antimonii igneo alcali parato*, & cocto fac balſamum ſulfuris: Hujus *libram unam vaſi cupreo immitte*, & adde *lithargyrii ſubtiliſſimè triti* libram dimidiam, ac coque continua agitatione adhibita, donec lithargyrium ſolutum, tum adde *axungiam humanam*, *vel cervinam* ad dimidiam libram, & *vitrioli volatilis* unciam unam cum dimidia, & *tantum ceræ* quantum ad conſiſtentiam ſufficit, ac redige in Emplaſtrum ob admirandas virtutes merito aureum & auro præferendum.

Si in unguenti forma deſideras: Recipe *mellis puriſſimi uncias quatuor*, *ſucci plantaginis expreſſi* & depurati, uncias duodecim, *vitrioli volatilis* uncias duas, coque leniter donec incraſſeſcere incipit, tum *adde croci optimi triti* unciam dimidiam, & probe commiſce, & ſi quid *balſami ſulfuris antimonialis* addas, potentius efficitur, in illis malis quæ oleoſa & unctuoſa ferunt.

Horum vires omnium Emplaſtrorum, unguentorum & quorumvis balſamorum vulnerariorum vires exſuperant, propter vitrioli dulcedinem, tam in vulneribus quam ulceribus etiam peſſimis, ut mirari ſatis nequeas; ſicuti hoc patet *ex ſimplici ſaltem viridi æris cum cera alba in Emplaſtri formam commixtum*, quod *mammillarum tumores duos* mirabiliter emollit.

Cum ideò crudius hoc adhuc vitriolum volatile Veneris tantas exſerat vires, quid non præſtabit, ſi ad ſuam perfectionem devenerit.

Hoc enim vitriolum etſi reliquis omnibus, quocunque etiam modo elaborata illa ſint, plus anteponendum tam ratione volatilitatis, quâ excellit, quam & virium ratione; attamen in volatile liquamen, repetitis cohobationibus redactum, rurſus in cuprum mutari poteſt: eapropter ut ab hoc viridi cupri liquore Mercuriali parti adhuc conjuncto ſulfur ſepares, *ſal armoniacum inde auferri debet per repetitas ſpiritus vini deſtillationes*:

Commiſcendus itaque *cupri liquor viridis cum ſpiritu vini rectificatiſſimo*, qui tum leniſſimè avocandus, & rurſus alius affundendus & abſtrahendus leniter, donec repetitis cohobationibus leniſſimè ſemper deſtillando, omne ſal armoniacum ſit evectum, ubi ſemper in

fundo

fundo reperies aliquam sulfuris partem levem raram à suo corrosivo separatam: Et si ignis regimen negligas & calorem nimium addas, quædam etiam pars una evehitur quæ alembicum jucundis coloribus pingit, transgressa verò postea in liquore subsidet, à quo separanda, & priori relictæ sulfuris parti addenda.

Posset quidem etiam absque destillatione separari hoc sulfur, si saltem liquor viridis cum spiritu vini rectificatissimo digeratur per aliquot menses, ita enim debilitaretur corrosivum, & relinqueret sulfur: sed cum multum temporis huc requiratur, præstat per destillationem hoc separare.

Omni tunc corrosivo, mediante spiritu vini extracto, nactus eris verum crocum Veneris, Martis, vel Auri, omnes exsuperans crocos quacunque sint parati methodo: Vires enim & anima hujus croci extima jam est, & internè & externè in Emplastris, unguentis &c. efficit ea, quæ sperare poteris. *Præservat* verissimè *à calculo hoc Philosophorum aroma*, pacat Archeum diversimodè alteratum, viscerum obstructiones reserat, laxa adstringit, & mira alia patrat, non satis laudanda.

Spiritus verò vini, qui corrosivum secum abstulit insignes item continet vires, duplicem ob causam, quia præter dulce & volatile acidum, alcali etiam volatile continet, unde in *calculo maximarum est virium*, & ab anima Veneris irradiatus existit, hinc tibi commendatum esse patiaris in omnibus affectibus ubi desideratur acidum, mireris vires!

Jam verò *si sulfur hoc Philosophorum ulterius perficere lubet*, nunc enim dispositum est suam internam essentiam tradere artifici: *Superfunde* itaque huic *alcali volatilisatum ad eminentiam*, & in phiola ebulliant per 8. horas, ac igneum hoc alcali simile sibi liquat, quod tum tinctum effunde & aliud affunde & reitera opus donec nihil amplius de sulfure solvi velit, nec menstruum affusum amplius tingatur.

Omnem spiritum tinctum conjunge, & leniter rursus abstrahe, quem huic operi rursus, & de novo applicare poteris: in fundo

verò

verò manet verum metallum potabile, non amplius in metallum reducibile, omnes proprietates habens, quas à Philoſophis ei adſcriptas legimus.

Obſervandum verò ut unà aliquid de alcali relinquatur, quia ſunt unius naturæ, & in unum migrant eſſe. Jam verò ut ultimam imponas perfectionis manum, leniter coagula ut ſenſim indureſcat, & hic pulvis poſtmodum gradibus ignis legitimè adhibitis ad fixitatem perducatur, ac tum *veri Philoſophorum ſulfuris nomen ſibi vendicat*, quia ei correcto & jam perfecto tota morborum cohors auſcultat, dum radiis ſuis confortat & excitat vel pacat archeum, ac in ipſa animæ ſede combinatoque Duum viratu, *amentias*, *apoplexias*, *caducos*, *paralyſes*, *vertigines*, *aſthmata*, *hydropes*, *atrophias*, *immanesque alios affectus annihilat ſtupeſcente ipſa natura*, ſicuti vidiſſe ipſe *Helmont* refert, in ſuo *de verbis*, *herbis*, *& lapidibus Tractatu*.

Hoc eſt ſulfurum metallicorum recludendi, ſeparandi & perficiendi verum fundamentum, hoc quærite, & viliores omnes alias metallorum præparationes vel deſtructiones, miſſas faciatis, & imaginationi valedicite, & rationi perverſæ, ſic enim ad ſolida pervenietis medicamina quæ Medicum nobilitant, & artis Medicæ Authoritatem reſtaurant.

CAPUT VIII.

Aurum ſcrutatur.

TAndem ad *aurum metallorum perfectiſſimum* accedimus, hujus ſulfureæ particulæ adeò ſunt celebratæ & exaltatæ ac perfectæ, ut *nullum amplius vitriolum ſuppeditent*: ſed hujus loco *aurum ſulfur adeò fixum* obtinet, ut omnem etiam *ignis vim eludat*, adeò concentratum hoc ſulfur, ut etiam in detonatione incredibilem ferè activitatis ſphæram occupet, cum adeò ſubtiles à concentratione ſuâ reſolutæ particulæ expanſionem tantam inducant, longè majorem, quàm vel reliqua metalla & mineralia fulminantia, quæ ex ſalibus vel vitriolis conſtituuntur.

Hic

Hic jam habes *Philoſophorum præfixam metam*, quam omnes optatam curſu contingere cupimus. In hoc principaliſſimum ſulfur latitare, quo imperfecta metalla exaltari & perfici debeant, *Augurellus* monet, qui,

In Auro, ſemina Auri

exquirit, & ex hoc ſummam Medicinam parari vult, quæ in gravioribus morbis plenarium & optatum afferat auxilium; Morbo etenim adæquatum eſſe debet medicamen.

Eſt quidem & vegetabilibus & animalibus ſua virtus à Creatore indita; ſed cum ea, ut *Johann. de Monte-Snyders*, docet, levioris ſint compoſitionis & texturæ, hinc *à fermento primæ concoctionis mox transmutantur, deleto ſpecificæ operationis charactere*, & in alimentum convertuntur, ut ſalvâ vi Medicâ ad poſteriores digeſtiones deferri, morbisque remotioribus partibus frequenter hoſpitantibus mederi non poſſint.

Ex minerali ergò *Regno univerſalis Medicina, petenda*, & in præcipuo metallorum & mineralium ſulfure, ultimo naturæ perfecto producto, quod in hoc noſtro ſubjecto omnium nobiliori, nobilioribus etiam viribus dotatum eſſe, ratio dictitat: *quemadmodum enim Sol reliqua ſuperat aſtra, radiorum claritate* & puritate; *ita & aurum mineralia & metalla* reliqua, quæ etſi ex uno ſulfure, & uno Mercurio concreta ſint, *differunt tamen multum ratione perfectionis*, & licet ad hanc omnes pervenire tandem potuerint, attamen non impedit, quo minus perfectioris metalli ſulfur per artem adhuc perfectius perfici queat, quam vel imperfectioris cujusdam mineralis, vel metalli dictum ſulfur, cujus ſeparandi & perficiendi modus de cupro ſupra deſcriptus eſt, qui ad aurum, & huc etiam applicari poteſt.

Nil magis mirandum, quam *abſurditates*, quas *multi foverunt de verâ Medicinæ univerſalis materiâ*; cum enim auri corpus firmiſſimis quaſi repagulis occluſum cernerent, in alias ineptiſſimas materias irruerunt, ex quibus non infimi ſunt, qui *ex nitro eam educi credebant*; at aberrarunt multum: licet enim ejus *ſpiritus cretæ auxilio lucidam producat materiam*, longè tamen abeſt quod pro Stella Orientis, quæ Magos ad cunas, Regis pueri deduxit, haberi debeat.

Et licet Philoſophi *in Sole & Sale* naturæ *omnia* eſſe exclament, attamen hoc non de minerali Sale, ſed de metallorum, quod cum ſulfure idem eſt, intelligi volunt. Sed cum altiora hæc ſint, nec hic nos immiſcemus; viam ſaltem monſtraturi ſumus, quomodo ad corpus humanum applicari hoc noſtrum ſubjectum ſolitum ſit.

In hoc ſanè hactenus ruditer admodum proceſſum eſt, adeò ut pauci reperiantur Medici, qui in hoc omnium nobiliori ſubjecto metallico, ad corporis humani infirmitates, medicamina ſua quærere audeant.

AURUM FULMINANS.

Contenti hactenus fuere plurimi Medici, etiam Chymiæ non ignari, vilioribus auri præparationibus, corroſivis acidis inſtitutis, quali verò cum effectu, experimenta ſilent: percurremus breviter principaliora eorum ex auro educta medicamina, inter quæ primum occupat locum crocus vel calx, quam *Fulminans Aurum* vocant, hoc ita fit:

Ad *Ducatum unum ſolvendum* additur *ſpiritus vitrioli* ℥j. ʒij. *ſpir. ſalis* ℥. *ſalis armoniaci* ʒij. primo ſolvitur in ſpiritu mixto ſal armoniacum, quod fit ex tempore, tum *aurum laminatum additur*, & in arena moderatè calida ſolvitur.

Solutio ampliori cucurbitæ immiſſa, *præcipitatur olei tartari* ſenſim ac ſenſum affuſi *larga quantitate*, ut ebulliat, in iſta verò ebullitione *adde aquæ fontanæ* ſ. q. ſtent per noctem infuſa, & ſequenti die filtrentur per chartam, & *in filtro remanebit auri calx fulminans*, quam edulcoratam probè, in ſicciori aëre exſicca, ne calore accedente flammam concipiat: poſtmodum lævigaturus ſingulis vicibus parum ſemper ſumas, & leniſſimè teras, ne incaleſcat.

Oleum tarta *ex nitri & tartari* ana. detonatis, ſolutis & in ſal rurſus coagulatis, *factum ſit.*

Operatio pulveris hujus admiranda ſanè, quod paucula ejus grana, tantam exerant vim, ac integra pulveris pyrii libra, ubi tamen hoc ſurſum, illud verò, niſi viam infernè præcluſam inveniat, deorſum tendit, ob particularum concentratam gravitatem, & ſalium contra-

contrariam texturam & mixturam, ut hoc indicat ex diversis salibus confectus *pulvis fulminans*, qui fit ex *salis tartari* p. iij. *nitri puriss.* p. ij. & *sulphuris pulv.* p. j. pulvis hic siccatus, & cochleari ferreo inditus, eundem cum Solis calce fulminante effectum edit: Si verò desuper accendatur carbone, fulminis instar sursum tendit, & si metalli cujusdam *calx* commixta fuerit, *in momento* quasi *fusa* in fundo residet.

Quoad vires, quas propinatum hoc fulminans aurum in corpore exserit, *alvum laxare* perhibetur, *inprimis non edulcoratum admodum*, tunc enim in corpore soluta salia fermentationem concitare, & exinde natura in expellendis excrementis fermentatis irritari dicitur: Et propterea *in torminibus alvi*, *colica*, & similibus cum fructu exhiberi verè perhibetur.

At tanti coëmere hoc aurum laxans, & nobile hoc subjectum vilioribus hisce subjicere laboribus, male factum duco, quia sic nucleo neglecto, in cortice hærere solemus.

Accedimus ad nobilissimam *Auri tincturam*, quam *Aurum Potabile* vulgò nuncupant Artifices, hoc verò paucos hactenus Medicos consequutos fuisse, notum est: Fictitias quidem tincturas ad nauseam usque traditas hinc inde legimus, sed oculorum impostura sunt: Et verum est, nullam omninò fieri posse veram Tincturam, nisi ex fundamento universalis Medicinæ eruatur illa, & ex sulfure auri, à Mercuriali sua parte separati, ea legitimo extrahatur modo.

Quanti tumores non facti fuere de illo *Antonii Londinensis* Potabili Auro, cui etiam multi, non infimi Chymiæ cultores, ut *Hartmannus*, *Crollius*, & alii subscripserunt; sed inconsideratè admodum, cum ea Tinctura ex singulari salium ingredientium textura, cum Auro copulata, digestionis saltem beneficio emerserit.

Et quid non alii promittunt de ea Auri Tinctura, *mediante sacharo & spir. vini* facta? plura sanè quam in recessu experieris.

Quod vero attinet *Solutiones* sive *Tincturas Auri irreducibiles*, quas *JOH. TILEMANNUS* Chymiater in Germania olim Clarissimus pro experimentatis venditat, & *JOEL LANGELOTT*

ſub præfatione ad Virorum Clariſſimorum Epiſtolas, circa utiliſſima aliquot Chymica Experimenta, conſcriptas, recenſet, *cum ex fundamento Philoſophis ſive Adeptis*, tantopere commendato procedere videantur, & *ſingularia* contineant *Menſtrua* & *Encheyreſes* cum aliis elaborationibus curioſis, ea hic adponere haud dubitavi.

EXPERIMENTUM I.

REcipe *aëris coagulati* præſertim *Sole Leonem peragrante*, vel *roris majalis* ſumme purgati part. x. *Calcis auri* ſubtiliſſimi part. i. digerantur, ſolvantur, coagulentur, vel

Recipe *Rorem majalem*, deſtilla per ſeptem alembicos, quod per ſeptimum exit eſt ſpiritus, hunc ſerva & *affunde ſali fixo in fundo relicto*, abſtrahe, & aliquid ſpiritus manebit cum ſale, cohoba toties donec totus ſpiritus ſit devoratus à Sale, quod aurum ſuaviſſime amplectitur, affunde denuo ſpiritum roris, digere per mirabiles excreſcentias, ſolve, coagula.

Recipe *Rorem abſtrahe de manna*, ut fiat Mercurius ſublimatus, mediantibus ſolutionibus, & cohobiis in capite alembici inſtar nivis, qui in ſpiritum redactus aurum ſolvit ſine corroſione.

Recipe *Mellis puri* lib. j. *Salis fuſi* ſubtiliſſime triti, *vel marini* crebris in aqua pluviali deſtillata, ſolutionibus, filtrationibus, coagulationibus purificati lib. iſſ. impone in vas fervens bulliant ſimul bene commiſcendo & volvendo, donec ſal craſſum, & nigrum fiat, poſtea ab igne exime, & in loco humido congelabitur in materiam duram, quam ſubtiliſſime *tritam*, *impone retortæ vitreæ*, *affunde aceti deſtillati optime dephlegmati* lib. ij. deſtilla ex arena ultimo tam fortiter ut vas ferme igniatur, exibit 1. acetum deſtillatum radicatum magnæ virtutis & odoris, ad auream Rem ex omnibus rebus extrahendam. 2. terra foliata ſublimabitur, quæ cum ſpiritu jungenda, à phlegmate ſeparanda, & cryſtalliſanda, in quam aurum ſeminari poteſt.

Recipe

Rec. *Nivis per totam hyemem collecti* quantum placet, digere in vaſe ſigillato ad ſeparationem ſpiritus, olei, cryſtallorum & fæcum, quibus artificioſe conjunctis adde aurum virgineum, ſive ex arena elotum, ſolve, coagula.

EXPERIMENTUM II.

REcipe *aquæ pluvialis, vel tonitrualis* maximam quantitatem collectam, *ſine putreſcere, evaporare*, ut reſtet liquor quaſi oleaginoſus ſalſi ſaporis, *abſtrahe omnem humiditatem, fiet ſal, cohoba cum ſpiritu priore*, donec totum reddatur volatile, quod folia auri ſolvit in oleum.

Rec. *Aquam pluvialem*, immerge in cucurbita ſemiplena hermetice ſigillata in aquam calidam, *vel digere in loco calido, donec fæces ad fundum ſubſideant*, aqua cærulea ſupernatante. Illas digere cum decima parte aquæ donec inſpiſſetur, repete ſepties, è qua materia pingui primò ſpiritum acidum, deinde igneum elicies. Utrumque rectifica, cohobando ſuper pice relicta, intercedente ſemper digeſtione. *Reliquum calcina ad* albedinem, extrahe ſal. Liquores omnes ſali affunde, digere, exſicca in martis balneo, ſublima ut fiat ſal cryſtallinum, quod cum vel ſine auro poteſt figi in rubedinem.

EXPERIMENTUM III.

REcipe *terræ pinguis & deſertæ, in quam tamen aſtra operantur*, omnibus coloribus ornatæ *inſtar irridis, in fundis paludoſis & lacubus*, unde meteora vagabunda & ignes fatui exoriuntur, extrahe partem ſubtiliſſimam pro menſtruo univerſali.

Rec. *Spiritum Salis terræ vulgaris*, digere tamdiu donec omnem perdiderit corroſionem, tum mire amplectitur aurum. *Spiritus autem terræ, melius per amicam putrefactionem*, quam vim provocatur è corpore.

Rec. *Terram beneficio putrefactionis nigram aut ſimplicem virgineam ſine ullius ſeminis vegetabilis præſentia*, ad altitudinem aliquod pedum effoſſ. aq. humectat. & putrefact. per multos annos aut

ſtet in paludibus & lacubus, *exſicc. humect. aquam per pannum linteum inſtar pulpæ exprim. deſtilla ſpirit. caput mort. putrefac donec ſal naturæ elevetur*, reliquum ſolve in ſpiritu, ſub dio fiant cryſtall. *caput mortuum calcin.* cum Phlegmate, *Sal extrahe*, è quo cum ſilicibus fiat ſpiritus, *affund. mineræ Auri*, extrahe primum ens, ſpiritum iſtum primo ente imprægnatum ſuperfunde corpori auri, putrefac, eleva, abſtrahe aq. reſiduum cum prioribus cryſtallis coaguletur. Ubi notandum, quod primum ens auri ſolum ſine ſulphure auri non recte coaguletur, vel

Rec. *Terram unctuoſam nigram in principio veris effoſſ.* ad medietat. viri ſine admixtione vegetabilium, deſtill. per retortam ſpirit. cum oleo fœtido ſerva in phiol. longi colli per menſ. in B. rorid, donec ſal naturæ elevatum ſit, ſepar. ſerv. in altera phiol. ne exhalet ſal volatile, oleum ſepar. & remov. ſpririt rectific. *Caput mortuum calcin. cum Phlegm. ſal extrahe candefac, ſolv. coagul. decrepit.* part j. cum part. ij. iij. *ſilicum, calcin.* miſc. deſtilla ſpirit. & oleum lente, dephlegma ſal vegetabil. in primo ſpirit. rectific. ſolv. cumque æquali parte aquæ ex aere ſolutæ miſc. ſub dio cœlo ſereno fiant cryſtall. uſque in hyemem, aqu. evaporatam reſtitue nova aqua ex aere collecta, deinde in ſpiritum ſecundum id eſt ſalis fixi in recipienti præpoſitum deſtilla ſpiritum ex minera ſolis continuo igne per octo dies à lateribus ſemper abluendo, menſtruum hoc affund. mineræ reſid. putref. per menſ. & ultra, ſolv. humid. abſtrah. circa finem igne fortiore urge aſtrum & ſemen ſolis, ut inſtar rubini elevetur, cujus part. 1. add. cryſtall. ſuperior. aſtrificat. part. 10. coq. ad perfection. multiplic. decies cum parte 10. cryſtall. uſque ad projectionem in infinitum, vel

Rec. *Terram nigram unctuoſam, imbibe per totam æſtatem atque hymem cum aqua pluviali, tonitruali, rore majali, nive, ut ſal naturæ copioſiſſimum haberi poſſit*, deſtill. per retort. ſpirit. oleum ſal volatil. & fixum, cum oleo rectific. imbib. præcipitatum aureum, & augmenta.

Sumſimus etiam *vas lapideum* non ex quolibet lapide ſed ad regnum

regnum minerale potius accedente, *ut Bulla chii effoditur*, & formari curavimus rotundum, vel oblongum, in medio aut magis ſuperiori parte fiſſum, *infundimus vel ror. majal. vel aqu. nivis, vel pluvial. vel tonitrual. vel aerem coagulat.* vel aliam materiam ſimplicem indeterminatam ad aliquod certum regnum, *vaſe etiam prius per octo dies & noctes toto immerſo & humectato, implevimus, clauſimus luto lapideo ferreis ligamentis circumdat.* huic vaſi iterum talem pryxidem impoſuimus quæ eſt inſtar pharmacopolar. è ligno quercin. bene ſiccat. ad 2. ſpitham. altitud. & 1. ſpith. latitud. vel tantæ capacitatis ne vas lapideum ad 3. digit. tranſverſ. latitud. atting. cum fundo plano inſtar orbis ſpiſſ. 2. digit. ut pyxis digiti transverſ. 1. ſicque ea inverſa teximus vas, mandavimus terræ calore inſito, tempore brumali non æſtivali, plura etiam vaſa abſcondimus, ut ſingulis menſibus unum aperire, & videre potuerimus naturam operantem per colores uſque ad rubedinem, ubi ex materia univerſali univerſale obſervavimus, ex particulari particularia, ex vino & oleo oliv. Balſamum opt. ex terebinth & muſto uvar. maturar. atque debitum tempus reſervatis lapidem flavum qui ad ſolem in rubrum liquorem ſolvitur, & ſolvit folia auri. Sic *terra Hauſenſis in Haſſia quam figuli adhibent ad vitrificaturas ſuas, continet ſpiritum qui omnia metalla ſolvit.*

Sal Centrale a. terræ acquiritur in agris nigris & pinguibus pratis, quando materia attrahens & magnetica defoditur infra terram, per duas ulnas, in doliolo ligneo, menſe Majo, ac deinde Terra viciniſſima doliolo elixiviatur in ſal vegetativum.

EXPERIMENTUM IV.

REcipe *materiam crudam venenatam lapidoſam* quæ adhalatio montana *Bergſcvvaden* vocatur, expelle cum ſumma cautione ſpiritum, ut reſolvatur in aquam, quæ omnia metalla potabilia reddit.

Rec. *Cinnabaris nativæ & mineræ auri* ana miſce & tere ſubtiliter, affunde *ſpiritum Mercurii proprium* ad eminent 3. digitor. digere in leni calore ut ſolvatur.

Rec.

Rec. *Cinnabarim nativam* ſolve in aqu. *regiâ*, adde *aurum vulgare*, deſtilla toties donec omnia tranſeant per alembicum. Vel

Rec. *Cinnabarim nativam* tere & cribra, *ſolve in aqu. Regia* ſeq. extrahe aſtrum colore viridi, abſtrahe aquam in arena, & edulcora aqua communi fient cryſtalli albæ, exſicca, ſolve in ſpiritum. Aqua regia:

Rec. *Nitri*, *aluminis* ana. lib. ij. iij deſtilla in aquam fortem, ad cujus ſingulas libras adde *ſalis gemmæ* lib. iij. iterumque deſtilla.

Rec. *Cinnabrium nativum* quo rubicundius eo melius, optimè pulveriſat. affund. ſucceſſive *aqu. fort.* clarificat. ſolve & extrahe quantum poteris, deple à fœcibus, deſtilla per arenam primo lente, deinde fortiter ut prodeat aqua fort. & ſublimetur ad latera Mercurius pulcherrimus qui vitro tangendus, non cum metallo, eſt enim Draco volans, pone in phiolam longi colli, affund. *Spirit. vini* opt. tantundem circiter, ſigill. hermet. in B. roris vel fim. per menſem fiet oleum aurei coloris quod à vini ſpiritu ſeparandum.

EXPERIMENTUM. V.

REcipe *vitrioli optimi*, vel *vitrioli veneris* quantum placet, expelle ſpiritus per retortam album & rubrum, hunc rectificatum & dulcem *fermenta cum ſubtiliſſima calce auri*, & hanc ſatis imprægnatam, imbibitamque ſolve cum illo purificato, vel Rec. *Caput mortuum vitrioli optimi* per 24. horas extreme uſtum, ab omni ſapore vitriolato liberum *exponatur aëri per dimidium annum*, (interdiu à ſole præſervandum) extrahatur ſal nitroſum cum aqua pluviali, vel roris majalis quod in cella ſolvatur in liquorem, deinde deſtilletur in ſpiritum, vel

Rec. Columbam albam ex Corvo nigro, *Salis terræ communis, vel vitrioli per putrefactionem & ſublimationem product.* quæ in aquam verſa aurum ſolvit, & cum eodem ad perfectam rubedinem figitur. Vel

Rec.

Recipe *Vitrioli Ungarici* lib. iij. ſine tamdiu fluere donec cuticulam contrahat, *miſce deinde cum vitriolo ſeq. calcinato*, tere invicem, & denuo calcina ad rubedinem, quod ſæpius cum novo repeti poteſt. Uſus dr. j. ad lib. j. mineralium aut lapidum pretioſorum, quæ illita ab aere etiam ſolvuntur. Calcinatur a. hoc modo.

Recipe *Vitrioli* lib. j. fluat uſque ad cuticulam. *adde Boli Armenæ* lib. j. *Borracis* dra. j. Miſce in loco calido, tere in marmore tenuiſſime, calcina ad rubedinem.

Recipe *Vitriolum ſolare* ſolve in aqua calida pluviali deſtillata, filtra, cryſtalliſa, toties repetendo, donec nullæ amplius reſtent fæces, deſtilla in nova retorta vitrea optime lutata per ignem apertum ab initio leniſſimum, primo Phlegma, ne tamen vitriolum fluat, 24. horas, ſecundo ſpiritus per 28. horas flavos, hos tertio filtra, & in maris balneo rectifica ad remanentiam olei craſſi rubri in fundo quod aurum ſolvit. Vitriol. lib. v. dederunt olei unc.

Recipe *Sulphur deſtilla in ſpiritum* ſive aquam ſiccam vel humidam viſcoſam per reiterationes, auffer omnem acrimoniam, *adde calcem auri* reverberatam, ſolve inſtar butyri in rubedinem ſine ebullitione, ut fiat aurum potabile.

Recipe *Nitrum accende in crucibulo aquæ frigidæ impoſito, injiciendo per vices prunam candentem*, donec non amplius flagret, fixum ſolve in aceto, filtra, coagula, idque ter repetendo, *denique ſolve in ſpir. vini*, & deſtilla ut in fundo maneat terra foliata pro ſeminario auri.

EXPERIMENTUM VI.

Recipe *argentum vivum, ſine putrefieri in ſpir. vini alcoholiſato*, ſolve, uſque ad ſeparationem omnis impuritatis, & donec in ſuam primam pellucidam & fluxilem materiam retrogrediatur ut fiat gluten aquilæ, quæ rubro Leonis ſanguine cibanda.

Vel abſcinde unius phiolæ partem inferiorem, ut maneat inſtar patinæ, quam bono luto exterius obductam impone ollulæ inverſæ cui fundus effractus ſit, & agglutina luto, ut tamen ad digiti tranſverſi

ſpatium ſuperemineat, ne fumus penetret, ob cujus egreſſum alia quatuor foramina in margine aperienda, ne tamen ſuperimpoſitus alembicus illa claudere poſſit, ſic lampade cum oleo vel alia pinguedine, per gradus ſequentem maſſam ita tractabis: Rec. *Auri partem* unam, *Mercurii purgati* p. vj. fiat amalgama, exprime per corium, duriorem globum immitte patellæ ſuperiori ſuperaddito alembico, & ſenſim ſublima atque evapora Mercurium, quem ut animatum, deinde iterum colligere poteris, reliquum calidum à vitro ſepara, globum diſcinde, tere, & lava cum aqua deſtillata, nigredinem ſerva & poſt ebullitionem, unam aut alteram pulverem atrum vere inpalpabilem exſicca, reſtantem Mercurium virum ſepara per retortam, vel evaporationem, ut remaneat calx auri fixa, quæ nunquam reduci poteſt niſi in vitrum ſmaragdo ſimile, melius tamen non liquatur, ſed ejus ſal per acetum deſtillatum extrahitur, in Medicina maxime utilis, quemadmodum etiam pulvis ater inſperſus ulcera maligna & ichoroſa curavit. Eadem eſt ratio c. argento quod per fuſionem hyacinthum exhibet. vel.

Recipe *Mercurii ſublimati*, *ſal armonic.* ana, ſublima adde ſpiritum vini ad eminentiam trium digitorum, digere per 6. dies, deſtilla per retortam 1. ſpir. vin. 2. oleum, quod in frigido fiet maſſa alba, ſolve in cella. vel

Recipe *Mercurium ſublimatum*, tere, *ſolve in cella ſuper lamina ferrea* in liquorem, filtra, præfige ejus lib. j. in recipiente, *& in hunc deſtilla per retortam vitrioli, & nitri* ana, inſtar aquæ fortis, rectifica, ut Spir. & Phlegma tranſeant, relicto præcipitato, qui in medicina prodeſt, aquam denuo rectifica per Maris Balneum, ut remaneat oleum Mercurii aureum, quod folia auri ſolvit inſtar butyri, vel Rec. *Argenti vivi* lib. ij. in peculiari inſtrumento cujus ſuperiores partes vitreæ, cucurbita inferior terrea & vitreata, catinus ex ferro, & loco arenæ, limaturæ ferri ſint, injice per tubulum, & ſal ſublimatur in alembicum, aqua deſtillat in receptaculum relicta fæce nigra, cohoba aquam à ſale, donec hoc fixetur, excava fruſtum auri, vel argenti, immitte gr. 1. Salis & occlude, tum in calore ſtatim ſolvetur.

EXPE-

EXPERIMENTUM VII.

REcipe *Mineram Saturni expelle per retortam ſpiritus*, deinceps purificandos, vel ex ea extrahe animam ſive ſal purificatiſſimum pellucidum, cryſtallinum, dulciſſimum, in calore fluxile ut ceram, in frigore fixum, quod eſt arbor detruncata fructus immaturi, & inſalubris, in quam ſurculi aurei implantandi, vel

Recipe *Cryſtallos Saturni*, tuſis affunde *ſpiritum vitrioli opt. rectificatum*, digere aliquot dies & noctes, abſtrahe Phlegma, affunde recentem ſpiritum, digere per 3. vel 4. dies, iterum abſtrahe, repete aliquoties, donec Saturni corpus ſufficienter fit recluſum: hac abſtractione ultima facta miſce cum argilla, fiant globuli, deſtilla in retorta bene lutata 1. leniter *ſp. Mercurial.* 2. *fortius oleum rubr. fixum* mutato receptaculo ſeorſim excipiendum. 3. *Ex fæcibus beneficio calcinationis extrahe ſal.* 4. digere oleum ſeorſim, & ſp. ſeorſim in phiola. 5. Conjunge oleum cum ſpiritu, abſtrahe in maris balneo, octies vel novies cohobando, donec uniantur. 6. adde ſal fixum, abſtrahe per cineres, vel arenam, tertia vice & poſtremo igne validiore. 7. Circula in phiola hermetice ſigillata, deſtilla adhuc ſemel in maris balneo fervente, vel cineribus, pro menſtruo univerſali, vel

Recipe *Mineral. Saturni pulveris. & cribrat.* par. 1. *Spir. Sal.* p. ij. *aceti* part. x. digere per octo dies donec dulceſcat acetum deſtillatum, filtra, evapora ad cuticulam, digere per 40. dies, ne fluat, deinde nec fumet, fige ad rubedinem.

Recipe *Pulverem Marcaſitæ*, deſtilla per retortam primo ſpiritus nigros removendos, 2. Chryſeos in aqu. tonitrualem colligendos cum rubro ſale volatili miſcendos. 3. *Ex capite mortuo fiet ſal*, prioribus addendum, deinde putrefaciendum, deſtillandum, rectificandum.

Recipe *Mineram Antimonii ſolaris* pulveriſat. affunde in alembic. cœco *aquam cœlicam* in lapid. ignis demonſtrat. ad ſupereminent. 4. digit. tranſverſ. putrefiant in maris balneo bene lutato per 3. hebdomad. ne tamen bulliant, & fiat nigrum pone in cineres, digere, reſolve donec clareſcat, & ſuperius inſtar cryſtalli pellucidum

fit, infra coronam v. circulum rubeum & igneum habeat, quod oleum ſeparandum in vitrum oblongum, & dimidia pars ſalis Nitri in mari noſtro creti addenda, ſigillanda, digerenda, conjunge, coagul figenda in lapid. inſtar carbuncul. vel.

Recipe *Olei Antimonii* (ex libra ſemis Mercurii ſublimati, & Antimonii ungaric. lib. j.) unc. ij. *inſtilla in aquæ fortis* lib. j. digere per diem, & noctem, deſtill. *ſolv. cum ea auri lamin. vel croc.* drach. vj. abſtrahe ad oleitatem, & fiant in retortula ſigillata cryſtalli aureæ quarum unc. j. c. *Mercurii per calcem Saturni ſepties ſublimati* unc. ij. ulterius elaborari poteſt.

Vel Recipe *Butyri Antimonii* lib. 5. *Cinabaris Antimonii* unc. j. ſolve in phiola colli oblongi igne arenæ mediocri, ut lente bulliendo rubeſcant, adde auri unc. j. ſolve etiam.

EXPERIMENTUM VIII.

RECipe *Mercur. Jovis adde aurum bene agitando & miſcendo*, digere in leni calore per octo dies, ut fiat Mercurius animatus, hunc exprime per corium, & ei quod remanet nondum ſolutum adde nov. Mercurium Jovis, facut ſupra, ſic poſſunt lib. iij. iv. cum uno lotone animari, vel

Recipe *Miner Jovis nigro bruneam aut fuſcam*, affunde *acetum deſtillatum proprium*, ſolve, præcipita cum aqua calida, agitando, filtrando, in frigido ſeparando per inclinationem, edulcor. filtra per chartam, ſiccat. fiant cryſtall. pro ſeminario auri, acetum deſtillatum ſepara ab aqua, & utraque utilia uſque ſunt.

EXPERIMENTUM IX.

RECipe *Mercurium martis* fac cum auro virgineo ignem nunquam experto amalgama, lava cum aqua ab omni nigredine, exprime per corium, exſicca, impone per 3. dies & noctes in aquam calid. non bullientem, phiolam interdum circumvertendo, ſigilla deinceps Hermetice, & in balneo vaporoſo digere. Vel Rec. *Auripigmenti & Mercurii ſublimati* ana deſtilla in retorta cum ampliore collo ne diſſiliat, *fiat butyrum*, ſolve in aquam cum qua diſſolve limaturas martis,

martis, abstrahe forti igne, & particula sublimatur, pulvis igitur, sive in fundo sive in sublimi, injectus auro, vel argento liquefactis facit corpora fragilia, quæ pulverisata candefactam laminam Veneris penetrant & tingunt.

EXPERIMENTUM X.

REcipe *Mineram Veneris*, destilla per retortam spiritus, qui post purificationem aurum radicaliter solvunt, vel Rec. *Stanni* lib. j. liquefacto adde *argenti vivi* lib. j. affunde in ligneam patinam, fiat pulvis, lava cum aqua calida dum non amplius nigrescat, exsiccat. add. *Mercurii sublimati* lib. ij. imponantur lamin. ferreæ & in cella fiunt liquor viridiusculus, quem destilla in retorta ex cineribus. Caput mortuum, etiam solve in cella per 14. dies in liquor. crass. add. aren. pur. destill. in ol. flav. cui impon. lamin. Vener. q. s. extrahe sulp. in leni calore, effunde in frigid. fiat coagulum virid. instar excrescentiæ arboreæ, destilla ex arena per retortam in ol. flavum quod aurum solvit, vel

Rec. *Venerem fac exinde virid. æris*, & ex hoc vitriolum cum aceto in aqua destillata calid. solvendum coagulandum, crystallisandum, idque ter evaporato phlegmate calcina ad rubedinem, cujus part. 2. *adde silicum in acet. extinct. & calcinat.* part. 1. fiat oleum, abstrahe phlegma, in oleo solve martem, ex hoc fac vitriolum deinde candefac sub tegula in pulverem rubicundum, qui destillet in oleum, cujus unc. viij. add. *Spir. Vini alcoholisati* unc. xv. destilla ter cohobando affund. hujus unc. vj. super croc. auri purpurei unc. ij. solve, fæces separa, digere, destilla, sæpius reiterando donec omnia transeant.

EXPERIMENTUM XI.

REcipe *Mercurium Lunæ*, & *Mercurium Solis* misce optime in vitrea patina, ut fiat Mercurius duplicatus & coitus cum duobus spiritibus pone in phiol. ad duas part. vacuam ad primum gradum ignis arenæ per 40. 50. dies, redige in massam nigram, quando albescit, auge ignem, & serva per 100. dies donec vallis virescat, efflorescat & crescat vitro huc usque aperto seu bombyce solum obturato: in

medio, vel fine ſecundi gradus aqua externa exſiccata & incorporata, ſigil. hermetice, per totum tertium gradum, ubi ignis debet eſſe tanquam reverberatorius: ſume nunc tres ramos, vel excreſcentias, & radicem unam, miſce optim. fige iterum in phiol. per primum grad. 40. dies, per ſecundum octo, vel 14. dies, per tertium menſis ſpatio, adde calcem auri, vel argenti, ſolve, coagula, repete quater vel ſexies

Rec. Nucem Hermeticam *mineram argenti rubinicam* Roth-gülden-Ertz / lava, purum exſicca ſine igne, tere ſubtiliſſime in vitro cum fundo plano impone materiam, ad craſſitiem digiti transverſi, ſigilla hermetice, conclude in vas quercinum, ut collum tamen ſuper operculum emergat, hoc in aheno cum aqua calida non bulliente digere donec ſublimetur ſemen argenti pellucidum, Similiter cum minera auri, & cinnabrio nativo procedendum, quæ deinceps proportionaliter jungenda, & debite tractanda ſunt.

EXPERIMENTUM XII.

REcipe *mineræ auri optimæ, rubræ & pellucidæ*, deſtilla per retortam ſpiritus, qui ſunt Azoth, & Acetum deſtillatum Philoſophorum, ex propria nimirum minera & corpore humidum radicale, aurum præparatum ſolvens, & inſtar magnetis eſſentiam ad ſe trahens,

Vel Rec. *Mineram auri optimam*, & puriſſimam, fiat pulvis, ſigilla hermetice, digere in Balneo vaporoſo, donec roſa alba & rubra efflorescat, quas in lecto debite conjunge, ut edant partum regiæ dignitatis,

Vel Rec. *Mineram auri immaturi ex Tranſilviana*, aut aliunde, Confringe in fruſtra inſtar fabarum, digere per 14. dies in balneo, fiet inſtar roris in vitro pellucidi, appoſito alembico deſtilla gradatim in arena, fiat aqua ponderoſa, affunde fæcibus, deſtilla iterum, idque ter, digere octo dies in igne vaporoſo, ſepara phlegma in leni Balneo, ut in fundo remaneat aqua cœrulea.

EXPE-

EXPERIMENTUM XIII.

REcipe *Aurum Ungaricum optimum*, ter per antimonium purgatum, finiſſimum, *ſubtiliter laminatum cum argento vivo amalgamatum, cum floribus ſulphuris calcinatum, & à Spiritu vini accenſo in crocum purpureum redactum*, cujus part. 1. adde antecedentis materiæ rubræ part. ij. tere per integram horam ſuper marmore calido, & in igne circulari per tres horas, graduatim cementa & calcina, idque ter repetendo, *affunde denique Sp. vin. rectificatiſſ.* ad ſuper eminentiam trium digitorum, digere in leni calore per 6. dies, & extrahe rubed. omnem, hancque in phiola hermetice ſigillata per 40. dies, circula in aurum potabile.

Vel Rec. *Aurum ſuo ſpiritu adhuc dotatum*, è minera ſeparatum, non per ignem, nec Mercurium, ſed malleum, nec aëri, nec calori expoſitum, ſed in veſica probe clauſa ad laborator. delatum, limatum, ſed ne incaleſcat, deſtilla in retorta vitrea cum collo anguſto incorvato duar. ſpitamar longitud. bene lutata cnm recipiente ex arena, ut eliciatur ſpir. vel fumus albus cum guttulis, refrigerato vaſe ſtatim exime cum penna, vel inſtrumento aureo ne ſolvatur, ex Marca auri habentur circiter drach. 5. Remanens aur. per antimon. purgat. ſine damno bonum eſt, vel ad fermentum uſurpari poteſt. Spiritum reſervatum a. in phiola hermetice ſigillata per 6. hebdomadas ignisque gradus fixabis in Mercurium philoſophorum rubrum, dulciſſimum cui adde mercurii virginei è minera part. vj. ad part. j. coque in ovo Philoſophico ad tertiam vel quartam partem vacuo, bene ſigillato, in rubed. extrahe cum Sp. vin. abſtrahe ad gummatis conſiſtentiam, cujus pars j. convertit part. x. auri in tinĉturam, quæ multiplicatur ante fermentationem cum auro, ſi primo novus Mercurius virgineus addatur, utraque coagulentur, extrahantur cum ſpir. vini, & denique ſuper aurum projiciantur. Vel

Rec. *Sacchari candidi electi, ſalis albiſſimi exſiccati* ana. q. v. affunde *ſpir. vin. ter rectificati* ad eminentiam trium digitorum, putre-

putrefac in leni Balneo, per octo dies, quotidie ter, vel 4. circumagitando, deinde ſingulis liberis pulverum ſuperiorum adde tantum ſilicum alb. in furno laterum calcinat. deſtilla primo ſpirit. vini, 2. fortius ſpiritus reliquos, qui ſolvunt laminas, vel calcem auri, prius per 6. horas candefact. non autem liquat circul. per 14. dies deſtilla per alembic. ſang coloris.

ERPERIMENTUM XIV.

REcipe *tartarum alb. calcinat.* extrahe ſal, purifica, clarifica, ut fiat tanquam cryſtalli pellucidiſſimi, *cum quo acue vini proprium ſpiritum*, & eodem ſolve Solem ac Lunam, vel

Rec. *Sal Tartari puriſſimum abſtrahe* 1. *acetum deſtillatum*: 2. *ſpir. vin. intercedente ſemper digeſtione triduana*, idque repete per 50. vices, donec omnia affuſa in priſtino ſapore redeant, & *ſal Tartari fiat volatilis* cujus part. 1. adde aquæ mercurialis per inſtrumentum ferreum præparatæ p. iij. deſtilla in cucurbitula uſque dum uniantur. Vel

Rec. *Sal tartar. albiſſ.* miſce *cum pulv. carbon.* deſtilla, reliquum ſal iterum miſce cum pulvere carbonum, deſtilla idque tamdiu repete, donec totum ſal tartari vertatur in oleum Salis. Vel

Rec. *Sal Tartari ex cineribus ſarmentorum virium elixiviatum*, & prima vice coctum, aut coagulatum ſuſpende ex ſacco in cella ſuper vitrum amplum, c. charta filtratoria, fiat oleum purgatum, lava filtrationes & ſolutiones cum aqua, coagula, & candefac in tigillo, pulveriſa in mortario calefacto, & loco fervido, affunde oleum deſtillatam aliquod, miſce optime q. ſal imbibere poteſt, ad conſiſtentiam tamen melleam, in cucurbita integra, non abſciſſa, cui phiola inſerta, & bene allutata ſit, digere 10. 15. hebdomadas, deſtilla gradatim, per retortam, quod remanet, ei iterum affunde oleum nov. diger. deſtill. ſic primo exit oleum ſplendidum, ſecundò flavum, ubi mutandum receptaculum. Vel

Rec. *Sal Tartari puriſſ. abſtrahe ab eo acetum deſtillatum toties, donec cum priſtina aciditate redeat.* Sal commun. in fundo alembici,

auctiore

auctiore igne arenæ, colliqueſcat, frigidum aëri exponatur, ſolvatur, coaguletur, vel per reiteratas ſolutiones c. aqua, aut. *Sp. Vini* purgetur eique aur. uniatur.

EXPERIMENTUM XV.

℞. *Urinam hominis ſani vinum bibentis, extrahe ſal microcoſmicum centraliſſimum*, & cum eodem ſpiritum vini acue, qui aurum in momento reſolvit.

℞. *Spir. urinæ, & eundem ſuper proprio ſuo ſale fixo toties rectifica*, cohobando, donec omnia uniantur, & volatilia reddantur, qui aurum ſolvit radicaliter, ut per alembicum ſimul quoque aſcendat.

℞. *Urinam putrificatam*, deſtilla tertiam partem, quam ſerva ſeorſim, *phlegma reſiduum abſtrahe ad ſiccitatem relictæ picis*, quod etiam ſerva, partem illam primam deſtilla per phiolam longi colli, ut aſcendat ſpiritus purus, relicto phlegmate, quod adde huic priori. Spiritum v. affunde materiæ piceæ, pone in digeſtionem, donec extrahat rubedinem, deſtilla ultimo fortiter, & exibit anima in ſpiritum inſtar eſſentiæ ſolis, quam bis rectifica ad pulchram claritatem, ſuper reliquo capite mortuo non calcinato cohoba vigeſies phlegma, ut fiat ſal purum, affunde ſpiritus ana, ſed in octo partes diviſi, & ſucceſſive octies cum illo coagulati, hunc ſpiritum urinæ coagulatum ſublima in ſal pellucidum, ſolve iterum in duabus partibus ſui rectificati ſpiritus, & auro extrahet quintam eſſentiam vegetativam.

EXPERIMENTUM XVI.

℞. *Cryſtallorum ſalis dulcium* drach. j. ſolve in oleo ſalis, & ſerva. Rec. *Mercurii ſublimati* drach. iij. ſolve etiam in oleo ſalis, & ſerva. Rec. *Auri puriſſimi* drach. j. ſolve in oleo ſalis, deinde omnes ſolutiones ſeorſim factas miſce, pone in cucurbita vitrea, ſuperlutato alembico, per 2. dies ac noctes, per arenam, lento igne deſtilla, ultimo ſublimationis igne, tunc aurum ſublimabitur rubicundiſſimi coloris, quod à reliquo ſublimato ſeparandum, & fæces in fundo nullius valoris abjiciendæ.

Rec. *Aceti optimi* menſuras duas, injice *Salis Hallenſis* manipulos duos, deſtilla uſque ad impuram nigredinem, tunc remove receptaculum, & denuo injice ſalis manipul. unum, deſtilla, idque ter. Clari menſuram unam effunde, affunde ſalis-Hallenſis lib. iij. & bene lutata in arena exſiccentur, cujus drach. iij. miſce cum novi ſalis lib. iij. deſtilla in vitrea retorta, per primum diem leniter, per ſecundum fortius, ne tamen ſal fluat, in præfixum receptaculum; & cum aqua deſtillata communi, ut exeat 1. Spiritus cum ſublimato, qui commiſceantur, 2. acetum ſeorſim colligendum, 3. Oleum etiam ſeorſim. Primum iterum deſtilla, per cineres, in cucurbita vitrea cum alembico, collige 1. aquam dulcem, 2. acetum, 3. oleum. Ex prima aqua dulci fiant cryſtalli quarum unc. ſſ. addatur ad ſoluti auri unc. ſſ. in olei ſalis volatilis unc. iij. ſſ. & ſimul coagulentur in phiola, donec figantur.

EXPERIMENTUM XVII.

REcipe *Spir. mundi catholicum*, ſolve aurum laminatum puriſſimum, ſtent per noctem, filtra in Phiolam, ſigilla hermetice, pone in Athanoris globum interiorem, per 40. aut 45. dies, deinde peracta putrefactione, ut cauda pavonis appareat, per 50. dies in cineres, ut albeſcat, per 50. alios dies in arenam, continua adhuc, per 30. aut 50. dies donec flaveſcat, demum da ignem quarti gradus, ut rubeſcat, & in medio granum inſtar piſi, quod auri ſemen eſt, appareat, cui adde 10. partes ſpiritus catholici, & procede ut prius, donec fluat inſtar ceræ, nec amplius fumet. Multiplicatur porro hoc modo: quando rubei fixi pars j. cum ſp. partibus 10. unitur, & excoquitur, ſecunda, vel etiam tertia vice ante projectionem aurum fluet in crucibulo, & addito pulvere reddatur friabile. Sic tinget mercurium, ſed non amplius poteſt multiplicari. Reſervandum igitur eſt aliquid pulveris ante fermentationem c. auro ad medicinam: recipe lapidis ſcrup. j. ſpiritus vini onc. ij. reſolve. Doſis gutt. 2. ad 4. in appropriato vehiculo, vel Rec. tres partes volatiles hominis, vini ac auri, conjunge cum tribus fixis partibus hominis, vini ac auri, fiat lapis fermentandus cum auro vulgari, & multiplicandus cum proprio ſuo ſanguine.

Experi-

Experimentis hiſce jungo *Cl. Clauderi Proceſſum*, conficiendi *Tincturam Univerſalem*, utpote cum ex vero Univerſalis fundamento eum procedere ſanctè teſtetur; cum vero longis ambagibus demonſtraſſet Materiam Tincturæ dictæ neceſſariò debere componi, tanquam Principiis ſuis Eſſentialibus, *è ſale volatili, æthereo, & ſale fixo terræ per amicam fermentationem unitis*, clareſcere ait, *illos omnes qui duas haſce partes non conjunxerint legitimè*, ſed vel in parte Volatiliori, vel fixiori ſola, meditationes ac labores ſuos impenderint, *propria ſua culpa verum ſcopum haud attigiſſe*, quisquis etiam fuerit ille, ſpiritum Aſtralem capiendi modus. &c.

Diſtinguit verò laborem in partem ejus priorem, & poſteriorem: Prior ait, in hoc conſiſtit.

Menſe Septembri circa Æquinoctium Autumnale Sole libram ingrediente, paretur Fovea, aliquot ulnas pro tuo lubitu longa & lata, duas autem ulnas, vel ad ſummum tres, profunda, ſub dio, aut in loco aëri libero, expoſito, verſus Orientem vergens; Si verſus occidentem huic collis eſſet oppoſitus, eo foret commodius.

Dicta fovea eodem tempore *impleatur terrâ limoſâ pingui, è nigredine rubeſcente, fœcunda, nitroſâ, ſalinis nitri atomis turgidâ, qualis pro Nitri excoctione adhibetur*; Vel & fertili illa, quæ pro agris fœcundandis in uſu eſt, & marga, Märgel audit, &c. *aut terra illa flava* ſi obtineri poterit, *quæ circa & ſupra Auri Mineram in Hungaria, Tranſylvania aut alibi reperitur.* Æqualiter verò repleatur fovea, Terrâ hâc, ne ſuper foveam protuberet; Aqua namque pluvialis affluens & elabens, ſimul terram ſale volatili aëris impræ̨gnatam, ſua efficacia privaret.

Hæc autem non profundius effodiatur ac Ulnæ longitudo penetrat,

trat, ac prius ſeparatis ſuperius gramine, ſimilibusque ſcoriis ſuperfluis. Locus autem liber ſit à brutorum aditu, muniaturque ab aliis impuritatibus, ut ita eo felicius & facilius influxu Aſtrorum, ut & ſucceſſivè modo per rorem, modo per pluviam & nivem, toto ſemeſtri hyemali fertilis reddatur, *ac ſale volatili aeris largius impræg netur*; Poſtea circa inſequens Æquinoctium Vernale, *Menſe Martio*, vel etiam *Menſe Aprili*, aut *Majo*, prout nimirum temperies aëris eſt fœcunda, & ſerena, aliæque conſtellationes coincidunt laudabiles, (*tales enim circumſtantias plurimum conferre, ac neceſſarias eſſe operi, fatetur Experientia verorum Chymiatrorum*) Terra deſcripta eruatur è fovea, *in patinis largis, & vaſculis latis, non adeò profundis*, tempore nocturno exponatur aëri libero, radiisque Lunaribus; muniatur tamen tecto à pluvia, (quamvis enim hæc ipſa aliâs ſit aliquale vehiculum *Spiritus Mundi*, hic tamen tenuitate ſua aquoſa diluit, & diſſolvit illum extraordinariè, & largius in ſubjectum hoc optimè capax influentem) inter diu verò ac cœlo tempeſtuoſo, ac flantibus ventis violentioribus, ſal illud ſumme tenerum, & ſenſibile diſſipantibus removeatur.

Expoſitio autem hæc continuetur, ita ad minimum ſex ſeptimanis, vel aliquot menſibus, præcipuè usque dum præterierit Solſtitium æſtivum, atque Sol Leonem fuerit ingreſſus. Ubi monitum volo, quicunque pyrotechnorum operationem hancce audet maturare, eandem incipiat Menſe Martio, ſtatim è Terra eruta materia, licet per hyemen non digeſta, præparata, ac imprægnata fuerit: Quamvis digeſtio notata hyemalis, longè præferenda magisque commendanda; Adhæc ſi poſſibile eſt, *dicta terra ante effuſionem per tres ſeptimanas pluvia non tangatur*, cum eadem glutinoſum terræ corpus liquidius reddat ne tam copioſe huic inhærere poſſit æthæreus ille hoſpes ad opus ſumme arduum, præcipuè temporibus illis Anni Balſamicis, & quod cardo rei eſt, *Cælo exiſtente pluvioſo ſpiritus Mundi non poterit communicari purus*, ſed vaporibus craſſis terreſtribus elevatis eſt coinquinatus.

Tunc recipe *Terræ hujus ita ſale aſtrali volatili, & centrali*

trali terræ fixo, uberrimè fœcundæ redditæ, aliquam partem; (poteris laborem in aliquot vasis simul instituere, pro majori copia acquirenda) *destilla per retortam vitream optime lutatam* (terream enim, præprimis non lutatam pars volatilior potior penetrat, ac avolat) igne primum leniori, nec ultimo etiam fortius aucto, spiritum vel partem volatilem materiæ nostræ. *Destillatum iterum affunde residuo*, stet ita in vitro benè munito pro circulatione, fermentatione, resolutione, melioreque unione promovenda, in leni digestione per sex & plures septimanas; tunc denuò destilletur spiritus, modo jam dicto, denuò affundatur residuo, stetque ita per tempus; & hoc aliquoties repetatur, *ut sal volatile, salis fixi partem volatiliset.*

Postea *spiritus septem vicibus* in Balneo Maris per alembicum *rectificetur*, ut per repetitas hasce cohobationes liberetur, ab omni heterogenea ac inutili aquositate, insimulque secum super alembicum ducat partem salis fixi volatilisati, per repetitas circulationes cum parte volatili amicè conjuncti.

In residuo *capite mortuo*, cum lateat adhuc bona portio salis fixi, *hoc elixivietur phlegmate proprio*, in spiritus destillatione, & rectificatione separato (nihil enim heterogenei misceri debet materia nostræ, cum jam dum in se contineat omnia sibi necessaria) sal inde evaporatione præparetur, quòt per sæpius repetitam solutionem & coagulationem dicto phlegmate proprio factam, ac in summam puritatem, & albedinem crystallisetur: id quod plerumque demum post vigesimam operationem solutionis perficietur.

Tunc spiritus rectificatus & sal crystallinum denuò uniantur pondere vel proportione philosophica; quæ consistit in hoc, quod fixum recipat de volatili quantum desiderat, vel necesse habet, quod in superfusione lenior strepitus ortus docet; *Ut plurimum tamen requiruntur spiritus volatilis partes decem ad salis fixi partem unam.*

Hanc igitur proportione misceantur spiritus & sal; immittantur retortæ vitreæ optimè lutatæ, (terream enim, ceu dictum antea, præprimis non lutatam, pars potior volatilior penetrat, ac avolat) destilla observatis benè ignis gradibus; *nisi enim antiquum illud festina lentè*

obſervaveris, *experieris*, *quam fragile ſit vitrum*, quam fallax tua expectatio, quam irritus tuus labor; Ultimò tamen ſemper ignis fortius eſt augendus, juxta leges quarti gradus.

Deſtillatum iterum ſuperfundatur reſiduo, poſtquam aliquandiu ſteterit, denuò in nova retorta vitrea benè lutata deſtilletur, *& hoc toties repetatur*, *uſque dum prodierit liquor lacteus pinguis*, *in frigido coagulabilis*, *in calido liquabilis*, *veluti butyrum*; quod ut plurimum ſextâ vel ſeptimâ accidit deſtillatione. Dictus hic liquor aliquoties adhuc, itidem eſt rectificandus pro meliori volatilis & fixi unione. Atque hæc dum abſolviſti, *anteriorem*, eumque laborioſiorem *operationis partem abſolviſti*; obtineſque *verum Aurum philoſophicum* adhuc tamen immaturum.

Priori huic Parti tandem *ſuccedit Pars Poſterior*; Pars poſterior dico, quæ eo magis grata, cum laboris tam tædioſi, tam deſideratiſſimi finem afferat, eò magis quoque grata, cum in hoc ceſſent graves, moleſtæque operationes, eidemque leni modo digeſtione, longiori otio, ac patientia ultima imponatur manus.

Poſtquam igitur dicto modo per crebrius repetitas digeſtiones, ſolutiones, rectificationes, ſcoriæ ac impuritates è materiâ remotæ; poſtquam principia decenter depurata, conjuncta, pars volatilis fixata, & fixa volatiliſata, reſtat *ut blanda circulatione in catholicam illam Tincturam traducantur*, *& in veram quintam Eſſentiam concentrentur.*

Propterea dicti liquoris portio immittatur phiolæ vel cucurbitæ parvæ ut tertia ejus pars ſaltem repleatur, *vitrum Hermeticè & cautè ſigillatum imponatur cineribus*, *vel arenæ* (alius præponit Balneum vaporis, vel etiam Maris; de quibus plura paulo inferius, ubi de ignis agitur regimine) *digerantur ita leniore ignis gradu*, & videbis Materiam incluſam miris gyris aſcendere, deſcendere, elevari, deprimi, & ex circumgyratione penitiorem atomorum volatilium & fixarum unionem & combinationem concludes; *donec pededentim & ſucceſſivè materia colore nigro imbuatur*; quod *caput corvi vocitant* chymici.

Mirandum ſanè eſt, quomodo materia tam diu, tàm curioſè & laborioſè, tam diverſis modis depurata nigreſcat, & videtur excrementi-

mentitiis adhuc ſcatere impuritatibus, aut tales fœces deponere: quod ideò hic monitum volui, ne quidam per hoc ſibi imponi patiantur; *ſed ſciant colorem hunc eſſe vere philoſophicum.*

Cum ad nigredinem ita labore tuo pertigeris; *expectanda erit poſtea albedo, & ultimò rubedo pellucida*, licet colores alii quaſi intercalares interveniant illas v. g. Poſt nigredinem apparent figuræ variegatæ, quam *caudam pavonis*, vel *iridem* vocant; poſt albedinem verò *flavedo.*

Apparente ita per tempus veluti dictum, *reali & perfectâ nigredine, modicè augeas ignem tuum*, huc uſque valdè modeſtum, & oculos tuos exhilarabit lentè oriens pulcherrima illa iris, vel Pavonis cauda, paulatim degenerans in Terram albiſſimam quaſi foliatam, ſcintillis argenteis per vitrum radiantem.

Conſpectus hicce *Cygneus color, oſtendit & offert tibi perfectam Tincturam* vel *Elixir album*, quod quamvis non ſit plenaria *Tinctura Univerſalis*, tamen unum vel alterum hujus granum, virtute quodammodo generali morbis omnibus medetur, ac impuriora metalla in veram Lunam convertit.

Poſtquam tibi licuerit eſſe tam felici, hæc ita abſolvere, *tunc iterum paululum exalta ignis gradum, cautiſſima tamen, & parca ſemper manu*, & ſucceſſivè *gratiſſima illa albedo* per varios colores, præprimis flavedinem, in fine crocatam, vel è flavo rubeſcentem, *ultimo adipiſcetur perfectionis ſuæ gradum*, nimirum *rubedinem*, dum pedetentim, & lento modo ſeſe materia transformat in granum, vel corpuſculum globoſum rubiniformè pellucidum.

Hoc eſt illud conſummatum rerum Phyſicarum omnium myſterium, veriſſimum rerum quarumlibet medicamentoſarum centrum: Cujus incomparabilis efficacia, tam in ſanitate præſente conſervanda, ac amiſſa reſtituenda, quam in metallis ignobilioribus magis nobilitandis, ac in Aurum conſtanter transmutandis patet.

Quantum temporis requiratur, antequam *Fortunatarum harum Inſularum* Portum tangere liceat, tam accuratè definiri non poteſt, cum antecedens, eaque laborioſior operis pars citius ab uno, quam ab altero

altero absolvatur. Varietas enim operationum in depuratione, digestione, crystallisatione, &c. laborem aut prolongare aut abbreviare valet.

In Posterioris verò partis negotio, moderata nimirum digestione, itidem operator alter, altero est peritior, imò felicior *mediante ignis regimine*; *in quo cardo rei consistit.* Cautus tamen & expertus, & ita simul patiens Pyrotechnus non adeò facile errare poterit, si modò certam & orthodoxam sibi præfigat regulam; mutationem colorum depictam in materia inclusa conspectui sese offerentium.

Quam diu enim vel planè non, vel non diu perfecta adest Nigredo, tamdiu requiritur ignis summè lenis: Colore autem dicto apparente, *augendus est paulatim ignis* donec albedo accesserit, & discesserit: Tunc iterum modicè ignis est augendus (*cavebis tamen ne quid nimis*) usque dum illuxerit desideratissima illa rubedo, & tunc continuandus est per temporis spatium calor; Quo diutius enim digeritur vel circulatur materia, eò maturior, eo perfectior certissimè Tibi erit expectanda Tinctura. Quandocunque enim admodum lenis adhibetur saltem tepor, necessaria partium volatilium, & fixarum mixtura, tardiore quoque motu ad suam perfectionem, ad suum finem tendit; *Si verò junctò celerius ignem augeas, materia* contenta molliori ac delicatiori iuhians tractationi, *vitrum rumpit*, atque ita laboris præcocem, & infaustam facit periodum.

Fassus mihi est (pergit *Cl. Clauderus* in suo *de Tinctura Universali* perdocto tractatu p. 240.) Chymiater Celeberrimus sanctâ fide, quod magni Principis jussu ac sumtibus, aliquot annorum spatio Philosophiæ Pyrotechnicæ incubuerit, ac tandem primicerium hoc opus chymicum fuerit aggressus alacri mente, & manu indefessâ. Postquam autem ad duos annos, & quod excurrit, huic methodicè insudaverit, ac jam dum ex albedine tantum non perfectâ, per vitrum radios lunares spargente, maximam optati eventus spem conceperit, una vice improviso fortasse ob ignem paulo fortius auctum, vitrum penitus disruptum, in causa fuisse, quod loco præmii, præter olei operæque perditionem nihil reportaverit.

Proin-

Proinde illa loquendi formula', dum *posteriorem hujus operis partem, opus mulierum, & ludum puerorum vocitant*, cum grano salis intelligi debet nimirum hic non requiri adeò difficiles encheireses, ac tædiosas diversitates, sed *solummodò necesse esse ut longinquâ morâ, otio, ac lenta patientia, moderati caloris beneficio absolvatur*; præcipuè cum modò præmissa doceant, accurate tractandum esse ignem. Sic ex ore Magni chymici Tincturæ elaborationi incumbentis, percepi, ipsum *carbones fornaci injiciendos partim humectare*, ne præcipiti flamma incensi, inopinatum & tristem causentur effectum; domicilio vitreo raræ illius avis impatientis dissiliente.

In Magni cujusdam Principis laboratorio sic procedebatur: *phiola vel cucurbita parva*, ad quartæ suæ partis repletionem oneratâ, Tincturæ materiâ, continuandæ posteriori laboris parti destinatâ, & mixtâ, *immittatur pixidi ligneæ*, pro phiolæ figura tornatæ; hæc imponatur ita tripodi ferreo, qui reponantur in Balneum Maris cupreum, duas ulnas altum; Huic infundatur aqua, duos tamen digitos profundius, quam ut pixidem ligneam tangat. Tepefiat hæc aqua, tam leni tamen ignis servato gradu, ut sit analogus ovo cui gallina incubat.

Quidam in hisce Naturæ summis arcanis optimè exercitatus mihi aperiebat *loco magni secreti, sese solum uti igne ellychny, vel lampadis*, modesta olei affusione nutrito, ne ab atomis carbonum penetrantibus aliquid heterogenei, cujus est plane impatiens, accedat.

Porrò, etsi materia Tincturæ, in se omnia contineat, quæ pro acquirenda sua perfectione sunt necessaria, neque alieni quiddam eidem admisceri debeat; non possum tamen, pergit *Cl. Clauderus*, hic silentio præterire, haud absurdè, vel contra Artis fundamenta *Aurum* aut *Argentum* vulgare & perfectum *aliquando addi solere & posse*; Cum per hæc nobiliora metalla ob syncretismum & analogiam, quam habent cum superioribus labor citius ad finem desideratum perducatur.

Cuicunque igitur non libuerit modo traditâ methodo juxta sua principia sola tractare & per circulum philosophicum, uti

loquuntur, *ille non adeò aberrabit* à vera ſemita, *ſi juſto tempore, ac modo addiderit Aurum vel Argentum* vulgare vel perfectum.

Cum hâc additione autem ita eſt procedendum; nimirum poſtquam abſoluta priore operis parte aggreſſurus es poſteriorem longinquâ illa, tarda & patienti digeſtione perficiendam; tunc *partibus decem materiæ dictæ Univerſalis* admiſce *partes duas Argenti*, ſi ſaltem Tincturam albam, *totidem verò Auri*, ſi Tincturam rubram, vel opus abſolutiſſimum deſideras (debent verò ſumi *Sol* vel *Luna puriſſima, vel in pulverem aut crocum redacta*; quo melius enim antea eadem ſunt reſoluta, eo citius materiæ ſeſe uniunt. Commodior *Auri Crocus* habetur, dum hoc *cum Antimonio purificatum, amalgametur cum Mercurio*, hinc ſuperfundatur *ſpir. vini* ſummè rectificatus, *qui evaporetur, vel deſtilletur aliquoties*, & fiet pulvis optimè levis, tenuis & poroſus.

Factâ hâc materiæ & Auri commiſtione, progredere in proceſſu tuo, lentè feſtinando, & ſi forte Aurum aut Argentum prima vice haud integrè materiæ Univerſali fuerit commixtum, tunc *adde denuò materiæ hujus portionem Auro*, & aliquot ſeptimanis vel menſibus illa tractes, & unientur ſucceſſive juxta tuum deſiderium.

Augmentationem Tincturæ quod concernit, fatetur quidem Cl. *Clauderus* ſe ipſum quidem de veritate experimenti teſtari haud poſſe, nihilominus tamen de hujus praxi inſtituenda curioſis ſubjungit, quæ quidam curioſorum chymicorum ſibi fideliter ſignificavit ac ita procedere juſſit, nimirum, *capias Tincturæ tuæ rubiniformis pellucidæ partem unam*, huic adde denuò *liquoris illius lactei butyroſi*, finita prima operis parte confecti, *partes decem*, ſigillentur Hermeticè, digeranturque per unam alteramque ſeptimanam, ſolitis illis lenioribus ignis gradibus, augendo tamen ſucceſſivè calorem, & quidem ultimò fortiſſimè atque ita maximè eſt fixatum, ac multiplicationi aptum. Hic labor ita aliquoties repetatur novi liquoris affuſione; & pervenies ad illum, multis incredibilem perfectionis gradum. Hujus pars una, ſi injicitur decem partibus Auri fluentis, hoc omne ſimile redditur Tincturæ injectæ pro exhibendis illis miraculoſis operationibus.

Atque

Atque ita possibili perspicuitate, necessariisque circumstantiis ingenuè orbi literato communicavi, post descriptam Tincturæ Universalis materiam, hujus quoque præparandi modum; utpotè quibus duobus, tota res innititur. Ecce ingenuam & sinceram optimi viri confessionem, qui adeò apertè, tanti arcani revelationem tibi obtrudit, non ignorans Deum T. O. M. sua Bona vendere labore indefesso, & licet cuilibet liceat legere & mirari miraculosa *Majestatici Dei opera*, tamen illos rogatos vult, ne manum aut mentem frivolam intempestivo ac impio scopo huic operi admoveant, ne si accidat eventus frustraneus, insperatus, jacturam temporis aurei, nummorum aureorum, ac famæ, non sine æternæ salutis periculo, propriæ pravæ concupiscentiæ adscribant.

Præterea credit, & tot experimentis confirmat, Deum, *Solem hunc* obscuris ignorantiæ tenebris & nubibus oppressum relinquere velle, neque cuilibet permittere adire Corinthum, etsi via sit trita & omninò cognita, cum Deus suis Adeptis saltem hæc reservarit Bona.

Ego arduis hisce me haud immisceo, sed Divinæ Directioni & indefesso operatoris labori hæc relinquo.

Interim cum tot experimenta testes nobis sint, viam hanc ad acquirendam Tincturam Universalem, non tam esse Universalem quam Universalissimam; aliis in hac parte Pyrotechniæ Philosophicæ magis versatis dijudicandum relinquimus.

Si tamen quis plures testes omni exceptione majores desideret, eis annectit nonnullos, arcanorum naturalium scrutatorum labores *Cl. Clauderus*, quos magni chymiæ Antistites instituerunt, etsi supremum Chymiæ culmen per Tincturæ acquisitionem non attigerint, vel etiam pars eorum illud attingere animum nunquam induxerint.

Primo verò loco ponit laborem ex ſpiritu vel *ex Aqua Aeris* ſequentem in modum, nimirum; *Menſe Martio Sole arietem ingrediente, vel etiam Menſe Aprili vel Majo, poſtquam per unam vel alteram ſeptimanam, pluvia terram non humectaverat, ſed ros ſaltem largè per 6. 8. aut 10. dies deſcenderat, præterita noctis meridie, inſtante aurora, & dum apparere incipiunt radii Solares, Terram pinguem & fœcundam, qualem ſupra deſcripſimus, defende aſſere vel ligno, ulnam unam cum dimidia longo, à radiis ſolaribus.*

In Aſſeris hujus medio ſit foramen rotundum, cui adcurate intrudatur, cucurbita vitrea ſatis capax, cujus orificium optimè ſit munitum, & circumligatum linteo, glutine piſcium (Hauſſblaſen) viſcoſum & tenax reddito; linteum foraminulis milii formibus ſit pervium; vitrum duorum digitorum latitudine per aſſerem tranſeat, ne terra eodem tangatur. Tunc ſpeculum cauſticum in aſſerem vel lignum, ſimilis latitudinis in medio ſtricte infigatur; ponatur è regione cucurbitæ ad diſtantiam unius palmæ. Speculum dictum radiis ſolaribus ita appone, ut hi per hoc penetrent ad cucurbitam.

Hoc ita continuatur tribus horis, & cucurbita incaleſcet, ſpiritusque Mundi è terra per lintei foraminula tranſibit in vitrum; aquoſitate exterius circa linteum hæſitante, (nam hujus gluten non permittit ut pars aquoſa ſimul tranſeat.

His peractis cucurbitæ remotæ orificium, optime claude linteo, uti nuperum glutinoſum, tamen non perforatum, ne evaporet fugitivus hic hoſpes. *Hoc modo ſpiritus Mundi ſingulis matutinis poterit capi*, donec neceſſaria tibi ſuppetierit copia; alio tamen ſemper in loco; *extrahitur enim eo circuitu Sal aëris volatile è Terra, quem aſſeris ambitus à ſplendore Solis defendit.*

Spiritus & ſal volatile circumſpectâ dexteritate, & cauto ignis regimine rectificentur, miſceanturque ſpiritui è ſale fixo Terræ ſeorſim igne aperto, & forti deſtillato; circulentur per tempus; paratumque inde eſt medicamentum rariſſimæ in morbis etiam periculoſiſſimis efficaciæ. *Ad Tincturæ tamen Univerſalis faſtigium penitus*

tus ascendere hæc mixtura non valuit, cum principia per mixtionem debitam antea non fuerint unita.

Quæ acutissimus KENELMUS DIGBÆUS *Tract. de immortalitate Animæ* refert; amicum sinceriſſimæ fidei ope vasorum vitreorum *collegisse radios Solis in pulverem fusci vel purpurei coloris præcipitatos*, illud ferè convenit cum præcedentibus; adhuc magis verò sequenti experimento, quod *Philosophus Pyrotechnus* pro rariſſimo habebat arcano. *Speculum nimirum rotundum Causticum optimè politum, ubi radii centrum concurrunt exponatur Soli, in libero aëre, maximo æstu fervente*; continuetur ita aliquot diebus, illud semper removendo, & circa centrum speculi adhærebit Sal nivei coloris, quod cultro abradatur in vitrum; per dies aliquot ita salis hujus mirabilis una vel altera uncia poterit colligi.

FRID. HOFFMANNUS, Clavis Pharmaceuticæ Schröderianæ lib. 3. cap. 3. p. 140. refert, famosiſſimum illum BURRHUM, & vice Colonellum KRANACH magnam aquæ Aëris copiam sibi comparasse *beneficio capaciſſimi cujusdam filtri vitrei*; cujus orificium inferius clausum glacie, vel aqua frigidiſſima, *nitro vel Sale Armoniaco* imbibita repleti, & radiis solaribus expositi, dum ad hujus exteriorem superficiem in Aëre catervatim natantes vapores delati in vitrum suppositum à Solis fervore immune destillarunt.

Alium pro Aëris captura & incrassatione modum describit *Medicus Italus, Clariſſimus, Fabritius Bartholettus*, in methodo sua ad Dyspnœam, dum per instrumentum vitreum ibi depictum, tubæ non adeo absimile, aëreum humorem attrahit, ac colligit, quem postea coagulat in crystallos, adfectibus Thoracis, aliisque apprimè utiles

Alius ita insidiabatur Aviculæ Hermetis: Sub tecto domus, vel in suprema contignatione, ponatur fornax chymica communis, cum capella, cineribus plena, hisce imponatur phiola magna; hujus collo intrudatur alius canalis vitreus, qui in inferiore sui parte habeat appendicem, veluti rostrum decurtatum alembici destillatorii. Canali dicto vitreo agglutina filtrum vitreum, cujus immissum foraminulum vix æquet magnitudine granum sinapi. Post mediam noctem ignis

lenior indatur fornaci, canalis cum ſuo filtro extendatur verſus orientem, per feneſtram, cætera optimè clauſam, ſtet ita, uſque dum Sol fuerit ortus, & vaſculum appendici illius canalis adnexum ſuſcepit bonam liquoris aurei partem, quæ effundatur aliquoties, novusque capiatur, ſervetur in vitro optimè munito.

Alii cum SENDIVOGIO, & JOH. STARICIO, hoc ut untur inſtrumento, Fiat vas Cupreum, retortæ deſtillatoriæ ſimile, poterit hoc conjungi è 2. 3. & 4. partibus. Orificium hujus ſit ſummè Strictum, *ut vix aciculæ aculeo tranſitus pateat* (juxta mentem *SENDIVOGII*) in parte inferiore adaptetur canalis cum ſuppoſito vaſculo recipiente; Unius palmæ latitudine ab hoc ſit canaliculus vel ſipho. In medio hujus inſtrumenti fiat margo vel retinaculum (ein Abſatz) cui imponitur *ſpongia magna, & ſuper hanc marmor vel ſilices in fornace figulina calcinati diſperguntur.* Deſcriptæ hujus machinæ orificium, emittatur per feneſtram, per canaliculum inferius accommodatum attrahe ore tuo aërem, hic enim ſeſe inſinuabit marmori calcinato; hoc communicabit illum ſpongiæ ſubjacenti, & ſic deſtillabit per canalem liquor aëreus in vas ſuppoſitum. *Hypocauſtum requiritur huic operi calefactum, & quo major in hoc calor; frigus verò quo exterius intenſius, ex antiperiſtaſi eò magis deſideratus tibi eſt ſperandus effectus.* Operatio quoque largior ſuccedit tempore nocturno, quam diurno, cum aër tunc denſior, magisque coagulatus.

An verò dictis modis omnibus, acquiſitus liquor Aëreus, adeo ſufficienter & debitè ſit imprægnatus genuino & puro *Mundi Spiritu*, judicent alii. *Proinde etiam neutiquam deſiderato potiantur fine Operatores Tincturæ Univerſalis acquiſitione*, præcipuè quoniam ipſis ſimul deficiat dimidia operis pars, *Sal Terræ fixum*, *Chalybs SENDIVOGII*, vel magnes philoſophicus.

His tamen non obſtantibus, *ex hâc aquâ, præprimis ſi temporibus balſamicis*, & juxta alias circumſtantias, parantur, laudabilis efficaciæ medicamenta, qua de re tecte, vel ſine modo elaborandi, agunt PETRUS JOH. FABER, NIETNERUS, FRID. HOFFMAN-

MANNUS, & plures alii. Sic quidam optimam famam ſibi comparabat ex hâc Aquâ compoſito medicamento ſequenti. *Captam Aquam per tempus collocabat in cellam pro putrefactione, hinc deſtillabat cautè per cucurbitam vitream deſtillatum ſuper reſiduum digerebat, poſtea rectificabat, prodeuntem liquorem, denuò affundebat capiti mortuo, ponebat in cellam*, & ſuccedebat egregia cryſtalliſatio; Cryſtallos exemtos diluebat aqua pluviali, quod variis morbis etiam contumaciſſimis feliciter exhibebat.

Labor ex Aqua Pluviali ſequentem in modum ſe habet. Menſe Martio circa Æquinoctium, vel etiam Aprili, aut Majo, *colligatur Aquæ Pluvialis, vel etiam Tonitrualis magna quantitas evaporet coctione continua, non tamen nimis forti, donec incipiat craſſeſcere, tunc deſtilla in cucurbita vitrea, uſque ad liquidiusculi extracti conſiſtentiam.* Tunc Terram aliquam pinguem & fœcundam, vel ſolarem, humecta dicto extracto, vel ſale, copioſa aqua pluviali diſſoluto, ut fiat maſſa craſſa. *Expone ita eam per duas ſeptimanas aëri*: Poſtea dicto modo iterum humecta, ſtet iterum per duas ſeptimanas, & hoc tertia ac quartâ vice. Poſtea deſtilla è cucurbita leni igne, & prodibit ſpiritus quaſi pinguis cum ſale volatili. Spiritum aliquoties cautè & lentè rectifica, cui à phlegmate libero miſceatur ſal ſuum volatile. *Ex capite mortuo elixivia ſal fixum aquâ pluviali*, hoc repetita depuratione, & coagulatione cryſtalliſetur. *Hujus pars una miſceatur cum partibus decem ſpiritus, ſale volatili impregnati*, adde *Croci auri* partem unam vel duas, digere leni igne, & circula, tali cautela ignem regendo, veluti paulo antea de via Univerſali monitum. Quo diutius ſteterit, & quo diligentius colitur, eo perfectius & generoſius *obtinetur arcanum Tincturæ Univerſali analogum* tam medicamentum, quam ad metallorum transmutationem idoneum.

Non minoris ponderis eſt labor è Rore; Utpote in cujus ſudoris cœleſtis phiſicam ventilationem, nonnulli ingenioſi Pyrotechni multum temporis impenderunt; *imprimis quod Rorem concernit majalem*, atque hoc non absque ratione, aut ſine artis fundamento, cum nec vulgus neget hunc eſſe quaſi quotidianum & ordinarium vehiculum *virtutis*

tutis illius Balſamicæ Ætherea, qua de re Sacræ Paginæ, & multi multorum autorum, libri ſolida afferunt teſtimonia.

Quamvis autem *Eſſentia Roris*, maximam partem conſiſtat *in ſale volatili aëreo*, nihilominus novi induſtrium Medicinæ Myſtam, qui inde extrahebat remedium mirabilem exhibens varios contra morbos opem, aliis fruſtra & infeliciter exhibitis, ſequenti modo.

Menſe Majo mane ante Solis ortum in agris triticiferis aut pratis, *colligi curabat rorem*, *non more ſolito per lintea* (cum hæc tenui poroſitate abſorbeant potiorem partem Balſami unctuoſi ſalini aurei) *ſed per patinas terreas*. Imponatur cellæ in vaſis vitreis per unam vel alteram ſeptimanam, ut fæces quodammodo deponat, tunc deſtilla in Maris Balneo, *cautiſſimo ignis regimine* aliâs certè ſpiritus vitrum rumpunt, ſale volatili magis gravidi, ad exitum ſtimulati. *Hi cum ſuo ſale volatili, repetita, eaque leniſſima rectificatione ſeparantur à ſuo phlegmate, ac in vitro optimè muniantur*, aliâs inde evolant in Auras, unde primò venerant.

Fæces à deſtillatione reſiduas calcina, & proprio phlegmate inde elice Sal Fixum. Spiritum dictum ſale volatili gravidum, ſali Fixo, per ſolutionem purificato, ſuperfunde, & ita in phiola per aliquot tempus, moderato calore circulando, in ſuam perfectionem exalta.

Mihi olim amicus inſignis chymiater, ſequentem concredebat ex Rore proceſſum: nimirum, colligatur quantitas *Materiæ Univerſalis ſive caudæ Pavonis*, quæ hinc inde ſtagnis innatare ſolet; & quidem *cochleari argenteo capiatur ejus ſufficiens quantitas.* Huic ſuperaffundatur *phlegma Roris Majalis*, ac leni per hyemem furni calore, cui prope pauliſper admoveatur, digere; ſic ſolvitur materia illa, & ad fundum præcipitatur colore albicante ad incarnatum vergente. Et quando ſic per hyemem ſufficientem hujus materiæ quantitatem confeciſti ac leni calore ſiccatam aſſervaſti.

Tunc collige itidem magnam Roris Majalis quantitatem ſuo tempore ſupra indigitato, immitte hanc cucurbitæ capaci, claude eam alembico cœco, ac per quatuor ſeptimanas pone in Balneo leniſſimo, ut putreſcat; Tum aperi vas, & impoſito alembiço alio cum recipiente, optimè

optime adlutato, *evoca ſpiritum leniſſimo ſimul igne, quali putrefeciſti*: ac ſpiritum, phlegmate ſimul prodeunte, acquires, quem tamen ſeorſim excipe; *Ex remanentia verò ſiccata leniter, ſal extrahe*, & quantum poſſibile purifica, & aſſerva.

Hoc facto *ſpiritum ſeorſim aſſervatum* immitte retortæ, *& ex igne lampadis rectifica*, ac ſaltem ſpirituoſiorem excipe partem, moderatiſſimo calore prodeuntem; *cui Sal probe purificatum adde.*

Tunc ſume *materiæ ſolaris* primo factæ & purificatæ partem unam, *Spiritus mercurialis cum ſale juncti*, partes ſeptem, immitte omnia ovo philoſophico, ſigilla hermeticè, & lampadis Furno impone, primis aliquot menſibus leniſſimo, ne ſentias ferè: poſtea aliquantum auge calorem, ac ita per gradus perge per duodecim menſes ad materiæ coagulationem & fixationem uſque. Tandem recipe *fixatæ hujus maſſæ partem unam, Auri per Antimonium quantum poſſibile purificati, & exaltati partes tres*; immitte pulverem Auro liquefacto, ac per tres dies & noctes in igne relinque, & habebis Tincturam ad metalla.

Alius Chymiater non infimi ſubſellii liquorem ſequentem è perfectis trium regnorum corporibus concentratum in ſecretis habebat. v. g.

Sumantur *Salis Mundi vel Aëris* ℥ij. *Salis Terræ* ℥j. *Salis Microcoſmi* ℥ß. *Salis Tartari* ʒij. Diſſolvantur *mediante ſpiritu vini optimè rectificato*; circulentur in cucurbita munita; poſtea deſtillentur, & deſcendet tandem liquor rubeus, easdem cum Auro potabili obtinens vires; cujus doſis ſunt grana decem, ad viginti. *Sal Mundi, vel Aeris ſequentem in modum fabricetur*, capias Terræ Lemniæ quantum vis, expone eam aeri libero, alto in loco, per aliquot ſeptimanas. Poſtea aqua Pluviali Sal extrahatur.

Parari itidem poteſt hoc Sal Terræ è Turffis, bituminoſa Batavorum Terra &c.

Nec ab his multum differt *Oleum Auri quod Schrôderus habet*, & aquæ innatat, ac ſequentem in modum paratur. *Elixivietur è Terra pingui* (v. g. marga) ſaporem ſalſum præ ſe ferente, ſuper quam creſcit trifolium, & ſimiles herbæ pingues, *non profunde in terra exiſtente*, ut ſic

ſpiritu Mundi eo melius ſit imprægnata : *Sal aqua pluviali martiali*, & evaporatione inſpiſſetur, ac purificetur, aliquoties ſolvendo.

Ex hoc Sale formentur globuli, cum terra pingui, deſtilleturque ſpiritus per retortam, & ſpiritus egreſſus rectificetur. Hinc elixivietur Sal è capite mortuo, *ejusque pars addatur ſpiritui rectificato.* Sic habes menſtruum, quod *ſolvit Aurum foliatum* ; *Spiritum dictum ſuperaffunde Auro foliato*, ſtet ita aliquandiu, ut ſolutio penitius peragatur, attrahaturque ſal ex aëre, (quo diutius ſtare permittitur eo melius eſt) *Tandem abſtrahe aliquoties ſpiritum vini rectificatum, modico Salis Urinæ volatilis acuatum, vel ſpiritu ſalis armoniaci*, ſtet ita aliquandiu, & menſtruum colorabitur, ac ſupernatabit Oleum rubicundum, quod per Balneum Maris abſtrahatur, & ſeparetur à menſtruo.

Si hæc operatio inſtituitur *Menſe Martio*, *ubi ſpiritus Mundi in macrocoſmo maximè viget, & vegetat*, erit eo efficacior. Doſis ſunt paucæ guttulæ, & cum Oleum ac ejus rubor nullo modò à menſtruo, ſed à radicaliter ſoluto Auro procedat, quilibet ſibi imaginari poterit efficaciam rariſſimam : hæc *Schröderus* ; qui hâc methodo quidem duriſſimi Auri repagula, modo pluribus incredibili reſolvit, ut potitus fuerit incomparabili remedio ; *attamen plenariè ad Tincturam Univerſalem haud aſcendit*, cum non omnes encheyreſes ſuperius de via Univerſali notatas obſervarit ; præcipuè verò plenaria unio, & influxus ſalis volatilis, cum ſale fixo Terræ haud acceſſerint.

Dantur porro adhuc variæ Auri Tincturæ, ſolutiones, vel extractiones, quæ quamvis firmiſſima illa Auri clauſtra penitus non penetraverint, tamen non ſunt omninò rejiciendæ, præcipuè *ſi participent de ſale fixo Terræ, vel de Volatili Aëris Sale* ; *unde Auro potabili ſunt affinia vel analoga* : quales *Tilemannus* ſupra in ſuis experimentis tradidit &c.

Varia alia menſtrua, vel magis aut minus in Aurum ſolvendum agere valentia, excogitarunt varii Dædali chymici. Sic non contemnendæ virtutis etiam eſt illa Tinctura ex *Croco Auri* ad mentem BASILII VALENTINI, mediante *oleo Cinamomi* extracta.

Beatus Doct. MICHAELIS modo notatum *Auri crocum extrahebat*

hebat ſpiritu è minera Saturni, hancque Tincturam ſæpiſſimè propinabat pro refocillante Archæi debilis ſolatio.

Illuſtris quidam chymicus magni æſtimabat *ſpiritum è pane optimè fermentato*, aliquoties cautè rectificatum, *poſtea Spiritu Vini alcoliſato mixtum & circulatum.* Efficacior tamen foret hic Spiritus Panis *rore majali, aut aquâ pluviali deſtillatus*, & ſummè rectificatus, *tunc verò radiis Solaribus, ac aeri expoſitus in vitro*, ubi poſt paucas horas limpidiſſimus ille ſpiritus, *rubini colorem* aſſumit; de qua re conſulendi *Anglus Celeberrimus* |*ROBERTUS FLUD*, & *JOH. TACK. in Chryſogonia Animali & Minerali* p. 76.

Præter haſce Tincturas Auri conficiendi modos, alii alios excogitarunt, quos tamen tam varios & diverſos hic recenſere abſtineo, pro complemento attamen adponam laborem, ad acquirendam *Tincturam* ſive *Lapidem Animalem*; quem *Cl. Clauderus* non de nihilo plane eſſe aſſerit, ac ſequentem in modum tradit.

Collige Urinam Puerorum, venerem non expertorum, 12. ad 15. annorum, *octoginta vel centum libras*, Sole exiſtente in Ariete: *putrefac in cella per duos Menſes*; Poſtea immittatur cucurbitæ vitreæ, ad tertiæ partis repletionem; *ac deſtilla ſpiritum leni igne*, uſque dum ſtriæ deſinant, remove hunc, & optimè muni, appoſito vero alio recipiente deſtillationem continua phlegmatis, igne per unum gradum aucto, quod itidem ſeorſim ſerva.

Liquorem ſic reſiduum effunde, *inde retortæ terreæ* appone recipiens, *deſtilla per gradus, uſque dum rubræ deſtillant guttæ*, auge ignem & prodibit oleum, magis exalta ignem, ut igniantur ultimo, pro capitis mortui calcinatione;

Hoc modo procede collectâ integrâ urinæ quantitate. Tunc *rectifica ſpiritus tuos per arenam in cucurbita leni igne*, ſpiritus & ſalia volatilia elicita conjungantur ſemper, & *rectificatio hæc repetatur ſepties, vel tam diu, donec fæces non remaneant*, ſed omne in ſpiritum & Sal volatile degeneraverit. Tunc *phlegmata reſervata etiam ſepties rectifica*; Semper removendo fæces reſiduas. Poſtea *è capite mortuo optimè calcinato extrahe phlegmate Sal Fixum*, hoc rectifica, ut fiat cryſtallinum, & in leni calore fluat, ac ita volatile ſit redditum; quod muniatur optimè ab aëre.

Tandem *remanentiæ, è quibus Sal extractum, calcinentur*, edulcorenturque adeo, ut fiat terra planè mortua & ficciſſima: Huic *affunde oleum tuum* (à quo quantum poſſibile ſeparetur phlegma reſiduum) mixta optime ex retorta deſtillentur per gradus, ultimò forti igne.

Oleum deſtillatum ſuperfunde, terræ cuidam bolari optimè calcinatæ, edulcoratæ & exiccatæ, procede deſtillando, uti jam factum, & quidem ſepties repetendo; *Semperque adhibendo novam terram*; & ita Oleum verè depuratur, ac fœtorem perdit. *Terras has conjunge, calcina per dimidiam horam*, ſuperfunde aquam puram, & hæc redditur cœrulea, hæc evaporet, & acquires Sal viride, quod *veneri aufert innatum ruborem* redditque *Lunæ analogam*, figurâ externâ.

Hoc ita peracto. *Sumantur Salis Fixi partes tres*, immittantur cucurbitæ optimè operculo munitæ, impone arenæ in capella, ſubmitte ignem lentum, & Sal reddetur fluidum adinſtar ceræ, tunc ſerva lenem hunc ignis gradum. *Poſtea cape Olei tui partem unam*, remoto cucurbitæ operculo, *infunde guttam unam hujus*, ſubitò clauſâ cucurbitâ, donec materia tumultuans pacata, *& Sal fixum abſorbſerit Oleum infuſum*, hoc ita continuetur ad plenariam olei conjunctionem, vel conſumtionem.

Dein accipe *Spiritus ſuperius dicti partes duas, inſtilla* ſucceſſivè & guttatim quaſi, *Sali Fixo*, uti jam de oleo dictum; Spiritibus omnibus infuſis ac in unam ſubſtantiam redactis, *ſigilletur vitrum Hermetice*. Tum hoc *impone Balneo* æquali ignis in gradu, donec incipiat rubeſcere; *hinc Balneo exemplum, imponatur cineribus* (cineres cum materia in vitro eandem habeant altitudinem) digeratur ita eodem calore, uſque dum appareat pulcherrima rubedo, *hinc impone arenæ*, ut hæc cucurbitæ corpus rotundum cooperiat; ſingulis tribus horis uno gradu exaltetur ignis, in quarto verò gradu ſervetur per 24. horas.

Atque ita Fixus & perfectus eſt Lapis, cujus tres guttæ, medentur omnibus morbis, & guttula una libram integram vini vel aquæ, ruberrimè tingit.

Huic Lapidi, ſi additur quarta pars Olei Auri, antequam vas ſigillatur ac per 48. horas ſummo ignis gradu foveatur, *evadit in Sal vel lapidem rubiniformem*, qui metalla omnia impura depurat.

Elixir

Elixir album poteris obtinere, si misceantur Spiritus dicti uncia dimidia *Salis Fixi* uncia una, *Olei Lunæ* uncia una cum dimidia, ac procedatur ceu jam de Elixire rubeo dictum; Sic acquiris non modo egregiam Tincturam pro ægrotorum solatio; Sed & *Saturnum*, *Venerem Jovem*, ac *Mercurium in Lunam* transmutantem, hæc CLAUDERUS.

Fatetur quidem ipse *Clarissimus hic Vir*, quod etsi modo recensiti processus à seipso maximam partem haud fuerint elaborati, nihilominus sanctâ testatur fide, quod à chymicorum seculi modo elabsi, Primatibus fuerint inventi aut elaborati, è quorum non tam manuscriptis, quam ore, & actuali conversatione, se ipsum plurima hausisse.

Plura addere paginarum angustia vetat, pro complementotamen adponam *Tincturam* illam *Solarem*, *Nephriticam*, alias ab AMELUNGO inventam & tantopere celebratam, vel huic apprimè similem à CLAUDERO *fideliter* communicatam. v. g.

Sumatur *Tartari albi.*
Nitri opt. purificati
Mineræ Antimonii
Silicum ♃*e Solari*, quo quidem plures sunt imbuti, *præditorum*, ana partes æquales.

Pulverisata & optimè mixta humectentur *aqua Roris Majalis* vel *pluviali*; *non tamen nimis largè*; aliâs obtines quidem Tincturam copiosiorem, sed ob virtutes magis dilutam non adeò efficacem, veluti eam parant avari nummi sugæ;

Serventur ita in loco temperato per aliquot septimanas, aut potius menses; (& quo diutius ita relinquuntur eo melior operatio erit expectanda, *cum Nitrum magis magisque resolvat*, *penetret*, *ac uniat reliqua*) *hinc destilla per retortam prout vocant*, *tubulatam* (Lipsiæ in laboratorio Dom. Doct. MICHELS cujus possessor postea fuit Dom. ZITTEMANNUS, huic operi accommodata conspicitur fornax, ubi huic loco capellæ adaptatum est vas ollæ ferè simile, in lateribus 2. 3. vel 4. canalibus præditum, quibus apponuntur vasa recipientia)

Huic prout dictum, ſucceſſivè per cochleaira injiciatur materia mixta, & ſtatim prodit Tinctura egregiè rubens; cujus doſis ſunt 30. 40. 50. & plures guttæ.

Exhibetur Tinctura hæc præſervationis ergò 2. 3. 4. vicibus in ſeptimana univerſalibus, ſi opus, præmiſſis: In ſanando verò vel depellendo aliquo *morbo ſcorbutico, hypochondriaco, Nephritico* &c. bis vel ter ſingulis diebus. Præter virtuoſam hancce efficaciam, oculos Tuos, paſcere poteris in manifeſta *illa ac perſeverante Tincturæ Rubedine ſimul per retortæ canalem prodeunte.*

Nec omittam hic illam Auri Tincturam, quam CL. CLAUDERUS *in ſua Balſamandi ratione* p. 201. communicat v. g.

℞. *Foliorum Auri finiſſimi, per Antimonium purificati*, q. l. ſive unciam unam; adde *Fuliginis ſplendentis è furno*, Uncias duas, terantur in mortario lapideo, per unum aut alterum diem; *& quo diutius continuatur tritura eo melius erit*, quia ſic incaleſcunt mixta, & ita *Sal Fuliginis potentius penetrat particulas Auri reſolvendas*, inſimulque *Sal Aëris* ab incaleſcentia attrahitur.

Poſtea ſuperaffundatur *Eſſentiæ è fuligine quam Alexipharmacam vocavi*, ad eminentiam duorum digitorum, in vitro probè clauſo, aliquoties agitando; maneant verò ita aliquot ſeptimanis, ut virtus ſalina ſeſe magis magisque uniat Auro reſoluto, ac illud abſorbeat; *Tunc addatur adhuc totidem Fuliginis pulveriſatæ ſplendentis* q. ſ. ad deglutiendam humiditatem. De hinc immittatur crucibulo optimè munito, imponaturque fornaci figulinæ, ut per violentum huncce, ac durum calcinationis actualis cuneum, durus ille & ferè *Gordius Solis nodus* aperiatur.

Exemptæ Maſſæ calcinatæ, affundatur denuò *Eſſentiæ Alexipharmacæ* q. ſ. ad eminentiam 2. vel 3. digitorum, relinquaturque ſic per tempus, *pro connubio eo firmiore ſtabiliendo*, & tandem filtretur per chartam.

Vires & uſum medicamenti hujus quod concernit, ea non modo ad præſervationem, una *& altera vice ſingulis ſeptimanis*, cuilibet ferè homini

homini poterit propinari, præcipuè literatis & qui ſunt complexionis debilioris ac *ubicunque ſanguis per meditationes, ac labores fatigatus ac ſpirituum fulcimento, orbatus nova indiget refocillatione*; ſed etiam in morbis plerisque ſuam confert operam, vel ſecurè poterit, imò debet, inter alia, cuivis adfectui accomodata remedia exhiberi, cum operatio conſiſtat in hoc, ut *partes ſpirituoſas, vulgò calidum innatum*, balſamico imbuat nutrimento, ſanguinemque per continuam circulationem, ſpirituoſa virtute depauperatum recenter imprægnet, atque ſic *Archæus novorum ſpirituum radiis illuſtratus*, cordi, reliquisque viſceribus vires deperditas reddat, indeque *Oeconomia Microcoſmi*, circulatio Maſſæ ſanguineæ legitimè ac ordinariè, ſarta tecta ſervetur.

Doſis hujus Tincturæ ſunt 12. ad 15. guttæ, & quidem aliquoties de die repetendæ, *ut ſucceſſiva ac lenta hâc irroratione* eo facilius deperditæ redeant vires. Pro ætatis diverſitate doſis minoranda. Et ſi libuerit *pro ſapore magis grato* conciliando, poterit miſceri *modicum ſpiritus roſarum*, vel *confectionis Alkermes completæ aut incompletæ*, pro ſexus tolerantia.

Porrò cum circa Tincturas Auri, hactenus fuerimus occupati lubet adjicere Proceſſum, quem FEBUR, Gallus, aliâs ſolertiſſimus chymiater, ad AURUM POTABILE conficiendum, in ſua chymia tradit. v. g.

℞. *Auri per Antimonium fuſi* & in tenues lamellas deducti ʒ ß. immittantur hæ cucurbitæ vitreæ, addanturque *Nitri puriſſimi Aluminis* ana. ʒ x. *Salis communis puriſſimi.* ʒ v. affunde his *Aquæ pluviæ deſtillatæ* ℔ v. tum vitro in arena poſito coquantur, donec omnia cum Auro ſoluta ſunt, *id quod color Aquæ flavus indicat*, neque Aurum in fundo reſidet, *tum ſenſim aquam exhalari, permitte ad ſiccitatem uſque*: ſic in fundo relinquitur *maſſa ſalina*, cum Auro in ea diſperſo, & dilatato.

Hanc Maſſam contere in pulverem, huncque phiolæ immitte, eique ſuperaffunde *Alcohol vini, ut tres latos digitos emineat*: Phiolam probè occluſam calore cinerum digere, & intra breve tempus, tres videlicet dies tingetur Spiritus: hic tinctus filtretur, & recens affundatur, ac

ut

ut ab initio digerantur : *Et labor hic ter vel quater reiteretur, donec nullum alcohol vini amplius tingi vult* ; quo facto omnem ſpiritum tinctum, & filtratum cucurbitæ recenti immitte, &in M. B. tres ſpiritus partes abſtrahe, *ſic in fundo remaneat Aurum Potabile factum, & in tantum recluſum*, ut corpori humano applicatum vires ſatis conſpicuas exſerat; id quod guſtus ſaltem denotare videtur, auſteritate aſtrictiva aliqualiter conſpicuus. *Doſis ejus eſt* à guttis v. ad x cum vehiculo idoneo *ciet ſudorem & urinam*, imo nonnunquam alvum ſollicitat &c.

Etſi verò hoc vel ſimile Aurum potabile, haud poteſt dici vera Auri rudicaliter recluſi Tinctura; tamen ſalia ingredientia cum ejus particulis & poris, talem partium nexum, ſitum & texturam formant, quæ humoribus noſtris ſingularem alterationem inducere & vires haud contemnendas exſerere apta facta ſunt. Cum enim Metallorum aliorum Salia ita dicta, vel pulveres, aut Tincturæ &c. v. g. ex marte, plumbo, &c. non absque ſingulari effectu morbis plurimis opponi ſoleant, etſi in priſtinum metallum omnino reduci queant; ſimili modo & reliquis Metallis, quovis modo, vel ſuperficialiter ſaltem ſolutis, haud omnem laudabilem effectum denegare poſſumus.

Alias & ſequens Aurum Potabile conficiendi modus haud erit omnino rejiciendus. v. g.

℞. *Salis urinæ volatilis* ex recenti urina inſpiſſata deſtillati, nec non *Salis Urinæ Fixi*, ex ejusdem Urinæ inſpiſſatæ, & in Sal volatile deſtillatæ, remanentia facti ana. ℥ iiij. *Spiritus Urinæ volatilis* ex urina prius putrefacta deſtillati & rectificati ℔ j. *Hæ commixta deſtillentur ex phiola, vel cucurbita præalta*, repetitis cohobiis, donec omnia probè unita aſcendant. *Spiritui hoc adde æquale pondus Spir. Vini rectificati & alcoliſati*, ac circulando uniantur: Sic paratum habebis menſtruum, mediante quo *ex rite facta Auri calce vel croco, extrahes Tincturam Auri non inefficacem, ſolventis ſaltem ratione*, quippe hoc in ſpirituum vel Nervorum aut cerebri morbis egregiam præſtat operam, Doſi gutt. xx. vel xxx. & ultra, cum vehiculo idoneo.

CHYMIÆ

CHYMIÆ EXPERIMENTALIS PARS ALTERA.

Quæ

MEDICAMENTA TAM Chymicâ arte fabrefacta quam & alia

Morbis curandis generaliter adaptare docet.

PROLEGOMENA

De Medicaminum poteſtatibus & operandi ratione.

COEca hâc in re caligo, noſtram adhuc dum tenet artem Medicam ; *Chymia* quidem *ocularem partium*, rem quandam *conſtituentium*, nobis *concedit contemplationem*, ſed eam negotium hoc noſtrum expedire poſſe, & eſſe normam juxta quam vires medicaminum inveniri debeant, ratio vetare videtur : Non etenim tam in partes ſimpliciores diſſolvuntur ejus beneficio corpora, quam transmutantur & transformantur rurſus conſtituentes particulæ, ut hinc quibus principiis ſingulares medicaminum vires tribui debeant, an iis mixto actu inexiſtentibus, an noviter transmutatis, generalesque rurſus qualitates aſſumentibus, remaneat dubium.

Helmont tractatu *Poteſtas medicaminum* §. 65. Chymica Medicamina artis potius quam naturæ vi nativa agere confirmat, eò quod illorum initia per ignem parta ac ſic immutata ſint.

Separat namque *inquit chymia fixa à non fixis*, quæ prima heterogeneorum eſt obvia ſequeſtratio : Non pauca etiam quæ antea volatilia erant fixat, & vice verſa.

Nos videmus, *Plantas tam ſalutares quam noxias*, tam calefacientes quam refrigerantes, ignis tortura præbere aquam, *ſpiritum*, *oleum*, *ſal volatile*, & *fixum*.

Animalia quæque cum ſuis partibus, utut diverſi aliàs & effectus & naturæ, per ignem omnia *in genere ſal volatile*, *ſpiritum*, & *oleum*

cum

cum ſale fixo fundunt. Interim in tot differentium animalium, & vegetabilium, & partium, tam volatili quam fixo ſale, ſpiritu &c. vires vix differentes invenimus, cum tamen ex tot diverſæ naturæ mixtis enata ſint, quæ verò ſi vires cujuscunque compoſiti & mixto adhuc inexiſtentes experiri vellemus, tot experimentis diverſitatem effectuum eſſent proditura.

His ergo artis productis mixti vires debere ortum, certò perſuaderi mihi haud patior.

Dantur ſcrupuloſi qui *ex aliqua, inter corporis humani partes, & medicaminis, ſimilitudine*, dum vegetabilia plurima partis hujus vel illius corporis humani, figuram & ſimilitudinem quandam gerere notantur, ratiocinium petere audent, *à Crollio* huc invitati, quando inquit: Herbæ quædam magicè per ſignaturam penitus introſpicientem alloquuntur Medicum, ſuaque interiora in occulto naturæ ſilentio addita ipſi per ſilentium manifeſtant.

Quam *levis verò hæc* ſit *virium* in vegetabilibus *indagatio*, Phaſeolus docere poterit, quid enim ferè quoad figuram externam renibus ſimilius, & verò vel nullius efficaciæ, aut uſus eſſe, in eorundem affectibus, liquidò conſtat: Niſi incineratione in ſal fixum eos redactos intelligere velis, ubi vero notandum, effectum tunc non tam ut ſali Phaſeoli, quam in genere ut ſali alcalico fixo adſcribendum venire.

Imò ſi hæc argumentandi ratio momentum veritatis haberet, Poma, cucurbita. Juglans, & varia ſimilia, hujus vel iſtius partis humani corporis figuram præſentantia, ſimili ſuæ corporis parti ſpecificè competere deberent, quam vilis vero hæc ſit argumentandi ratio, etiam Helmont in diſpenſatorio moderno teſtis erit.

Ex Odore item ac calore quidam *vires medicaminum metiri poſſe* ſibi perſuadent, quam conjecturaliter autem, ſanis notum.

Sapor tandem rem majori cum emolumento exhaurire poſſe *credibile* videtur quamplurimis, præprimis cum potiſſima medicaminis activitas in ſale fundata eſſe deprehendatur.

Sic *acidus* ſapor, *refrigerandi*, penetranter verò morſicans *ſalinus aperiendi*, *Terreus abſorbendi*: *Acerbus* verò & *auſterus*

adſtringendi poteſtate innata pollere, inter hodiernos receptum verè eſt.

In his tamen nullum acquieſcere debere Medicum, Hippocrates, lib. 2. de Diæta docet: Ejusdem etenim ſaporis ſubjecta, diſtinctis ſæpius viribus prædita eſſe, his exprimit verbis:

„ *Quicunque igitur, inquit, in ſumma dicere aggreſſi, aut de dul-*
„ *cium aut pinguium, aut ſalſorum, aut alterius cujusdam conſimilis fa-*
„ *cultate, non rectè judicant. Non enim eandem vim habent neque*
„ *dulcia inter ſe, neque amara, neque ulla aliqua ejusmodi, multa enim*
„ *ex talibus ſunt quæ & alvum, emolliunt, humectant, ſiccantque, ſimi-*
„ *liter & in reliquis ſunt quæ adſtringunt, item quæ alvum movent,*
„ *& urinam cient, ſunt quæ neutrum hoc faciunt.*

Pro majori intelligentia conſideres *Opium*, *Aloen*, *colocynthidem abſynthium*, *chamædrin*, *centaur. minus* &c. hæc guſtu explorata amaritudinem tibi dabunt haud longe differentem, cum interim magna in viribus eorundem ſit diſcrepantia, & multiplices eorundem effectus in corpore, quorum tamen ex guſtu hoc haberi poſſe augurium, vix credibile.

Denique *ſi ſapida ſolum*, medicamentoſa eſſent referta facultate, & viribus, *quid de inſipidis dicendum*, ea omni medicamentoſa vi deſtituta hinc eſſe concludi poſſet: ſed quantum hæc ſint erronea, vitrum antimonii, & mercurii docebunt ceu inſipida omnino, viribus interim maximis dotata.

Quid tandem erit id, tot & tantam in Medicaminibus differentem effectum exſerens? & quibus mediis hoc ab iis erui poſſe credis? Chymiam etſi aliâs excludi in hoc negotio haud debeat, rem haud abſolvere modo ſupra notavimus, cum omnes res per ignem transmutentur & alias formas ſuſcipiant à nativis ſuis planè differentes.

Sic ſaporem & huc ſpectantes tot differentes ſalium figuras, ſive ex cephalicis vel ſtomachicis, hepaticis, aut diureticis, & ſimilibus vegetabilibus, aut etiam tot differentibus animalibus emergentes,

gentes, omnia quoad vires à ſe invicem haud longe differrē audivimus, tam in fixis quam volatilibus.

Nec color, nec odor, aut figura rem expedire vidimus.

Quæ ergo Media, & quis modus, medicaminum nobis patefaciet vires? NULLUS SANE à PRIORI, à poſteriori verò EXPERIENTIA SOLA medicaminum detegit vires, & detexit hactenus.

Quid verò id principaliſſimum agens, quod tot & tantas differentes effectus denique edit? EST SOLA MILLIES MILLE VARIATA RERUM, ex tot diverſis, aquæ videlicet, terræ, ſalis, ſulfuris, ſpiritus &c. particulis combinata textura, ubi etiam minima hujus vel illius conſtituentis particula variata, & figuram, & vires, vel effectus immutat.

Hinc tot innumeræ Animalium, vegetabilium, Mineralium, imò omnium naturalium rerum, variatæ figuræ, vires & effectus.

Director & Præſes ſunt *Lux* & *Ideæ.*

Univerſalis motor Sol eſt, Lucis Sedes & Thronus, Hæc verò, Lux, ipſam Animam Mundi conſtituit.

Ideæ ſunt limites & tramites particularum variè inter ſe textarum, juxta quos Lux ſe movere tenetur.

Omnium continens corporeum Æther eſt, incomprehenſibilis expanſionis altitudo.

Ut ſingula hæc præter alia huc ſpectantia dilucidius quodammodo intelligi queant, lubet in propriam memoriam hæc paulò diffuſius pro ingenii modulo pertractare, & pauliſper hic percurrere ea quæ parte prima pluribus reperies.

Deum, omnium rerum primum principium, ex nihilo creaſſe. Sacræ nos docent paginæ:

Primum creatum erat Cœlum & Terra, ſive corpus mundi totius, non omni tamen ex parte perfectum, & exornatum, ſed rudis quædam & indigeſta moles, ex quibus omnia poſtmodum creata ſex dierum ſpatio produxit Altiſſimus.

Philoſophi in varias abeunt ſententias circa prima rerum prin-

cipia: *Galenici* quatuor elementa, *Paracelsistæ* suum Sal, sulfur, & mercurium: *Carteſius* horum loco primi, ſecundi, & tertii elementi particulas ſubſtituit. *Helmont unicam ſtatuit Aquam, rerùm omnium materiam primam.* Ego huc jungo Terram, ſalem, ſulfur &c. nec unicum modo, ſed plura ſimul concurrere, ad compoſiti cujusvis corporis texturam mihi nunc perſuadeo: Nec paſſivam ſolum hæc eſſe, ſed activa ſimul, credo, cum Lucem in ſe habeant abſconditam, quipe omnia hæc encheireſi artificioſa ex omni aqua ſeparari queunt, quæ aliàs ſimplici deſtillatione & exhalatione in ætherem, hæc ſecum trahit corpuſcula principitantia.

Intelligenda verò eſt *aqua ſimpliciter ſumpta*, & ut eſt apparenter talis, non verò à ſuis contentis particulis ſeparata, & in elementum ſimplex redacta, quemadmodum poſſibile arti eſt.

Erunt hic qui litem movebunt; quod cum Deus primo creavit Cœlum & Terram, cur hic aliam ponamus materiam, *aquam videlicet.*

Ut aliorum pace reſpondeam, credo Cœlum hic ſumi pro aquâ expandenda, Terram vero huic commixtam conſtituiſſe tenebras, in ſacris poſt cœlum & terram poſitas.

Aquam verò integræ maſſæ fuiſſe continens, ſubitò inſequentia *Spir. S. verba* innuere videntur, quæ *SPIRITUM DEI AQUIS INCUBISSE, expreſſe ponunt.*

Primò *Cæli & Terræ* fit mentio, & ſtatim poſt *aquarum*, quibus ſpiritus Dei incubebat:

Veriſimile ergò admodum *videtur*, hæc *omnia confuſam quandam denotare maſſam, ex quibus* poſtmodum *Altiſſimus depromſit & exornavit omnia:*

Nec inſequentia nobis abnuunt verba, quæ terræ ab aquâ ſeparationem expreſſe ponunt.

Videtur ergò confuſum hoc caos fluidam fuiſſe maſſam, ſive aquam, quæ tam cœlum ſua expanſione poſtmodum conſtituit, quam & terram, ſolidiores videlicet particulas, à luce ſive calore inſequente magis magisque

que condenſandas (ut variis tum inſervirent creandarum & perficiendarum rerum texturis) *in ſe continuit.*

Veritatem aſſertionis aquam videlicet primum eſſe rerum omnium principium, omnia corpora naturalia docebunt, *ex quo etenim quid conſtat in id reſolvi rurſus poſſe veriſſimus creditur canon.*

Hocque verum eſſe ſupra cum de alcaheſt ageremus ſufficienter audivimus: Requiritur tamen artis opus, quo omnia ſubter hoc jugum ſe trahi patiantur.

Quin imò *imperſcrutabilis aquæ eſſentia nobis primum aliquod eſſe quod nihil fuit ante creationem indicat.*

Videmus quidem aquam viſibile eſſe & palbabile corpus, *quid verò ſit in ſeipſo, nullus adhuc docuit.*

Conjecturaliter eſt infinita quaſi congeries minutiſſimarum atomorum, eſſentialiter indiviſibilium, ſpiraliter in ſe convolutarum, ex quarum copioſa congerie primum guttula, tum ex plurimis guttulis gutta major, ex majoribus rivi, & tandem ex his fluvii, & denique maria ortum ſuum trahere credibile omnino. Ex his verò tunc retrogrado motu, calore ſcilicet vel luce rurſus motis fit gutta, ex guttis vapor, & tandem atomus: Exq; his rurſus frigore ætheris & caloris abſentia præcipitatis atomis aqueis, fit gutta, pluvia, flumen &c.

Ecce circulum in quo rotantur omnia principia, ex inviſibili ad viſibile, & contra.

Ex dictis item atomis aqueis, atmoſphæram, aerem vulgò conſtitui potiſſimum, hinc patet, quod facili methodo ex aere aqua eliciatur, nubes, nix, pluviæque generentur.

Cognoſcitur q; ex his hujus principii nunquam vel nullo artificio perituri univerſalitas, quovis modo namque in corporibus alteretur, & in corpora varia lucis beneficio transformetur, & tranſmutetur, manet attamen Aqua quæ ſemper & ante fuit.

Hujusque ope nullum admittitur vacuum: Adeò etenim expandi vel extendi poteſt, ut nulla humana potentia amplius extendi poſſit, quemadmodum id probat antlia ſuctoria: Poſtquam enim hujus ope aquearum atomorum, vulgò aeris copia

extracta

extracta est, tunc particulæ residuæ, ex suâ aliâs ordinaria spirali figura extenduntur in longum & latum, (membranæ instar) sibi verò ita intricatæ, & adeò potentissimè cohærentes, ut in majus spatium illas extendere nulli potentiæ humanæ possibile amplius sit : Hinc evenit ut globus, ex quo atomi illæ sunt extractæ, licet ex partibus sibi invicem haud adglutinatis constet, nullâ attamen vi divelli se patiatur, donec aeris accessus permittitur rursus.

Nec contra rationem fore crederem, si mundi & cœli cohærentiam huic fundamento inniti dicerem.

Cœlum etenim ex talibus expansis aqueis constans atomis, mundum in suo detinet centro, nec corporibus nisi summè subtilibus, veluti sunt astra, locum concedere potest.

Præter hoc dictum modò universale principium materiale & passivum, Deus immediatè post, creavit LUCEM, subtilissimum illam, penetrantissimam, & semper activam massam, quam verò postea Soli, & stellis reliquis à tenebris separatam indidit, Atque ex universalibus primis tum omnia reliqua formavit, gradatim verò omnia.

Porro in corporum resolutionibus occurrunt quædam & emergunt, quæ universalium censui vix eximere possumus, SAL videlicet & SULFUR.

Sal lucis specificum habitaculum est, ex singulari, terræ purissimæ, & aquæ atomis magis diaphanis inter se textis, commixtione enatum; Quo enim quid esset cui se intimè lux commiscere, ut manibus tangi, & pro tot innumeris texturis accommodari posset; Deus Sal creavit, ut quid esset quò se investiret. *Omnium enim rerum ferè ultimum solidum Sal est*, id quod alcali in vegetabilibus, & animalibus, acidum verò in mineralibus manifestat.

Sulfur sali originem debet, & multum terræ continet, hinc in genere metallorum potissimum constitutivum est.

Atque hæc sunt principaliora rerum omnium constitutiva, tam activa quam passiva, ex quibus variè variatim inter se textis, & cœlestia, & terrestria corpora originem trahunt, à supremo Mathematico

tico ita disposita, ut ex earum vario & incomprehensibili ad invicem respectu, situ, proportione, surrexerit, tanta rerum varietas in Mundo.

Et postquam nunc Deus omnibus activam Lucem, ceu rectorem, & motorem simul infudisset, tum omnibus benedixit, verbo, crescite & multiplicamini.

Meritò ergò Altissimus, qui primitus omnibus benedixit, exorandus, ut benedictionem suam à nobis non auferat, sed eam nobis porro concedat, ut vicarius motor corporeus Lux, liberum, juxta ordinarios corporis nostri limites & tramites servet & propaget motum, ut nos bona fruamur valetudine in sui gloriam.

Jam *moto Sole moventur omnia, pro varia quidem textura variè.*

Exque hoc movente, & textura cujusque rei ordinaria, generatur rei semen, quod in minima mole totius rei essentiam, & figuram, s. texturam continet: Pereunte ergò corpore relictum semen texturam consuetam propagat, quæ tum convenientibus augetur particulis, tam ex vario cibo & potu vel alimento, quam ex aëre adscitis. Pereunte verò creatura, particulæ suo nexu solutæ in auras, vel terram rursus abeunt, novis rursus vel aliis corporibus applicabiles: In mundo namque nihil mortale, sed omnia sunt vitæ plena, quando enim creatura desinit sentire, moveri, rationari &c. vita saltem ex gradu quarto, & tertio, in secundum, & primum transfertur rursus.

Ortus ergò & interitus rerum, perennis est circulatio, ubi particulæ salis, sulfuris, terræ, aquæ, Lucis, mox hujus mox illius rei texturæ accommodantur: Sic ex constitutivis hominis post mortem resolutis, & in aerem regressis partim, alia animalia vel creaturæ pabulum petere possunt.

Nil enim in natura est quod hominem ab aliis animalibus distinguat, quam Anima rationalis, & propria, sive specifica textura.

Terra, aqua, Sal, sulfur, oleum, Lux &c. *universalia sunt, & omnibus communia*; & tam cito illæ particulæ, quæ hominis texturæ jam erant communes, mox bestiæ, aut vegetabili, vel homini

alteri, applicari poterunt, atque ita quasi ex hominum constitutivis fieri constitutiva bestiæ, vegetabilis, & contra.

Atque hoc est, quod fortè Pithagoreorum errori ansam ministravit, quando migrationem animarum statuunt:

Si de Brutorum anima, ceu materiali vel illa Mundi universali, id crederent, cum eis non litigaremus; sed de Anima hominis rationali id credere, Sacra scriptura vetat.

Notandum verò particulas dictas universales aquam videlicet, terram, salem, sulfur, &c. exque eis variè contexta corpora, in nullam transmutari formam, v. g. quando caro bovina, agnina &c. ab homine vel alio animali comeditur, non transformatur in formam hominis, aut animalis à quo comeditur, sed particulæ bovinæ, agninæ, &c. hâc vel alia textura, & proportione inter se dispositæ, postquam in ventriculum hominis pervenerunt, tum ibi in talem posituram & proportionem ponuntur, quæ texturæ corporis humani competit.

Notamus hinc corpora omnia tum cœlestia, tum terrestria, constare ex particulis substantialibus, & non nisi accidentaliter distincta esse.

Sic item *Color*, *albedo*, *nigredo*, *rubedo*, item *frigus*, *calor* &c. *non sunt accidentia*, sed substantiæ corporeæ à taliter & taliter constitutis corporum particulis & poris ortum habentes.

Nulla ergò *sunt accidentia in mundo, quam situs, figura, & propositio mathematica.*

Particulis verò substantialibus ab aliqua vel intrinseca vel extrinseca causa ab invicem divulsis, & rursus à Luce alio modo commotis, & dispositis, vel ex toto, vel ex parte, fit & componitur aliud ens, corpus, aut compositum.

Ex particulis verò variis, adeò variatim inter se dispositis & contextis, relinquuntur interstitia sive pori, pro differentia particularum differentes, quæ æther cum variis suis contentis particulis permeare & penetrare potest, adeò non datur continuum in mundo, sed contiguum saltem.

Non

Non tamen pori, omnes indifferenter admittunt particulas, ſed quandoque eas ſaltem, quas ratione figuræ permittere poſſunt: Sic pori triangulares non admittunt corpora ſive particulas quadratas, ejusdem magnitudinis &c.

Si præmiſſa in ſpecie corpori humano applicamus, & ſanum & morboſum ejus ſtatum, juxta ea metiri optimè poſſumus.

Sana ergo poteſt dici corporis humani machina, quam diu particulæ à nativitate legitimè inter ſe contextæ, hanc conſervant texturam, & Luci cum æthere & aliis, hujus contentis liberum concedunt motum, & tranſitum convenientem, nec in exceſſu nec defectu peccantem.

Morboſa verò eadem eſt, quando ordinaria textura vel à natura, vel alio quodam errore, vel in totum vel partim alterata deprehenditur, ac Ætheri cum contentis & aliis ad conſervationem ſpectantibus requiſitis, neque locum, neque motum debitum concedit, & vel in exceſſu vel defectu.

Innumerabilis morborum ſeries huc trahi poſſet, ſed cum hæc in ſpecie ad Pathologiam ſpectent, ſpecialius nos non immiſcemus, utpote qui brevibus generalem naturalium & præternaturalium rerum, ad corporis humani ſtructuram pertinentium inquiſitionem, hic intendimus.

Progrediamur ergò pauliſper ultrà, & quænam ſint *generalia morborum conſtitutiva* perluſtremus.

Hæc in *Activa* diſpeſcimus, *& Paſſiva.*

Activum, & univerſale omnium morborum cauſa *Lux eſt*, principaliſſimum ſubtiliſſimorum noſtri corporis, ſpirituum videlicet conſtitutivum, primum vitæ noſtræ & motus principium.

Ejusdem etenim facultatis eſſe illud quod ſanas perficit actiones, quam quod præternaturales, inde patet, quod deſtructo per mortem iſto principio vitali, & morbus, & ſanitas ceſſent.

Illud jam vitale principium Lux, quamdiu juxta ſuos in corpore naturaliter conſtitutos limites & tramites, texturam videlicet cujusque partis convenientem, in motu ſuo debitè perennat, tam diu ſanum eſt corpus.

Quam primum verò pro texturarum variatarum, & præter naturam immutatarum turbis, à ſuo aliâs conſueto motu deſiſtere cogitur, & interturbatur, tunc morbus præſto eſt, vel denique mors.

Præter hoc univerſale, & ſanitatis & morborum omnium primum principium & efficiens activum, dantur *Occaſionales* innumerabiles *morborum cauſæ.*

Inter hæc verò dantur quædam *ſimul activæ* ſecundariè, quæ Luci commixtæ ejus motum & actionem ſufflaminare, & interturbare videntur, ſuntque *principia* ſupra notata *activo paſſiva*, *SAL* & *SULFUR.*

Hæc cum Luci amica ſint, & Lux eorum conjugium libentiſſime ferat, quovis modo etiam illa ſint, vel ætheri immixta, vel cibis variis intertexta, facile, ubi textura corporis vel hujus aut illius viſceris contrarians, eis cum Luce tranſitum liberum vel non, vel nimium concedit, morbi generantur.

Et quidem ſalinarum, luci vel in æthere commixtarum, vel in corpore ex cibo & potu immiſcendarum culpa, quando poros corporis pro tot viſceribus & humoribus varios, æqualiter & ubique penetrare, & pertranſire libere haud poſſunt, & vel hic vel alibi hærent, generantur morbi utplurimum chronici, ut ſunt vulgo Hypochondriaci, Nephritici, Podagra, arthritis, Apoplexia, Epilepſia &c.

Nonnunquam etenim plures in annos, in poris hujus vel illius partis hærent particulæ contrariantes, quæ tandem capientes incrementum, ex cauſis prædictis morbum producunt, ſanguinique tum vel reliquis humoribus adductæ, eorundem ſimul ordinem, & poros, perturbant.

Quæ ex aëre huc ſymbolum addunt, peregrinum ætherem vocant alii.

Eſt verò Æther expanſum, ſive locus, in quo eſt congeries corpuſculorum Terraqueorum, ſalinorum, ſulfureorum, metallicorum animalium, vegetabilium, vel pluribus junctim unde nubes,

vel

vel disjunctim unde ſerenitas. Ex hoc omnia Dei creata pabulum ſuum petunt.

Quando jam mediante aëre nobis adveniunt particulæ, quæ texturis & poris noſtri corporis, & ejusdem contendorum haud reſpondent, & moleſtias creant, tum peregrinum ætherem adductum fuiſſe dicimus.

Sulfurearum, utpote activo paſſivarum particalarum culpa, potiſſimum generantur morbi acuti, vel ex aëre corpori advehantur, vel in corpore ex cibo & potu conveniente generentur, & lucis motum intendant.

Copioſam etenim Lucem ſulfur continet, & cum illa huic inviſcata ſit viſcoſitate aquæ ſaltem, & Sal ſimul, aliâs immediatum Lucis domicilium, copioſum inſit: tum hæc dupliciter vires addunt, nec mirum, motum tum intendi vehementiſſimè, qui fluorem ſulfuri intendit, in omnimodam corporis perniciem.

Hæ verò occaſionales, ſed activæ ſimul cauſæ, *potentiis iſtis Hippocraticis, Acido, amaro, dulci, acerbo, auſtero*, & infinitis talibus, variè contextis, innatant quaſi: Quæ ſi ſunt temperata, nec inordinato motu animi pathematum, nec aliis reliquarum rerum non nonnaturalium erroribus, &c. texturas debitas, vel vias ordinarias laceſſunt, nec Lucem quietè agentem intendunt, tum corpori conveniens miniſtrant, pro partium conditione, pabulum.

Si verò peccent vel in exceſſu, vel defectu, vel animi pathematibus, aut alio rerum nonnaturalium motu ſolicitantur, & pervertuntur, tunc nec conveniens corpori pabulum, nec luci motum debitum fœnerare poſſunt, atque ita tandem generantur Morborum occaſionales cauſæ, merè paſſivæ, Texturaturarum videlicet vel corporis, & ejusdem viſcerum, vel contentorum ſanguinis, & humorum reliquorum, præternaturales, inverſiones, quoad figuram, ſitum, pondus &c.

Supra, Lucem morborum cauſis activis, & quidem ceu primarium efficiens adſcripſimus, ſed absque diſtinctione.

Est verò *Lux efficiens morborum causa*, vel *per se*, vel *per accidens*.

Quomodo per accidens morborum sit causa, ex modò præmissis patebit.

Per se verò fit morborum *activa causa*, quando absque sensili planè materialis texturæ & contentorum vitio videmus sanam corporis constitutionem & actionem inverti.

Tales verò morbos *Helmont. Ideales* vocat, & oriri mihi videntur ab irritato Lucis directore Anima videlicet nostra, hæc etenim sibi format imaginationes & indignationes varias, & cum ejus vehiculum ipsa lux sit, hinc subita est impressio & alteratio, propterea que à suâ ordinaria actione & motu, cui quiete vacabat, paulisper sufflaminata, & perturbata, totam corporis machinam simul, inordinato motu molestat, & contenta subtilia alio motu, quam texturæ conveniens est, movet & rotat.

Alio verò *modo affecit ita*, *alio terror*, *alio amor* &c. quando tamen vel hoc vel illud animi pathema crebro repetit, tum habitum tandem Luci imprimit, ut tunc sæpius nulla prægressa causa, eundem motum, texturis aliâs corporis haud convenientem repetat: Et ubi antea juxta ductum organisationis corporis & contentorum, naturaliter agentes, corpus in tranquillitate regebant, & ejus actiones inquiete perficiebant, jam in contrarium hæc peragunt, & varias turbas ac molestias corpori adsciscunt.

Et dum hæc ita in consuetudinem deveniunt, tum item Organa aliàs naturaliter texta, jam sibi accommodant, & aliter texunt, quàm à primo ortu, & à natura ita texta erant, ac ita aliam naturam homini deferunt. Ubi deinde omnia juxta ductum organisationis vitiosæ peraguntur.

Sic videmus *Epilepticos*, &c. *motus*, nobis invitis, & non advertentibus, sæpius repetere ex consuetudine tam agentis, quam & organorum jam dispositorum causa, *non aliter ac nos quandoque etiam citra advertentiam solemus cantillare*, vel *aliud agere*, *ex assuetudine ita commota phantasia*, *& hinc motis spiritibus* : vel dum in somno nonnunquam loquimur, & talia agimus citra prævium voluntatis imperium, qualia nobis interdiu fuêre consueta.

Habitu

Habitu jam præternaturali confirmato, facile morborum hæreditariorum esse resultat.

Motus etenim Lucis sive spirituum præternaturalis, habitum nactus, succi nutritii particulis omnes corporis partes permeantibus, & in semen tandem collectis impressus, posteris communicatur.

Sic præter morbos subtilissimos, Ideales propterea vocatos etiam *phtisis*, *Arthritis*, *Podagra*, *calculus* &c. hæreditariè, quibusdam corporibus accidunt.

Cum enim in his morbis habitun nunc nactis, non spiritus tantùm præternaturali motu assuescere cogantur, sed textura etiam partis alterata non alium concedere possit motum, hinc tam motus illorum præternaturalis, quam & textura alterata semini imprimitur, quod tum quasi sub Idea malum propagat, quod tum perfectis & dispositis organis, vires suas, & motum redintegrat.

Est ergo Idea, sive typus nil aliud, quam sub minima seminis mole, & Lucis & texturatum, corpori consuetarum, quasi extractum, sub minima quasi atomo, occultatum magnum corpus cum omnibus requisitis continens.

Atque hæc sunt præterpropter corporis nostri, & secundum & adversum, sive sanum & morbosum statum concernentia constitutiva, & principia, brevissimis tradita.

Jam *circa Medicaminum operationes* & effectus *paulisper adhuc immoremur.*

Videntur verò pari ratione, & morbi & medicamina, inter se convenire, quod etenim corpus quoad texturam, vel sui ipsius, vel viscerum, vel contentorum fluidorum ratione perdidit, id medicina restituit, & quod superfluum his accessit, & eorundem texturis disproportionatum est, id medicina vel demit, vel corrigit.

Quemadmodum ergò morbi variant ratione texturarum vitiosarum, vel continentis, vel contentorum variorum corporis, ita variare conspicimus, medicamina, tam quoad texturas varias, quam hinc quoad vires.

Patetque hinc quamlibet herbam, radicem, semen &c. ratione

suæ

ſuæ externæ formæ ſive texturæ, inter ſe diverſa, ſimul ratione virium etiam diverſas edere actiones.

Et cum unicæ cuidam cauſæ morbus debet ortum, v. g. quando unica tantum corporis pars, viſcus, aut humor, quoad texturam deviat, tum unico etiam convenienti remedio ea rurſus reſtituenda & reſtauranda.

Et hoc eſt quod *Helmont* maximè prædicat, quando *Felicem illum vocat Medicum, qui crudis ſimplicibus morbos, tutò & promptè tollere novit.*

Plurimorum enim ſimplicium mixtione, variæ *inter ſe miſcentur texturæ*, quæ tunc ſæpius plus obſunt quam proſunt: miſcentur verò hoc modò plerumque fixa volatilibus, acida dulcibus, vel amaris, terrea oleoſis &c. ac ita hæ diverſæ inter ſe commixtæ texturæ, effectum ſimul mixtum intendunt, & *quid hoc commodi, illud incommodi adſciſcit.*

Specificæ ergò tam morboſarum partium, quam medicaminum texturæ probè ſcrutentur, ſic *invenies in una ſæpius herba tantas vires, quas nullum præſtabit compoſitum*: Nec opus erit pluribus id quærere, quod unicum dabit: atque valebit illud quod in proverbio eſt quod fieri poteſt per pauca, non debet fieri per plura.

Omne namque *medicamentum aſſumptum*, quando ultra primas vias pergit, *æqualiter in omnes partes juxta circulationis leges fertur:* ubicunque tunc invenit texturam diſproportionatam, in eam agit, & poris convenientem texturam reſtituit, vel expellendo peregrinam additionem, vel corrigendo eam, vel reſtituendo id quod ablatum eſt.

Sic obſervamus, cum acidum morbi cauſam conſtituit, & texturam vel ventriculi, vel pancreatis, vel uteri, vel maſſæ ſanguineæ moleſtat, & invertere nititur unicum ſufficere quandoque *ſalis armoniaci ſpiritum*, vel aliud abſorbens.

Hâc ratione *Opium non minus ſiſtit fluxum alvi, quam fluxus reliquos*, ſanguinis, vel narium, vel uteri &c. nec minus ſiſtit dolores nephriticos, quam colicos, aut Podagricos &c.

Ubi

Ubi ubi etenim medicamen invenit id quod contrarium eſt ſuæ texturæ, particulis & poris, ibi id invertere, & in ſuam naturam convertere nititur.

Hâc ratione item ſæpè medicamen pro ſanitate morbum infert, & pro vita mortem: quemadmodum ſæpius audiuntur ægrotorum querelæ: **die Artzney iſt mir ſehr übel bekommen**: & hoc à præpoſtera medicaminis adhibitione, ubi id non exhibitum fuit, quod ratione ſuæ texturæ, texturam mali invertere poterat, ſed tale, quod pro ſuæ texturæ conditione, vel texturam mali auxit, vel novam induxit, ac ita afflicto majorem afflictionem addidit.

Venena huc trahi poſſunt, utpote quæ ratione ſuæ texturæ, & particularum, idem præſtant quod medicamen haud conveniens.

Propterea non dantur venena abſolutè exiſtentia, ſed reſpective ſaltem, ad hoc vel illud ſubjectum vel genus.

Sic *dantur ſubjecta, quæ homini ſunt venena, animalibus* verò quibusdam *alimenta.*

Dantur etiam res quæ huic homini planè ſunt contrariæ, alteri non.

Atque huc Antipathiæ cum ſympathiis ſpectant.

Fundamentum verò omnium *conſiſtit in ſola disproportione*, dum effluvia, texturæ, & pori, hujus corporis, alterius corporis texturis, poris, & effluviis non quadrant, nec ſe recipiunt, aut recipere poſſunt.

Quemadmodum verò hæc vulgò intelligunt in corporibus majori mole præditis, pari modo intelligi debent in minimis, nam minima atomus ſalis, tam eſt figurata, & convenientem ſuam habet texturam, quam integrum & maximum ſalis granum &c.

Hæc de ſimplici remediorum applicatione, ad morbum quoad texturam ſimplicem dicta ſint.

Longè major ſe exerit difficultas in applicatione remediorum, quando non unius partis ſolum, ſed plurium corporis partium texturæ diſcordant: v. g. quando *textura ſtomachi* à peregrina quadam materia diſcordante laceſſitur: & *Hepatis textura vitioſa*,

haud convenientem legitime ſegregat bilem; Et *renes à calculis* quoad texturam *immutati*, vel *ſanguis*, *vel lympha*, & infinita talia *à debita ſua & naturali proportione immutata* obſervantur, ac corpus non uno ſed pluribus excruciatur morbis:

Hic labor, hoc opus! non ſimplici tum medio, ſed tali aggrediendus hoſtis eſt morbus, quod pluribus dotatum texturis & viribus conſtat.

Vel ſi morbus inducias det, primo levius malum, dein reliqua, ſi poteſt fieri, ſucceſſive eradicentur.

Alia porrò requirunt remedia morbi ſpirituum, ſive à Luce pronati, hi etenim à ſubtili, materiali tamen, (uti Phoſphorus docet) cauſa originem habentes, ſubtilibus etiam, Lucis multum concentrati, continentibus, indigent remediis, qualia in mineralibus & metallis, nobis obvia ſunt, ſalia item ex vegetabilibus, & animalibus, ſpiritus, item & Olea, nobis ſuppeditant.

Alia denique exigunt remedia Ideales morbi, pro variis tamen cauſis variantia, ſic Imaginationis vitio enati, vix aliter, ſi curabiles adhuc, quam imaginationis contrariæ firma perſuaſione mutantur in melius.

Hæreditariorum omnium cura vix promittenda eſt.

Hæc ſunt breviſſimis ea quæ tam ſanum, quam ægrum conſtituunt hominem.

Cum verò adeò intricata, diffuſiorem exigerent explicationem, & omnis ars Medica huc trahi deberet, quod tamen non hujus loci, hinc pro paulo majori ſaltem explicatione *notentur Canones ſequentes.*

Omnes creaturæ Dei, quam ſubtiliſſimæ etiam ſunt & minimæ, *ſunt ſubſtantiæ & corpora: Deus etenim nil creavit niſi corpora.*

Lux ergò eſt ſubſtantia, ſubtiliſſima tamen, propterea que vita Mundi, & omnium aliarum creaturarum, movet Solem, Lunam, Stellas omnes, imò terram ſuo modo in Æthere, Lapides cum reliquis mineralibus & metallis, vegetabilia item & animalia, movet, vegetat, nutrit, ſentire facit &c. *ſubſtantiam eſſe Phoſphorus ſaltem docere poterit.*

Quo

Quo plus ergo Lucis corporibus incluſum eſt, eo corpora ſunt agiliora, vivaciora, fortiora & contra.

Sic quæ Mineralia, Metalla, Vegetabilia &c. multum lucis continent, ea magis ſunt activa, & contra.

Hinc ex Minerali Regno excellit Aurum, ex Animali Homo, ex vegetabili Vinum, utpote lucis plurimum continentia, & plus quam reliqua.

Calidum ſive calor non eſt aliud niſi lux: Et quo plus lucis adeſt, eo multum caloris ſubeſt.

Sol concentrata lux eſt: Et cum Lux omnis motus Author ſit, hinc quo plus lucis, eo multum motus adeſt.

Hinc Sol lux concentrata velociſſimum perficit motum, tum Luna, & reliquæ ſtellæ minus lucis continentes, ſegnius item moventur.

Ne verò *Lux* concentrata *Sol*, *omnes corrumperet creaturas*, particulas earundem diſſipando, *creavit Deus Cœlum ſive Ætherem ex Aqua, antequam crearet Lucem*, & Solem ex hâc; Propterea Lux & tenebræ ſive calor & frigus, ſunt corpora diſproportionata, & diſparata, non verò contraria.

Nec ideò frigus in æthere ceſſat unquam, ſed alteratur ſaltem, quando ejus poros ingrediuntur Lucis concentratæ particulæ: Egredientibus vero ex ejus poris igneis particulis, ætheris pori concidunt rurſus, & conſtringuntur.

Quod ſi verò ſimul & uno quaſi momento corporis cujusdam pori, ſubito accedente frigido æthere conſtringantur, & concidant, ut lux intus manere cogatur, tum tale corpus intus quidem vivit, ſed extus immobile ſentitur, quemadmodum accidit animalibus nonnullis, hyrundinibus præprimis, & muſcis, qui poris tandem calore reſeratis, reſuſcitantur rurſus, & vivunt plenam vitam.

Siccitas ætheris, & ſonora qualitas, eſt à ſubtiliſſima illa aquarum atomorum in longum & latum expanſione incredibili.

Cœlum ex Aquæ atomis ſummè extenſis conſtare, vel aquam ex ſubtiliſſimis cœli atomis condenſatum eſſe corpus, idem eſt: ſunt enim unius Eſſentiæ, quia conveniunt in fluiditate, frigore, & imperſcrutabili amborum principio: Ex quâ etenim materia conſtent, Deus novit: primum etenim rerum omnium principium ex nihilo creaſſe Deum, Sacræ nos docent paginæ.

Aërem vocamus congeriem minutiſſimarum particularum, Terræ, aquæ, ſalis, ſulfuris, vel atomorum, corporum ex his compoſitorum, ſcil. Animalium, vegetabilium, mineraliumque.

Hæc variè confuſa, per multa milliaria in altum aſcendunt: Quo magis verò aſcendunt, eo magis à frigore ætheris alterantur, atque ea quæ compoſiti adhuc habent aliquam proportionem, tandem diſuniuntur, & in puriſſimas principiantes particulas redigunturrurſus.

Unde etiam eſt, quod, quo altius aſcenditur, ſubtilior notetur aër, ultimo tandem nullus amplius.

Hinc in æthere absque aëre nullum animal vel compoſitum ſubſiſtit, aut vivere poteſt, quia ibi particulæ conſtituentes, nutrientes & conſervantes deſunt, & æther frigidus omnia conſtringit, nec niſi ſubtiliſſimæ Luci, ſive ſolis & ſtellarum atomis, ſubtiliſſimo mutu agitatis, locum concedit.

Cum verò Aër conſtet ex variis corpuſculis, quæ naturâ ſuâ centrum terræ petunt, hinc aër non eſt levis, niſi quantum rarior eſt corpore compacto.

Sol ſpecificè Lucis ſedes & thronus eſt: Reliquæ ſtellæ (hæc tamen præ alia) magis vel minus lucis habent, & propterea item vel velocius, vel tardius moventur.

Cum vero ſtellæ ſint corpora, hinc quælibet ſtella, ſicuti terra, ſuam atmoſphæram habere creditur, quibus vario modo inter ſe, pro ratione aſpectuum commotis, ſimul commovetur atmoſphæra terr-aquea, ſeu aër cum ſuis contentis mobilibus, & ex vario & diverſo motu, fiunt & ſunt tot diverſi effectus, motus, incrementa, & decrementa, ſanitas & morbus, tam in Animalibus, quam vegetabilibus, & mineralibus.

Quem-

Quemadmodum verò Atmoſphæram Terr-aqueam noſtram ex variis vidimus conſtitui particulis, tam compoſitis, quam ſimplicioribus, ſimili modo & Stellam quamcunque, pro texturæ ratione & motu è conſtitutivis enato, differentes habere exhalationes, & particulas, & propiam ſuam atmoſphæram, à quâ diverſus effectus enaſcitur, obiter ſaltem teſtari poterunt ab Aſtrologis prædicata Aſtrorum temperamenta, quando Luna frigidiſſima & humida, Mars è contra calidiſſimus & ficciſſimus, Venus verò & Jupiter humidi & calidi, Sol temperatiſſimus, Saturnus frigidus & ſiccus, Mercurius verò mox humidus, mox frigidus &c. ſtatuitur.

Longè verò alias exhalationes fiere, & motus, è corpore frigido quam calido, longè alias ab humido quam ſicco, &c. atque ſic è ſtella, ex multa luce, parva verò ſulfuris, ſalis, terræ &c. quantitate, vel parva lucis, magna verò ſulfuris, ſalis, terræ &c. & infinitis ſimilibus inter ſe mixtis, conſtructâ & textâ, differentes quoque motus, differentes item exhalationes, & effectus ortum habere, tam verum eſſe quam veriſſimum, *artificiales ſtellæ*, *Phoſphori* videlicet, ſive materiæ noctu lucentes, teſtari poterunt.

Cum enim *Phoſphori* dicti ex variis conſtrui queant ſubjectis, multum differentibus, v. g. *ex urina*, qualem ſupra deſcripſimus, deinde item *ex ſpiritu nitri & creta*, vel *ex aquâ Forti & calce vivâ*, *ſaccharo*, item, *ſanguine*, & aliis differentibus materiis: Hos verò Phoſphoros, ſive noctilucas, cum, quemadmodum quoad differentia ſubjecta, & particulas conſtituentes, ita etiam quoad lucem quam fundunt, tum quoad exhalationes, & inſequentem odorem, multum variare conſpicimus: Quidni ergò ſulfureæ, ſalinæ, terreæ, & aliæ cum luce inter ſe variè contextæ particulæ ſubtiliſſimæ, ſtellas inter ſe multum differentes, hinc differentes motus, differentes exhalationes, & ex his differentes atmoſphæras, differentes item effectus producentes, & vel huic vel illi animali, vegetabili, vel minerali, pro particularum æquali proportione vel diſproportione magis vel minus amicos & convenientes, conſtituere poterunt.

Statuminato itaque ab aſtris atmoſphærarum particularium fundamento, facile concipere erit, quomodo aſtrorum influxus in hæc ſublunaria fiat, in hunc modum, nimirum *ex vario & diverſo aſtrorum ſive ſtellarum curſu & motu, diverſimode ſe contingere item ſolent, dictæ ſtellarum atmoſphæræ variæ*, quæ verò, cum particularum diverſarum conſtituentium, & multum ſæpius ſibi contrariantium, vel diſparium ratione, pugnam inter ſe inſtituant, vel efferveſcentiam, ſicuti ex variis phœnomenis chymicis videre eſt; ob velociſſimum verò motum diſproportionatæ particulæ, nulla conceſſa mora, ſe invicem tam ſubitò conjungere haud queant, hinc illæ, ab ordinario atmoſphæræ, cum ſtella motu, alio motu à ſe invicem inſtituto implicatæ, atq; ita à ſuâ ordinaria atmoſphæra derelictæ, & tumultuantes, ſe mutuo deorſum præcipitare, quia in æthere nullibi, nec moram nec proportionatum quid reperiunt, coguntur, atque tum ad atmoſphæram noſtram, à tot innumeris ſtellarum motibus propulſæ, eam concitant, & motum pro ſuâ natura ei imprimunt, à quo tum ad animalia, ad vegetabilia, & mineralia delato, tot differentes effectus enaſcuntur, tot tempeſtatum mutationes & variationes accidunt, & venti oriuntur tam ordinarii, quam extraordinarii:

Hi verò effectus tam diu durant, quamdiu contrariantium atmoſphærarum motus & effluvia, efferveſcentiis dictis, & ſtellæ ſive Planetæ diutius ſe contingentes & aſpicientes, pabulum ſuppeditant.

Ex particulis verò, ad aſtrorum atmoſphæris derelictis, & præcipitatis, varia alia oriri ſolent phœnomena, v. g. *Fulgura*, *Fulmina*, & alia meteora.

Sic quando præcipitatæ particulæ plurimum ſulfuris continent, tum illæ in atmoſphæra noſtra (ob calorem Solis magnum nonnunquam, uti accidere poteſt, in montibus reflexum, ac ſic concentratum) incenſæ, *fulgura* concitare ſolent.

Si vero eædem ſulfureæ particulæ, contrariantes in noſtra atmoſphæra offendunt particulas, tum hæ ambo ingenti fermentatione

tione concitata, & velociſſimè commota, aërem ſubitò dilacerando, fragorem maximum edunt, pulveris pyrii ſclopeto incluſi & accenſi inſtar.

Et cum plerumque mixturis illis, ex acido ſulfuris ſubtiliſſimo, & volatili alio ſale, ſe terreæ immiſcere ſoleant particulæ, hinc Fulmina, fulgura &c. deorſum ſemper ſuum perficere motum obſervamus, & vel ſine, vel cum cuneo.

Videtur verò *cuneus talis confici uno quaſi momento, ex particulis proportionatis lapidum, in atmoſphæram ex terra delatis*, quæ lapidifica ſua idea adjutæ, ſubitò ſe jungunt cum iſtis fulgurum conſtitutivis, & à caloræ concentratæ, lapidem conſtituunt, cum impetu omnia diruentem.

Solent quandoque æſtate oriri nebulæ vaporum forma, fœtidum vel ſulfureum odorem communicantes, has à magis liquidis ſubtilibus & ſpirituoſis particulis ſalinis, ſulfureis, vel ex terr. aquæ globo ſublimatis, aut in atmoſphæra ſaltem genitis, conſtitui, experimentum hoc mihi teſtari videtur: Nimirum confundebam aliquando ſpiritum nitri admodum ſubilem & volatilem, cum ſpiritu vini item rectificatiſſimo, in anguſti colli vitro, non capaci, & ecce in momento, præter omnem ſpem, omnis liquor ac ſi è ſclopeto ejectus fuiſſet, in ſupremo hypocauſti tabulato hæret, totum hypocauſtum vapore ingenti replens, atque ita uno quaſi momento perditus erat liquor, quem plurium dierum labore acquiſiveram.

Sic dantur ſpiritus tales ſubtiliſſimi, qui guttatim confuſi in momento accenduntur ſine ullo igne, & fragorem edunt incredibilem, non aliter ac fulmen:

Ex quibus concludendum erat *Fulgurum & Fulminum differentes effectus, ex tot ſæpè differentibus eorum & ſubtiliſſimis conſtitutivis ortum habere*: Nec cauſam Fulgurum & Fulminum in corporea viſibili mole, niſi quando cuneus eſt formatus, ſed potiſſimum in ſubtiliſſimis conſiſtere effluviis, tam à ſupra dictis ſtellarum atmoſphæris, quam & ex globo terr-aqueo elevatis & exortis; & quo magis

magis deorſum tendunt, eo magis craſſiores particulas vel terreas conjunctas habent, & contra.

Longè aliam cauſam ſibi vindicare videntur venti, *terræ motus* conjunctos habentes : hi ab ignis in centro terræ furentis, impetuoſo motu, atmoſphæram noſtram commovente, originem habere probabile aliis videtur, dum halitus ſulfurei hinc copioſè terram replentes, ſubito accenſi & rarefacti, egreſſu denegato terram concutiunt.

Nix, *grando*, *Pluvia*, ab aqueis vaporibus ventorum ope ex aqua elevatis, & in altum evectis, & frigiditate ætheris rurſus condenſatis conſtant.

Nix quidem *ex atomis ſubtiliſſimis aqueis*, quæ hyeme ope ventorum *in altius ætheris ſpatium* elevantur *ſubitò verò ſimul conſtringuntur*, ut ſe conjungere & in guttas reſolvere non queant, atque ſic in variis figuris ſibi leviter cohærent, & nivem conſtituunt.

Grando verò *majori frigore concreſcit*, quando atomi aqueæ jam in globulos vel guttas diſpoſitæ, vento aliquo ſubito in frigidiſſimum ætheris ſpatium tolluntur, & tunc ea forma in glaciem vertuntur, exque hac cauſa grandiores ſæpe cadunt globi, quando guttæ fuere majores, vel plures ſibi cohæſerunt.

Ex præmiſſis notamus omnia in mundo creata, continui quidem rationem habere, ſed ſaltem eſſe contigua.

Continui rationem habent, quia luce vel Sole movente, omnia moventur in Mundi finem uſque :

Contigua verò ſaltem eſſe, inde patet, quia particulæ corporum nunquam ſibi ita vicinè junguntur, quin non relinquant cavitates, vel poros, in quibus æther hæreat: proptereaque non cœlum, nec ſtellæ, nec Mineralia, vel Metalla, nec vitra, nec vegetabilia, aut animalia imò ipſa Lux non ſine poris.

In hujus enim vel illius corporis poris, aliæ particulæ ſive corpora hærere, perque eos tranſire poſſunt.

HOMO conſtat corpore & anima : Corpus ex Terra, ſubtiliſſimis & puriſſimis rerum principiis (quibus Lux inhabitabat ſub gradu vitæ primo) conſtante, Deus formabat. Cui tum immittebat ſpiraculum

culum vitæ, & sic Animam indebat intellectualem, quo regebatur corpus, quo vegetabatur, ratiocinabatur, sentiebat, intelligebatque perfectissimè.

Cum verò conservatio hominis & sanitas in nutritione legitima consistat, hinc alimentum ejus oportet constare ex particulis non contrariantibus, sed similitudinem habentibus, si non alteratis, tamen alterabilibus, & in suam texturam convertibilibus.

Sic quando homo vescitur carne bovina, suilla, avium, piscium &c. tunc ista corpora suâ convenienti aliâs textura prædita, à facultate nostra vitali sive spiritibus, suo situ, & textura spoliantur in ventriculo, atque hinc inde in sanguine, in Bile, in corde, in Hepate, in pulmonibus, in renibus &c. alia proportione disponuntur, ut variis partium humani corporis texturis inserviant:

Quælibet enim corporis pars, proportionatam, suæ texturæ & poris, assumit alimenti partem.

Non verò ex alimentis solum, sed & ex aëre, mediante æthere, convehuntur particulæ, quæ similiter pro texturarum corporis exigentia appositæ, tam nutriunt, quam illæ.

Et dubitant aliqui, annon plus alimenti ex aëre hominibus adveniat, quam ex cibo & potu, quippe hæ ipsæ lucis multum continentes, magis sunt aptè subito adponi, quam aliæ quæ ex alimentis modo erui debent.

Magis enim subtilissimis tam alimentorum atomis, & aëreis particulis nutriri corpus, quam crassis, inde patet, quod crassiora semper excernantur, sæpius majori quantitate quam assumptorum fuere, semper verò subtilia remaneant, in nutrimentum, quale humani corporis partes requirunt, adponenda.

Naturalis ergò chyli status consistit in legitima proportione, fluiditate, sapore, & aliis texturæ legitimæ requisitis.

Si verò iste non sit proportionatus, & vel paucus, vel copiosus, in proportionem humani corporis partium non locandus restagnet, & in poris hæreat, tum vel non fit nutritio, vel subsequitur morbus & denique mors.

Accidit verò nonnunquam, ut in tubulo quodam, sive poro partis cujusdam solidioris, in annos deliteſcat tale improportionatum

nutrimentum, ſive particulæ haud commiſcibiles, quæ tandem certis & ſimilibus mediante æthere advectis augentur, & cum in anguſto tali loco deliteſcere haud amplius queunt, hinc mediante lympha vel imò æthere ſanguini convehuntur, tuncque ejus proportionem, ordinem & poros perturbant, ac morbum ei inducunt, uti hoc probare videntur *Variolæ, Athritis, Epilepſia* &c.

Oportet ergò ut ſanguinis, chyli, & humorum reliquorum particulæ, talem inter ſe ſervent ordinem, proportionem, & poros, quò ætherem & contentum aërem naturaliter conſtitutum, citra turbam admittant.

Nam ſi corporis humani, & ejusdem partium pori, ſex rerum non naturalium vitio ita diſponuntur, & accommodantur, invertunturque ut naturaliter conſtitutum ætherem vel non admittant, vel peregrino ætheri viæ & portæ pandantur, tum morbi varii præſto ſunt.

Sic in diſpoſitis corporibus videmus circa æquinoctia, à peregrino æthere induci Febres, quæ tunc circa ſolſtitia, æthere & contento aëre tum aliter conſtituto, finiuntur rurſus.

Transmittitur verò peregrina materia ætherea vel ab aſtris, luminibus vagabundis, Locis, tellure, lacubus, & ſimilibus.

Sic obſervamus ægros quandoque liberari *Febribus, Phthiſi,* &c. quando in alium locum migrant, ac ſic aërem mutant.

Ab æthere frigido, aëre, peregrinis particulis inquinato ſimul inducto, obſervamus circulantes humores cum ſanguine in motu ordinario, & naturali præpediri, ut tum *deſtillationes variæ, epidemicæ, raucedines, tuſſes, anginæ, pleuritides, ophtalmiæ, Febresque intermittentes* &c. fertiliſſimè propullulent.

Sic à peregrino æthere inducto invertitur particularum ſanguinem conſtituentium ordo, & pori, ut inde oriatur cacochymia, & depravata ſanguinis labes, antequam chylus à ſua etiam indole receſſerit, tunc demum etiam ſimul cruditates, acidas, & alias, morborum graviſſimorum generatrices, incurrens: Et quæ ſunt alia, à peregrinis particulis, noſtris conſtitutivis, texturis & poris, diſproportionatis, mediante æthere & contento aëre, advecta, vel à variis diætæ erroribus genitis, inducta morborum initia.

Tam

Tam Alimenta ergo ſive ex cibo & potu, aut ex aëre, quam *Medicamenta, ita debent eſſe comparata*, ut corpori, partibus & humoribus ejus, *vel legitimum motum & texturam conſervare, vel illegitimum & diſproportionatum illud, ad ſtatum proportionatum naturalem reducere rurſus* valeant.

Et cum morbi ab occaſionalibus cauſis originem ſumentes, utplurimum conſiſtant in texturarum & pororum, tam *ſolidarum quam fluidarum partium, obſtructione, & disproportionatarum particularum commixtione*, quæ tamen nec cum æthere penetrare, nec partibus in quibus hærent apponi poſſunt, ſicque corpus vel partem moleſtant, & in ſuo ordinario motu præpediunt.

Hinc medicamina adhibenda texturis & poris ordinariis hujus vel illius partis, in quibus malum hæret, ſint appropriata, & proportionata.

Et quando tum talia propinantur, tunc illa cum ſanguine, ſi extra primas vias hæreat malum, ad corporis partes alias feruntur, ad proportionatam verò ſuam appellentes texturam eas appropinquare & penetrare intendunt; ſed quia obſtacula adſunt, & diſproportionatæ particulæ in poris hærent, *hinc illa, veluti cuneus cuneum, trudunt*, & quia ipſa, veluti medicamenta, non poſſunt fieri alimenta, hinc ipſa ſequuntur, & ambo ſæpius mediante ſudore excernuntur, vel per inſenſibilem tranſpirationem exeunt ſenſim.

Vel ſi particulæ in poris ſtagnantes ita ſunt diſpoſitæ, ut aliam & meliorem proportionem & diſpoſitionem aſſumere valeant, tum illæ à medicamentorum particulis aliter diſponuntur, ut tum vel apponi, vel leviori modo rurſus partem quam occupaverant, derelinquere poſſint.

Diſpoſitionem verò talem in melius, utplurimum efficacius inſtituunt ea, quæ præter texturam convenientem, etiam lucis multum continent, qualia exhibent ſalia imprimis, quot verò ſalium mixtiones, tot differentes texturæ & effectus inde reſultant, & quo plus lucis habent, eò plus virium exerunt.

SECTIO I.

Medicamina, corporis humani infirmitatibus corrigendis accommodat.

CAPUT I.

Digestiva exhibet interna.

HÆc cum falsè recepta Galenicorum hypothesi de quatuor humoribus nitantur, omitti planè quidem possent, quia verò ea *purgantibus*, *non electivè sumptis*, sæpissimè optimo cum emolumento præmittuntur, dum modo principii salini diversimodè corrupti habeatur respectus, pauca eaque generosiora lustrabimus, & *primæ solum corporis regioni* dicata, quæ ceu universi corporis sentina, gignit & suscipit omnigena excrementa, variis vel flavæ vel atræ bilis, i. e. : saburra Biliosa vel pituitosa acida & aliis innumeris recrementis circumfluxa : huie *in genere alvi subductio dicata manet*, quæ absque ullâ vi lenit, lubricat intestina, ut ex eis eliciantur stagnantia recrementa, vicina viscera vel transmissione læsura, atque ita materiam majoris mali exhibitura.

Hic verò ante omnia maximè observanda venit ea diversitas quæ inter materiam peccantem occurrit ratione salis excrementitii, an vel exsuperet acidum vel bilis Dominium obtineat, & peccet nimia quantitate, & acrimonia & sali scorbutico & excrementitio ortum ministret.

Si peccet bilis nimia volatilitate, *concentratur optimè acidis*, & tum optimo cum emolumento sequentia adhibentur, inter quæ laudatur.

Pulvis Digestivus Hepaticus Ruber.

℞. *Crem. Tart.* ℔ ij. ℥viij.
Spiritus vitrioli. ℥iiij.

Infun-

Infundatur hic ſpiritus ſuper *ſantali rubri* in pollinem redacti ℥ iiij. adde *ſpir. vini* ℥ viij. & fiet tinctura.

Hâc ſæpius imprægnetur *cremor tartari* donec omnis liquor ſit imbibitus, terantur omnia in porphyrio ſumma cum diligentia ut ſingula probè uniantur, & fit pulvis delicatus ad ʒ j. *cum juſculo carnis ſæpius datus*, qui acriores bilis particulas obtundendo, priſtino vigori eas reddet, & lympham depravatam tenuiorem reſtituet: vel fiant ſequentes.

Morſelli de tartaro citrati.

℞. *Crem. tart. pulv.* ℥ iiij.
flaved. cortic. citri minutim. conciſ. rec. ℥ ß.
ſacchari albi aquâ roſarum & cinnam. ſol. ℔ j.

mſ. f. ſ. a. Morſelli qui ad ℥. ß. ſæpius ſumpti bilem corrigent.

Vel aliquoties in ſeptimana ſumatur *hauſtus ſeri lactis* cum ſeqq. herbis digeſtus, v. g.

℞. *Herb. chamædr.*
fumar.
becabung.
cochlear. ana. m. j.
rad. raphan. armorac. ʒ j.

In mortario lapideo contuſa infundantur *in ſeri lactis* ℔. ij. horis 12. colaturæ adde *aquæ borrag. acac.* ana ℥ ij.

mſ. de hoc digeſtivo ſumantur mane ℥ vj. & continuetur per octo dies.

Si acidum copia peccans, primas vias humore excrementitio ſcorbutico infarſerit,

℞. *Croci Martis absque acido potentiori facti* ʒ. ß.
corall. præparat.
ſalis geniſt.
abſynth. ana. gr. viij

mſ. d. a. i. m.

Vel & tot experimentis comprobatus fiat PULVIS ſequens ABSORBENS Cl. *Wedelii.*

℞. ♃ *Diaphor.*
Ocul. ♋.
Corall. r.
Conchar.
Cinnab. nativ. ana ℈ß.
♁li ♂ gr. vj.
Extr. Opii. gr. j.

miſce fiat pulvis in 6. partes dividendus.

Si bilis concurrat, adde tartari vitriolati ℈j.

Vel ℞. *tartari vitriolati* ʒj.
diſſolve in vini generoſioris menſura j. cui adde
paſſular. minor. ʒiiij.
cinamomi ʒß.

ſtent infuſa, & de hoc mane poſt ovum ſorbile, item veſperi ſumatur hauſtus.

Pulvis digeſtivus ſcorbuticus Mollenbrocci.

℞. *Croci Martis aperitivi* ʒj. ʒij
magiſter. cochleariæ,
tartari vitriolat.
nitri antimoniati. ana. ʒj.
fæcul. aren. ʒj. ß.

miſce & detur ejus ℈j. ad ʒß.

Vel propinetur hoc vinum paſſulatum.

℞. *Paſſular. minor.* ℔ ß.
fol. ſenn. el. ʒj. ß.
cortic. citri.
cinamom. ana ʒß.
crem. tartari ʒvj.
coriandri ʒij.

Miſce

Miſce contunde & in vini generoſi menſuris ℔j. infunde per diem & noctem in loco calido : Poſtea coletur per manicam & de eo detur mane & veſperi hauſtus.

CAPUT II.

Purgantia magis conſideranda tradit.

HÆc, *ſi humores* adeo ſint corrupti, ne *reduci ad bonam frugem* queant, eos per deceſſum evacuant : Si enim copia vitioſorum humorum peccat corpus, evacuationem urget paulo fortiorem, quam quem præparantia vel digeſtiva præſtant, quia tum humore peccante turgente, & in motu plus ſæpè damni, quam commodi afferunt leviora alterantia propinata, nullis purgantibus ſtipata.

Peccant verò *Galenici*, qui absque ullo ferè habito reſpectu & in omni morbo, cum ad ægrum vocantur, *ſubitò purgantia repetunt*, neſcientes nec conſiderantes, quas excitent in Microcoſmo intempeſtivè adhibitæ & ſæpius repetitæ purgationes, turbas, nec obſervantes corporum conditiones infinitis modis variare. *Impura enim corpora, quorum vires boni ſucci penuria flacceſcunt, exſolvuntur facilè*; quibus verò alvus ſemper ſtricta, nullum afferunt beneficium, niſi coactum.

Dantur qui omni occaſione ad fluxus alvi proclives, his leni pharmaco vel centum ſedes procreares : alii præpropere vomunt; *hic ad purgationis viſum purgatur* : ille nec vehementiſſimo movetur. Sic & *obeſi*, nec prægraciles, niſi *maxima cum cautela purgandi*. Naturalis ergo cujusque proprietas exploretur prius, vel benigniori-bus ſcrutetur : & *ignotus cautè aggrediatur*. Melius itaque purgans partiri, quam ægrotantem in præcipitium deferre.

Sic quoque non omnis ætas idonea eſt, *cautè* namque *ſuccida infantum*, & *arida ſenum corpora tractanda* : Si tamen res urgeat, omnem cogit deponere formidinem, vide de his pluribus tractantem *Cl. Svvalvve* in diſquiſitione therap.

Sic

Sic & Mulieres ſibi ſua requirunt, *in ipſo* enim *menſium fluxu, omne purgans* aliud, eſt ineptum: Prægnantes cautè primis ac ultimis menſibus medicandæ: quod tamen lenit, humores nimium non colliquefacit, ut utero nocere queant, nec etiam tali, inteſtina nimium irritantur, & antequam per longam viarum ambagem illuc veherentur, perderent ſanè noxam, quam inurere utero poſſent.

Quantum verò purgare debeamus, difficillimæ indaginis res eſt: Materia tamen copioſa, etſi vires adſint, *partitis tamen vicibus* melius exterminatur. Succus craſſus, valida deſiderat, ſed modicè data: *Vires imbecilles neutiquam ſubitò ac copioſè* quid peragendum volunt.

Purgatio porro curationis ergò ſuſcepta, nullo temporis discrimine tenetur. *Præſervans* verò, *vere & autumno melius expeditur*: & ſi tempus ferat *lunæ motus* obſerventur, *ſub incremento enim ejus omnes purgationes faciliores* & cum minori ægri commotione conjunctas eſſe obſervabis. Principium etiam & augmentum morbi, licentiam purgandi exhibent; ſtatus verò quietem imperat, tum enim natura ex pugna ſe recolligens non turbanda eſt.

Jam verò uſurpandi modus non vilipendendus: Huic ſolida, illi liquida placent, quorum tamen hæc citius, illa tardius operantur. Oportet itaque hic maximè cognita habere quælibet purgantia; horum *Schola Galenica* multa *ſomniavit* genera videlicet *cholagoga, phlegmagoga, melanagoga, & hydragoga*, pro quatuor humorum cantilena. An verò hæc dentur electivè purgantia negant *Ammannus in ſua paraneſi p.* 330. *Walæus & Svvalvve diſp. therap. p.* 54. & alii plures: quemlibet potius humorem à quolibet elici purgante veroſimilius eſt, attractio quidem, ei largienda, ſed non determinanda. Et *cum non dentur iſti quatuor fictitii humores*, quomodo purgandi? Deſtruunt item elective purgantia catholica, quæ omnem humorem excrementum expellunt. Efficax itaque omne legitimè paratum & exhibitum purgans, quicquid enim fluxile, tenue, aquoſum, & bilioſum invenit indiſtinctè exterminat; ſequente, ſi purgans juſtè menſuratum ſit, craſſiori pituitoſa, & plus coagulata excrementorum

torum

torum parte, atque ita ex valido medicamine omnes consequenter succi crudiores secedunt: *Nec diversus facum color electionem indicat*, quia ferè omnes flavo colore tinguntur, nisi alium colorem ex medicamine traxerint, *chalybeata* namque *nigricantem* sæpè exhibent, *rhabarbarum flavum*, &c.

Quod verò purgantia multum à se invicem discrepent, & eorum quædam leniter, alia fortiter, & multum evacuent, hoc diversam indicat particularum texturam, ratione vel acidorum vel alcalinorum spiculorum, variata dispositione figuratam, & humori idoneo & simili applicatam; *non* enim *semper contraria contrariis*, *sed similia similibus solvi*, & expelli in superioribus sufficienter experti sumus. *An* verò ita *corporaliter*, *vel saltem virtualiter* ad partem affectam veniant? item *an cum chylo* & sanguine circulentur? & an excrementa purgatione rejecta à corde arteriis communicentur? hinc inde quæritur, *ut Cl. Ammannus* inquit, sed vix deciditur.

Quod *corporaliter ad partem affectam non veniant*, probant purgantia ab extra umbilico, & plantis pedum applicata: quod cum chylo, & sanguine circulentur, declarant exempla quibus purgantium energia chylo & lacti nutricis communicatur; Et quot excrementa à corde communicentur arteriis, diarrhæa à toto demonstrat. „ Sed instat *Cl. Ammannus*, quod utut hæc largiar, inquit, non pos„ sum tamen absolutè credere: *qualis* enim amabo, *anxietas oritur*, qualia symptomata, *si Regia corporis*, *purgante invaderetur*, & „ ipsa Majestas læderetur; & cum tormina à purgantibus sæpius in „ intestinis excitata sint intolerabilia, quid fiet in corde? & si hu„ mores per arterias ad intestina deferuntur, cur non simul sanguis „ ordinariè & ante hypercatharsin excernitur? Vel si acrimonia „ humorum corrodit & excoriat podicem; quid ni multo magis „ hæc acrimonia cor lædet? ut taceam: *diarrhæam à toto esse figmentum Galenicum*: ideò quæstio hæc de modo operandi purgantium, ut & aliorum medicaminum manet indeterminabilis. *Vide VVillis Pharm. Rat. Pechlin. de purgantib. & alios.*

In purgantibus jam Medici gloria, & ægroti salus consistit, hinc *admodum cautè circa purgantia procedere debet Medicus*, ne cir-

cumſtantias neceſſarias negligendo exceſſum committat. *Quo verò purgans ſimplicius, eo perfectior effectus*, quæ verò immodica variorum combinatione conſtant compoſita, damnantur, quia periculoſa hæc eſt confuſio, & ingredientia, ſæpe tacitis ſeſe, ex contrariantibus particulis conflata, viribus pervertunt, & deſtruunt, corrigentia tamen ob alienas vires non ſpernenda. Sed *appropriata vehicula quæ purgantia ad partes quasque vehant, ridicula ſunt*, non enim eis prudentia ineſt quæ vix in homines cadit. His jam præmiſſis transcurſim, ad ipſas accedimus formulas, ubi primò Pulveres ponamus, & quidem ſe ſiſtit hic tanquam univerſale purgans.

Pulvis Catholicus D.D. Mich. qui

℞. *Radic. Jalapp.*
mechoac. alb. ana. ℥j.
diagrid. ſulfurat. ℥ß.
Ol. aniſi ℈ß.
cinamom. gtt. iij.

mſ. fiat Pulvis ſubtiliſſimus cujus Doſis ℈j.

aut *Specificum Jalapinum* noſtris in uſu.

℞. *Jalapp. Reſinoſ.* pro ʒx.
Reſin. jalappæ
ſcammoni ana. ʒj.
Crem. ☽*i.*
☽*i* ⊕*lati* ana. ʒiij.
♌ *aniſi* ℈j. mſ. fiat pulvis.

Doſis ℈j. ad ʒß.

Vel ℞. *Jalapp. pulv.* ℈j.
Reſin. jalapp. gr. iij.
crem. ☽i. ℈ß.

mſ. fiat Pulvis pro doſi.

Loco *cremoris* ☽i poterit etiam addi *Nitri depurati* tantum, hoc enim flatibus plus obſtat.

Pulvis

Pulvis Helleborinus Knöfelii.

Qui ℞. *Florum Helleb. nigri veri*, in felici aſpectu Lunæ cum Jove & creſcente ante Solis ortum collectorum.

ſacchari albiſſimi ana. ʒj.
ſalis eſſentialis acetoſell. gr. xxiiij.
eſſent. citri excortic. extim. rec. gr. xij.

Mſ. fiat pulvis ſubtil. Doſis ϑj. ad ϑij. ſpecifica proprietate ſupra dictis affectibus medetur.

Quid non ſpondet *tartarus vitriolatus?* hic à multis pro univerſali digeſtivo, & inſigni purgantium ſtimulo habetur, adeò ut purgantibus junctus, eorum vim adeò exaltet, ut vel quarta purgantium pars ſufficiat, v. g.

℞. *Tartari vitriolati* ϑj.
diagrid. correcti gr. v.
trochiſc. alhand. gr. iij.
gummi guttæ gr. j.
ol. anyſi gutt. iij.

mſ. fiat pulvis pro doſi.

Si liquidum arrideat, & quidem lenius

℞. *Rhabarb. elect. inciſ.* ʒij.
▽ *cichor.* ℥ij.
cinam. ʒj.

Infundantur per noctem in loco calido, mane adde *Syr. de cichor. cum Rhab.* ℥ß. & detur.

Vel fiat toties laudatum.

INFUSUM LAXATIVUM Mannagettæ ex P. A. R.

℞. *Fol. ſen. el.* ʒvj.
paſſular. min.
confect. ſem. coriandri ana. ʒiij.
crem. ♃i ʒij.

Inciſa & contuſa infundantur viginti quatuor horis in Aquæ fontanæ bullientis ℥xiiij. poſtea colentur cum leni expreſſione, & in colatura ſolvantur

Mannæ elect. ℥iiij.

& facta unica ebullitione cum albumine ovi clarificentur, ac ejus ℥iij. vel iiij. dentur pro doſi.

Si vero viſcidæ hypochondriacorum & aſthmaticorum ſordes ſint evacuandæ ſuaſu *Ettmülleri.*

℞. *Gummi Ammoniaci in vino ſoluti* ℈j,
ſcammonii ppt. gr. iij.
☿*i vitriolati* ℈ß.
▽ *Menthæ.* ℥j.
Syr. roſar. ℥ij.

mſ. detur pro doſi.

Mirati ſumus *Cl. Ettmüller* aſſerit, quas ſordes viſcidas felicisſimè evacuârit.

Vel ℞. *Cortic. citri vel arant.* ℥j.
Reſin. jalapp. ℥ß.
Spir. vini aniſati ℥viij.

Stent in loco tepido ad ſolutionem reſinæ & extractionem corticum. Poſtea filtrata ſerventur ad uſum ac dentur pro doſi à ℥j. ad ℥iß. vel ℥ij. cum parum Julepi roſarum.

Vel ℞. *Reſin. Jalapp.* gr. x.

terantur cum amygdalis quatuor decorticatis & cum Aquæ flor. acat. ℥ß. fiat emulſio cui adde Julepi roſar. ℥j. & detur pro doſi.

Si chronicis malis, lentè, & ſenſim demoliendis directam velis purgantis vim, VINA MEDICATA, omni ingratia deſtituta adhibeas, v.g. ſeq. vel ſimile.

℞. *Radic. aſparagi.*
graminis.
fœniculi.
apii ana. ℥iij.
cortic. radic. cappar. ℥ij.

polypod.

polypod. quercin. ʒiß.
herb. abſynth. pont.
card. benedict.
capill. ven.
centaur. ana. m. ß.
fumar.
meliſſ.
ſcolopendr. ana p. j.
Flor. borrag.
bugloſſ.
roſar. rubr.
acac. ana m. ß.
Fol. ſenn. el. ʒij.
Rhabarb. el. ʒß.
ſem. aniſi.
cort. citr. ana. ʒiij.
croci ℈j.
macis.
cinamom. ana. ʒiß.
℞ *ſolubilis* ʒß.

groſsè inciſa & contuſa ♄. ☉. ſpecies pro vini menſura una & dimidia.

Doſis ʒiiij. ſingulo mane.

Si *in præſervandis contagioſis malis* purgandum ſit, non invenietur præſtantius quam hoc.

Elixir. Propr. Rhabarb. Purgans.

℞. *Aloes ſocotrin.* ʒj. ß.
myrrhæ elect. ʒj.
croci Auſtriaci ʒ. ß.
Rhabarb. finiſſ. ʒiij.
Vini malvat. opt. ℔ ij.
ſpir. ſulfuris campanati ʒj.

pulveriſata & mixta ſtent in digeſtione per menſem & ultra, poſtea colentur per linteam, liquor tinctus & imprægnatus uſui aſſervetur. Cujus doſis à ℈j. ad ʒj.

In febribus malignis, imò *ipſa Peſte*, ut & *hypochondriacis & uterinis malis* præſtantius vix datur purgans.

Non infimum etiam meretur locum ſequens

Elixir Citri Purgans D. Mich.

℞. *Radic. jalapp.* ℔ j. ß.
ſem. carthami ℔ j.
gummi guttæ.
ſcammon. roſat. ana. ℥. ß.

mſ. & extrahe cum *Elixire citri*, poſtea adde *aquæ cinam.* & *ſyr. è ſucco citri* parum.

Doſis eſt à ʒj. ad ʒiij.

Elixir ſive Eſſentia Citri hæc eſt.

Reſcinde *flavas citri cortices* ſubtiliſſimè, relictam pulpam pone ſuper fornacem per 6. vel 8. dies, *tum exprime ſuccum*, quem *per cucurbitam deſtilla*, & exit ſpiritus vini ſpiritum æmulans, *hunc ſuperfunde corticibus*, & extrahe tincturam flaveſcentem palato & oculis gratam. Ne verò interea temporis pereant cortices, parum ſucci citri, vel aquæ roſarum eis inſperge.

Si frigidum ventriculum *cruditatibus* repletum *acidis*, expurgare velis, prodeſt ſequens.

Spiritus Panchymagogus Cnæfelii.

℞. *Trochiſc. alhand.* ʒj.
ſcammon.
gummi guttæ ana. ʒ. iij.

affunde *ſpiritus aniſi* ℔. j. ſtent in digeſtione & ſerventur. Ejus Doſis eſt à ʒß. ad ʒ vj.

Vel

Vel ſpiritus ſalutis Maxvelli.

℞. *Spiritus vini potentiſſimi* ℔ j.
Fol. ſenn. el. ℥ ij.
jalapp. reſin. ℥ j.
hellebor. nigri præparati ℥ vj.
olei fœnic. aniſi ana. gutt. aliquot.

Folia ſennæ & Helleborus contundantur jalappa verò minutim incidatur, & macerentur omnia per 14. dies tunc exprime, & adde iterum tantum novarum ſpecierum, quantum prius addidiſti, & ut prius procede: digeſtione repetita & colatura facta, ſi placeat, adhuc ſemel adde novas ſpecies, & ut prius procede, tunc ſpiritum expreſſum colatum pro uſu aſſerva.

Doſis eſt ab ℥ ß. ad ℥ j.

Nec hic duplex ſpiritus pro Viris & Mulieribus contemnendus. Si pro Viris,

℞. *Fol. ſenn. el.* ℥ ij.
ligni ſanct.
ſarſæparill.
rad. chinæ.
bacc. juniper. ana. ℥ j.
aloes hepat. ℥ ij.

Inciſa & contuſa infundantur *in ſpir. vini* libris iij. digeſtione peracta, tinctura colata ſervetur.

Doſis 2. vel 3. cochlearia.

Si Mulieribus appropriatum velis hunc ſpiritum.

℞. *Fol. ſenn. el.*
baccar. lauri.
Fol. card. bened.
aloes ſocotr. ana. ℥ j.

ſuper-

ſuperfunde conciſis ℔ ij. ſpir. vini & extrahatur tinctura, cujus doſis ut ſupra.

Si quis delicatior Morſellos purgantes expetat, ei commendamus.

MORSELLOS IMPERATORIS PURGANTES Timæi.

℞. *Sem. Melon. excort.* ℥ ß.
▽. *Roſar. opt.* ℥ iiij. ß.

Fiat Emulſio in quâ ſolvatur

Sacchari alb. ℔ j.
Reſin. Jalapp. ʒ v.
Spec. pro Morſul. Imper. ʒ vj.

& Fiant ſ. a. Morſelli

Nec minoris valoris eſt.

ANISUM SOLUTIVUM SOLIDUM Zvvelfferi.

℞. *Semin. aniſi pulv.* ℥ ß.
Nuc. Moſchat. p. ʒ ij.
Diagridii ♃ *rati amygd. probè ſubacti* ℥ ß.
Radic. Jalapp. p. ʒ v.
Crem. ☿i ʒ ij.

Fiat confectio in Morſellis cum

Sacchari albi canar. ℥ viij.

cum ſ. q. Aquæ aniſi ſolutis & ad conſiſtentiam tabulati coctis, addendo ſpecies dum parum refrixerit.

Dantur à ʒ ij. ad. ℥ ß.

mſ. fiant ſ. aj Morſelli pondere unciæ unius.

Vel ℞. *Jalapp. pulv.* ʒ ß.
crem. tart. ϑ ij.
reſin. ſcam. gr. vj.
ſacch. alb. ℥ ß.
olei citri rec. ex cortic. extim. gutt. ij.

mſ. fiat morſellus pro doſi.

Vel

Vel fiant Morſelli Dia-Manna. v.g.

℞. *Mannæ elect.* ℔ ß.
diſſolve in aq. roſar. cinnam. & ſucci citri depurat. q.ſ. colaturæ adde.

cremor. tartar. ʒiij.
Reſin. jalapp. gr. xxxvj.
maceris gr. vj.
ol. ſtill. macis gutt. iij.

mſ. fiant ſ.a. Morſelli pondere unciæ dimidiæ.

Si Pilulæ arriderent, præ omnibus commendarem.

PILULAS HYPOCHONDRIACAS MAGISTRATES Sylvii

℞. *Gummi Galbani in aceto ſquillit. ſoluti* ℈ij.
vitrioli ♂ *blando* △ *ad albed. calcin.*
Maſtich. el. ana. ℈j.
caſtor. opt.
Myrrhæ. el. ana. gr. xv.
croci or. ℈ß.
Trochiſc. Alhand. pulv. ʒj.
Reſ. Jalapp.
ſcammon. ana. ℈j.
℥ *cort. citri* gutt. vj.

mſ. fiant pilulæ grani pondere

De quo cubitum ituris dentur nonnullæ ſic lentè vitioſos educent humores.

Sic nec minoris valoris ſunt

PILULÆ MARTIALES Le Mort.

℞. *Gummi Ammoniaci cum vino depurati* ʒij.
vitrioli ♂ *ad levem rubeb. calcinati* ʒß.
Diagridii ♃ *rati* ʒx.
℥ *menthæ* gutt. xij.

mſ. fiat Maſſa ex qua formentur Pilulæ grani pondere, quarum dantur. v. ad num. x. vel ultra in obſtructis hypochondriis & cachexia ſunt ſatis polychreſtæ, ſed minor doſis noctu ſumta plus ſæpe præſtat & efficit quam major doſis.

Ego ſimplices *Nobilis de Mülinen Pilulas catholicas* ſequentes ſæpè proficuas fui expertus.

℞. *Aloes ſocotrin.*
Diagridii ♃r.
Troch. alhand. p. aṇa. ℈j.
℥ *macis* gtt. v.

mſ. fiant. Pilulæ grani podere.

Dantur noctu pilulæ. v. vel vij.

Optime aliquando eis additur ☿ *dulcis* & ☵ *us vitriolatus.*

Pro admodum delicatulis optatum maximè erit hoc

Electuarium Cydoniatum gratiß.

℞. *Scammon.* ℥iiij. ex hoc tincturam extrahe *cum optimo ſpiritu vini*, reiteratis vicibus quouſque omnis tinctura extracta ſit, & nullus ſpiritus tingatur amplius.

Jam paratum habeas *Electuarium diacydonior. nondum ad conſiſtentiam inſpiſſat.* ℔ iij. civil. & cum jam ſpiſſeſcere incipit, *affunde paulatim ſpir. vini tinctum*, movendo & agitando ſpatula, donec omnis ſpiritus tinctus affuſus evanuerit rurſus, ultimò affunde aliquid aquæ cinnamomi, recoque parum, ac tum in ſcatulas effunde & ſerva.

Sic ſint qui nulla plane purgantia aſſumere queant, eis externè adhibeas ſeq.

Unguentum Jeſſenii alvum laxans.

℞. *Fellis tauri.*
butyri recent. non ſaliti ana. ℥iij.
extract. helleb. nigri.
diacolocynth. ana. ℈j.
diagri. digri. vj.
croci gr. viij.

mſ.

mſ. & lento igne coque ad conſiſtentiam melleam, & cum nucis juglandis putamine umbilico impone. Vel applicetur ſequens

Emplaſtrum purgans.

℞. *Semin. cataput.*
cololynth. ana. ℥ij.
rad. & fol. helleb. nigri.
eſulæ.
ſucci tithymalli.
cucum. aſinin.
agreſtæ.
rad. ſambuci rec.
ebuli ana. ℥vj.
aloes hepat.
ſcammon. ana. ℥iß.
therebint. ℥iij.
mellis deſpumati q. ſ.

ut fiat ſ. a. Emplaſtrum vel cataplaſma.

Miras habet vires hoc Emplaſtrum umbilico impoſitum *ſolvit potenter alvum, vermes necat & expellit*, ſtomacho applicatum vomitum, renibus & lumbis urinam, & mammis mulierum menſtrua ciet, & abdomini impoſitum partum facilitate, & ſi diu geſtetur fœtum expellere dicitur.

Vel hoc tibi *Maxvelli* oleum commendatum habeas, ad quod

℞. *Aloes Hepatic.*
myrrhæ. ℥v.
fellis tauri ℔ j.

mſ. & ex retorta *deſtilla oleum*, cum hoc ventriculum vel umbilicum inunge, ſuperimpoſita ſpongia hoc oleo tincta, & effectum mireris.

Sic & *ſuccus tithymallorum lacteus ſale mixtus* & alvi fæcibus recentibus immiſſus, violenter ſed cum dolore alvum movere perhibetur.

Hæc jam ſunt purgantia, quibus variè variatis & mutatis acquieſcere ſanè poſſumus, unicum tamen hoc ſemper obſerves, ut *ita medicamen diſponas, ut & ſapore & odore blandiatur ægro*, & quod validam ac ſuavem vim ex mole ſaltem exigua ſpirat, ſemper præferatur reliquis.

Nimius verò catharticorum uſus *Galenicis* pravo more receptus reſpuatur, inprimis apozemata larga ſanè doſi, & ſæpè repetita, maximisque hauſtibus propinata, quæ ventriculum adeò ſanè enervant & viribus labefactant, ut nunquam poſtmodum niſi exhibito medicamine, ſuum perficiat munus.

CAPUT III.

Vomitoria exhibet.

HOrum *tanta ſanè eſt efficacia*, ac tantum beneficium, ut etiam ea, quæ aliis purgantibus ne hilum cedunt mala, movere ſoleant, magis etenim ſunt catholica, & materiam coagulatam etiam, & tenaciſſimam, penitus educunt, quam purgantia relinquunt intacta: *hinc illa naſcitur empiricorum felicitas*, qui in herculeis ſæpe morbis, dato quod ſupernè & infernè valentiſſimè evacuat, mira patrant, ubi noſtri *Galenici timiduli*, mirum admodum trepidant, & etiam leviſſimo vix fidunt.

Sed nos cum *Cl. Svvalve*, *ruſticam illam vel infantilem timiditatem proſcribimus*, quia hoc modo egregiis medicamentis uſus denegatur legitimus: ſic & *Cl. Thomſon* in ſuis obſervationibus *epilogismi Chymici p.* 4. nobis adſtipulatur his verbis: *Nihil* (exceptis *Helmonti* arcanis,) inquit, *magis conducit ad futuram ſalutem acquirendam, quam Emeticum lene in principio oblatum*, ſpiritus illuminans, naturæ benevolum, ſcorias ſi quæ ſint in Orgaſmo multifariam mitiſſimè diſturbans, ſine violentia aut ſuperſtite malignitate, imò etiamſi nec ſurſum nec deorſum excrementa perſpicuè profligarit, nihilominus reſolvendo, reſtaurando, illuminando, abſtergendo, nec non per poros cutis noxia exterminando, penſum ſuum

„ ſuum abſolverit: tali vomitorio in febribus malignis ineuntibus pro „ exanthematum, ſudaminum, macularum, puſtularum, morbillo- „ rum, variolarum, à centro ad peripheriam expulſione vix quic- „ quam reperiatur præſtantius. *Hæc ſunt*, porro pergit p. 8. *quæ* „ (poſt 40. cathartica vulgaria ſuccos corporis ſinceros colliquantia „ miſeris data, centro mali, ventriculi fermentum, aliarumque par- „ tium depravantia, neutiquam pertacto,) *chronica infirmitate im-* „ *pensè etiam exhauſtis propinata, ſuppetias è veſtigio attulerunt.*

Quod verò *Galenici timiduli*, talia non præſtent ſuis præſcriptis vilioribus vomitoriis, nec hinc fidant, inde venit, *quia eorum in pharmacopoliis præparata vomitoria ſunt cruda*, incorrecta ex falſis fundamentis enata, viribus eximiis orbata & corrupta. Si verò hi à ſuis præconceptis erroribus remitterent, & veriora Chymiæ fundamenta haud adeò damnarent, meliora ſanè medentum fata proditura eſſent! ſed redeamus ad noſtra vomitoria.

Hæc quidem (quia magis contra naturam vomitus agit quam purgatio,) etſi *operationes ſuas non perficiant absque anxietate*, totiusque commotione: *contremiſcunt* enim ſæpè *labia*, *calcant oculi*, & *extrema frigent*, quia ventriculus rei moleſtæ injuria convulſus totus ſurſum impetuoſo conata fertur: Nihilominus tamen, *ſi alias Emeticum ſit naturæ conſentaneum*, & additis aliquot reſolventibus, abſtergentibus, & leniter purgantibus, propinatum, ſalutiferus maximè erit vomitus, ſi moderamine compleatur. Et licet tam operoſus effectus nil ſanè niſi terribilia ſpiret, tamen recollectis viribus, pacatus deprehenditur archeus: quicquid enim impuritatis ac illuviei ventriculum, & viciniam infeſtabat, hâc via commodiori ejectum eſt.

Hinc *Lien*, *& ventriculum contingentes partes*, *via hâc brevi & expedita omnibus exuuntur noxis*, imò & ea quæ craſſioris ſunt tenacitatis ventriculo excutiuntur, ac conſequenter tum reliqua corporis ſublevantur.

Cum tamen interim valida hæc viſcerum concuſſio non ſit cuivis, hinc *ſanè proclivitas cujusq; naturæ*, ac humorum propenſio & motus attendatur.

Ad vomendum verò *aptus est nauseabundus*, qui *firmo stomacho, & capite, amploque pectore* existit.

Subito hæc *exposcitur medela* cum æstuant præcordia; *os amaricat, frequens salivatio*, hypochondriorum morsus, *amarulenti ructus*, & alia juncta adsunt. Econtra verò cephalalgia in malignis, & hæmorrhagia lacessitus, sicut nec in tabem pronus, qui exhaustis viribus, & exuto robore, animo facile linquit, nunquam ad vomitum cogendus.

Conducibilis verò maximè est vomitus, ubi ventriculi salus claudicat, quicquid enim in eo cruditatis nomine venit, & ex singulari corruptela, maligna effumatione cerebro noxium est, imo ipsum venenum epotum, subitaneo hujus adminiculo sine omni ejicitur noxa.

Et *ipse stomachus crebriori vomitu exagitatus* præter naturam, *vomitorio sensim* exhibito *curatur.*

Non bilis quovis modo corrupta, non ipsa acidi, sivè atræ bilis, rabies, nec mucositates pituitosæ salinæ, in intimis etiam viscerum cuniculis contentæ, inconcussa remanent.

Sic & *febriles paroxysmorum insultus, dum inchoant, hoc præsentaneum exquirunt auxilium*: Febrilis enim focus ventriculo plerumque vicinus est, hic vomitorio legitimè adhibito, aut extirpatur, aut infringitur, ne vomitem vel vasis vel cordi remittat. Ipsa enim sæpè natura in tertianariis, & quartanariis vomitum movere solet, quidni ergò artifex motam camarinam, amplius commoveat, ita enim revocatur miasma, vel influxus cohibetur, ne originem febri præbeat.

Omnibus porro catharrhis spicula hebetat, ac præservatione etiam *arthriticos mirè sublevat.* Nec asthmatici, nec anheloſi, si modo integro degant pulmone, à vomitu arcendi.

Jam vomitorium propinaturus, *tempus oportunum* notato, *si* enim *sincerum* lubet elicere succum, *jejunis exhibe.* Sed *si duriter quis mobilis existat*, stratagemata adhibito, nimirum *post pastum*, unius horæ spatio interjecto, vomitorium propina, ita enim vacuatio facilitatur, & bonus cum malo succus extrahitur: *in ipso actu* cum

vomendi

vomendi conatus angit, *oculos comprime*, & caput in prono ſitu repone, & ſi opus differatur nimium, *digitis irritetur.*

Si verò nimia violentia fatiget, compeſcatur, *cucurbitulâ ventri impoſita*, & *ſal abſinthii cum cochleari recentis limonum ſucci* exhibeatur: vel fomentum adſtringens ventri applicetur, aut *laudani opiati aliquot grana* porrigantur, ita enim *placida quies* fontem obturat, & ſtomachum confortat.

Sed ipſa jam adeamus *vomitoria*, inter quæ valentiora, quæ ulterius vires extendunt, quam alia fortiter ſaltem turbantia, triumphant. Hæc verò *à verè purgantibus* non natura, aut ſpecie, ſed *gradu ſaltem differunt*: vis enim in his excellentior, in purgantibus verò minor.

Quod verò *ſæpius purgans*, *vim induat emeticam*, *ab humoris ejiciendi diſpoſitione dependet*, volatiliores enim & bilioſi à natura aliàs facilius ſurſum feruntur, quam concentrati & viſcidi humores acido-ſalini ſcorbutici, qui ideo volatilioribus & acrioribus ſalinis vomitoriorum ſpiculis exagitari neceſſe habent.

Inter omnia vomitoria verè *excellunt Antimoniata* legitimè & parata, & graduum ratione adhibita. Et expeditum ſanè tibi præſtabunt Emeticum, *ſulfur Antimonii*, *centaurium minerale vocatum*, *tartarus Emeticus*, *poculum ex regulo perpetuum*: hæc, ſi ritè fabricata ſint, mirandos ſanè nec laudandos ſatis præſtabunt effectus. Sic & doctiſſimus. *Maxvellus* communicat ex antimonio purgans, quod univerſale, & inſtar auri potabilis ſuas operationes perficere deprædicat, & obſcurioribus verbis ita deſcribit:

Fac inquit, *ex ſtibio Hungarico* igne naturæ mulplicato, *calcinatione*, *pulverem albiſſimum*, à fumo cave, quem copiosè emittit, verum ſi pondus hacce calcinatione tantum non inveneris erraſti: ac tum igni iterum impone, donec pondus augmentetur, & tum calcinatio perfecta eſt.

Recipe *hujus pulveris* ℥j. *ſpiritus ſummi vegetabilis* ℔. ß. digere per 20. dies, vel menſem, liquorem decanta, cujus doſis ℈ij. ad ʒ. ß. eſt in omnibus morbis ſummum arcanum.

Si

Si pulvere remanente uti rursus velis, ut prius calcina, sed calcinatio citius perficitur, & pulvis virtute & pondere augetur, acidi spiculis ex Sole reattractis, & ita perpetuam habebis mineram salutis. Multa, pergit, tibi dixi, si intelligis.

Si mitiori rem expediendam judicas, tibi commendo *gummi guttam*, quæ præter emeticam vim, catharticam obtinet, ac hinc nec intemperanter effervescit in stomacho, præprimis si *tartarus vitriolatus* & *spiritus vitrioli* commixti sint, v. g.

℞. *Gummi guttæ pulv.* gr. xij.
tartari vitriolati gr. viij.
spir. vitrioli gutt. vj.
aquæ cinamomi ʒj.
julepi rosarum ʒ ij.

mf. pro una dosi.

Vel *ex hujus pulvere cum cremore tartari & mica panis* in pillulas redacto, non contemnendum habebis effectum.

OXYSACHARUM EMETICUM. CL. LUDOVICI.

Aliàs non ingratum nec violentum, sed jucundum admodum vomitorium præbet Cl. D. *Ludovici OXYSACCHARUM*, quod ita parare jubet :

Recipe *croci metallorum*, legitimè ut de Antimonio parat. *scrupulos octo*, infunde pet triduum in *aceti communis* (non destillati, ut utpote nimium figentis:) *unciis decem* in loco calido, postea sæpius agitatus liquor, (qui de croco quidpiam dissolvit,) filtretur, eique *ana sacchari albi additur*, & vitro clauso in calida detinendo sponte solvitur, & si placet, essentiæ papaveris erratici drachma tingitur, ac ita tutissimum etiam infantibus exhibendum acquiris vomitorium, cui *trimestri grana duo* præterpropter, *anniculo grana septem* & octo, adultis verò ad *drachmas duas*, *tres*, vel *unciam semis*, exhibitum hoc Oxysaccharum, optatum admodum præstabit effectum. De hoc refert, quod, cum confectum, unà præter propter expressi *oleosi corticum citri* succi drachma condire instituerit, omnes ejus

ac

ac ſingulæ doſes indifferenter quovis per inferiora ſaltem ſufficienter expurgarint. Cum verò hoc multoties tentaſſet, nunquam poſtmodum eundem effectum, in recenter fabricato Oxyſaccharo, quovis modo etiam quæſito, reperire potuiſſe refert.

Præter hoc admodum laudatum Oxyſacharum & Tartarus Emeticus exhibet Vomitorium ſat tutum & jucundum.

CAPUT IV.

Diuretica examinat.

HÆc urinam, vel quicquid impuri ſeri vaſis, vel viſceribus adhæret, expellunt: *Non verò ea exhibenda, niſi natura ad vias urinarias inclinet*, quod ex ſudore ſuppreſſo, & copioſa urina (niſi eam largior potus excitarit,) cognoſcitur.

Et cum naturam univerſaliter expurgent, & ab attenuabili humorum colluvie liberent, hinc *in acutis magnæ utilitatis eſſe* etiam, contra communem opinionem, non præmiſſis univerſalibus, *Excell. Ammannus* aſſerit, cum ipſa ſint univerſalia, hinc etiam *in calculoſis* ſubitò *ad diuretica tranſeundum cæteris paribus* jubet, non tamen audacter, in omni renum affectu, ubi de calculi præſentia non ſat certi ſimus.

Notabilis enim hic *error eſt*, inquit, quorundam *practicorum, qui ſine diſcrimine diuretica, & calculum pellentia adhibent*, dum enim magnitudinem calculi, & numerum ignorant, *ſæpius calculum in anguſtias ureterum pellunt*, cum ineffabili patientis cruciatu, ſicuti *Helmont* pluribus hæc pertractat *de lithiaſi* §. 15. *& ſeq.*

Reſpiciunt in genere diuretica, urinam parte ſerosâ & ſalina variè variatâ conſtantem, & ejus largiorem fuſionem. Cum enim eædem ſalinæ particulæ ſæpè prava vi ſcorbutica peſſimos inducant effectus, hinc ad eadem diuretica ante omnia confugiendum erit.

Univerſale Diureticum acidulæ præbent, his actuale ineſt frigus, ſed *potens calor* & ſiccitas, abſtergunt enim & ſucci plurimum addunt, non abominandæ ſapore, viſcida incidunt, ac tartarea ſalina reſolvunt, & ex intimis corporis penetralibus educunt.

Non verò una via excrementa exturbant, licet præcipuè per urinas. *Humoribus melancholicis, acidis, ſalinis*, commixtione aqueæ ſubſtantiæ *fluiditatem imprimunt*; adeò ut per vias urinarias potiſſimum ſecedant.

Si ideoque viſcera vis impuritatibus ſcorbuticis ſalinis expedita? Si ventriculo & nervis afflare robur? & calidis ac frigidis affectibus ſolamen dare plurimum? addito acidulas. Sed præmiſſis præmittendis, adaptata diæta, & aliis obſervatis legitimis requiſitis.

Si has adire haud licet, vires ſupplere poſſunt *acidulæ artificiales*, quas *Henricus de Rochas* in peculiari tractatu, longè efficaciores naturalibus ob ſeparationem ſuperfluæ aquoſitatis, & utilitatem tam hyberno, quam æſtivo tempore, prædicat, eaſque *ex metallo in primam materiam redacto, auxilio ſalis hermetici*, aut optima minera adhuc vivis, & proprio ſpiritu imprægnatis, ac facilè ſolubilibus, certoque membro appropriatis (ut cerebro vitriolum Lunæ, cordi aurum, epati Mercurium, pulmonibus ſulfur &c.) vi æquæ menſtrualis ex ſale hermetico, & terra virginea compoſitæ extrahit, admirandaque præſtari obſervavit.

Aliàs *D. Helvicus* Dietrich hoc modo ſuas paravit acidulas: v g.

℞. *Antimon. nitri* ana. ℔ j.
ſulfuris comm. ℔ j. ℥ij.

contuſis probe immiſce vel *terram ſigillatam*, vel bolum armenum, vel *ſilices tuſos*, aut arenam mundam optimè ſiccatam, vel quod melius, *Martis limaturam*, tunc inde retortæ terreæ, & igne aperto vel arenam ſecundum gradus deſtilla. Si lubet *irroretur* hæc tota mixtura *phlegmate vitrioli*, ex vitriolo crudo, per ſe per alembicum deſtillato, in vas recipiens præſuppone aquam frigidam fontanam ad ℔ j. circiter, vel quartam partem phlegmatis vitrioli, ſicque deſtilla, liquorem extillantem per M. B. rectifica, quod in fundo manet filtra, & ſerva.

Cl. *Mollenbroc. de Arthritide vaga* refert, ſe ex *aphronitro tincturam* facere, quæ miræ ſit efficaciæ in obſtructionibus reſerandis, & reſolvendo tartaro vel ſale ſcorbutico, illumque per urinam expellendo: hanc ita fabricat: TINCTU-

TINCTURA APHRONITRI.

Recipe *aphronitri*, q. v. ſuperfunde *ſpiritum ſalis*, & ob ſalium contrariorum repugnantiam videbis miram efferveſcentiam, hinc in vaſe amplo conjungi debent; facta verò pugna, filtra liquorem, & habebis inſigne medicamen in tartaro per urinam expellendo ut jam ſupra laudatum.

Sic & *Penotus* inſignem paravit ſpiritum aperitivum quem hoc modo idem *Cl. Mollenbroc.* elaborat.

SPIRITUS APERITIVUS PENOTI.

Recipe *vitrioli Goslarienſis* ℔ iij. ß.
ſalis tartari ℔ ij. ß.
ſilic. calcinator. ℔ vj.

Indantur retortæ terreæ, ac gradatim ignem augendo deſtillentur. Caput mortuum excoquatur, ac ſpiritus excocto ſale imprægnetur, ex quo cum argilla figulina globuli efformentur, qui retortæ iterum immiſſi deſtillentur, ac deſtillatus ſpiritus rectificetur & ad uſum ſervetur.

B. D. Keiling olim Archi-Epiſcopi Magdeburgenſis Archiater hunc ſpiritum in literis ad Cl. Mollenbroccium datis, valde laudavit *ob ſilicum* admixtionem, præprimis *ſi* illa *circa aurifodinas nati ſint*, in eorum enim ſpiritu maximam vim corporis machinam innovandi latitare aſſerit.

Dictus *Cl. Mollenbroc.* interim refert ſe hunc ſpiritum in hydrope maximè proficuum expertum eſſe.

Omnibus facilè *palmam præripiunt ſalia volatilia*, quæ coagulatorem ſalinum crudum acidum à coagulando liberant, ſanguineam maſſam exagitando ſeroſas à cæteris amandant, *concretionem multa dilutione impediunt*, quævis acria, copiâ ſuâ & energiâ deſtruunt, eorum ſpicula defricant; *renum fermentum vitioſum*, ſi illud calculi aut arenularum fabricæ vacet, *enervant*, temperantque. *Si tamen calculoſæ concretiones jam factæ ſint, nonniſi longo uſu*, hiſce ſalibus volatilibus *curam perficies*, quia illa per varias in corpore mutationes

debilitantur, antequam verum hoſtem jam aggrediantur: hinc non inconſideratè *Paracelſus* ſuum ludum fixavit magis, ita tamen ut fixiori involucro volatilis Medicina obtegatur, ut tot digeſtionum ſubactionibus reſiſtat fortior, uſque eo latitans, donec hoſti obvius ſimili diſſimilitudine, (quia & calculus & ludus ejus acidum continent ac alcalinum,) eum dituat, vel ejus copias imminuat, ſicuti accuratè admodum hæc tractat politiſſimus *VVilhelmus ten Rhyne in ſuis meditationibus de veteri Medicina p.* 223. ubi ulterius *calculoſæ concretionis ſolvendæ ſpem in volatili nitri ſpiritu ponit*, cum ex ſalibus volatilibus maximam partem conſtituatur, hujus vero ſolutionis cauſam eſſe, quod ſuis aculeis obſtructiones reſerat, & renum fermentum confortet, ut ſanguineam maſſam largius præcipitet, ſive ſerum à ſanguine ſeparet, ac multâ dilutione acrium confluxum impediat, vel eadem hebetet.

Et cum hæc volatilia acida ſuis ſpiculis non exactè illi fermento reſpondeant, deſtructionem calculoſæ & ſalinæ concretionis, pro fabricatione intendant, *inprimis nitri ſpiritus*; Et hoc confirmari credit hiſtoriâ, quâ *nitrum à provincia Nitria deducit*, quod plurimum ibi ſcateat, ubi nec rupes nec lapides ferè ullos permittat: forſan quia hujus ſpiritus, ignis inſtar, homogenea congregat, & heterogenea ſegregat, ac penetratione ſuâ calculoſum dirui vinculum.

Ex hoc fundamento ſupradicti ſpiritus vires ſuas trahunt, in reſolvendis ſalinis & tartareis ac coagulatis mucilaginoſis excrementitiis humoribus.

Ubi & maximè excellit *Tinctura ſuccini cum liquore nitri fixi parata.* Uti & *tinctura nitri* de nitro edocta; & ſupra dictus *Cl. VVilhelm. ten Rhyne* refert ſe experientia edoctum, *nullum Sal volatile magis adverſari calculo, quam calculi:* quod & de reliquis maſſæ ſanguineæ, & liquoris ſeroſi, ſalinis concreſcentibus particulis conſiderari meretur, ac hinc *ſpiritus ſanguinis humani urinæ*, vel ſalis armoniaci volatilis & urinoſus & acidus, hic admirandæ ſunt energiæ, in ſalinis quibuscunque concretionibus reſolvendis.

CAPUT

CAPUT V.

Sudorifera conſiderat & Alexipharmaca.

HÆc *occultos inquirunt*, ac inveniunt *meatus*, ſuperfluas enim ſeroſitates, alienis utrinque qualitatibus imbutas, per totius corporæ molis poroſitates confeſtim in aquæ ſpeciem exprimunt.

Cum enim hujus copia arteriæ tenduntur, & cor potentius ſolito pulſat, tum natura ſuo molimine ſerum fundit, & poros laxat: Si verò claudicat hæc naturæ benignitas *Diaphoretico* erigenda eſt, *quod ſolvit, fundit, tenuat ſuccos*, ſegregatque à craſſioribus tenues: Et cor ad expulſionem inſtigatum oſcula vaſorum, cutiſque patefacit.

Primo verò corporis ambitus, dein ſucceſſivè interna pleraque exceptis cavitatibus exonerantur, quia ad intima corporis penetrant, ſubtilia, ac agilia ſudorifera.

Hinc in chronicis frigidisque deſtillationibus, ubi indomabiles quandoque regnant humores, mira poſſunt; quæ verò *craſſi, ſalini, terreſtres nec liquabiles*, ut in halitus vaporoſos faceſſant, *relinquuntur ac reſpuuntur*, aliis evacuantibus tum exterminanda.

Et licet toto corpore ignea extendatur caliditas, perſtante ſolum virium robore, *maximam tamen putreſcentium humorum copiam eliminant, præſertim ubi quid maligni aut peſtilentialis concurrit*: Solis enim ſudoriferis, cordi & ejus canalibus infeſta hoſtilitas ac pernicies, infringitur, & malignitas declinatur, malitiaque ad corporis ambitum deducitur, quorſum nec purgantia perveniunt unquam.

Ante omnia tamen, & quidem *adoleſcente hoc malo expoſcit hæc remedia malignitas, mox in principio per ſudores diſcutienda*, ne paulo poſt virium robore imminuto, cor oppreſſum deficiat.

Jam verò ut nil malorum conſciſcatur corpori, molliter huic præſidio incumbendum, & nimia materiæ copia, ſi tempus ferat, primò

eximenda est : Postea *virium robur* perpendendus, maximè enim hoc *sæpe cadit*, dum cutanea aperiuntur spiracula, & *spiritus vitalis*, *coloris vehiculum*, *evanescit*, ac humores solvuntur.

Non verò nisi *blande* ad sudorem cogendi *emaciati*, & quorum calor & bilositas moderamen excedunt, in his enim facile jecori malum succrescere potest.

Aliquoties de die movere sudores, nisi in peste necessitas urgeat, *malum* ; duo enim vel tria indusia madefacta omne id absorbent, quod cum ægri tolerantia educibile existit.

In hydropicis hisce armis in aciem prodire haud licet, quia copia seri excedens promptè expelli haud potest, nisi plenitudo humoris serosi prius purgantibus detrahatur.

Quomodo verò jam discuti serositas debeat videndum, *non enim sufficit Diaphoreticum assumere, sed opus* item *est calore ambiente*, qui promovetur tegumentis corpori circumpositis, ut pori dilatentur magis, *libera tamen manente respiratione*, ac ita pedetentim incalescat corpus, ut sic madefactum elapsa ab hausto remedio hora diffluat, tum *indusia madida semper cum calefactis commutanda* ; & omni sanè conatu frigus arcendum. Probe verò felicitant hanc operationem *jejunus venter*, *somnus*, *æstus*, *hypocausti*, vel *silices igniti*, *linteisque aceto madentibus involuti*, *ac pedibus axillisque supppositi*, halitus item strangulis concluſus quoad tolerari potest, in peste verò & malignis somnus vitetur, ne venenum irrepat ad cor: ubi è contra *in aliis suavi prærepente somno*, à placida quiete, vigiliis, doloribusque exemptis *sudores rorant* copiosius ac tolerabilius.

Antequam verò ad ipsa accedamus sudorifera, hoc adhuc notari velim, *ne ea propinentur ubi serum deficit*, nisi aqueis vehiculis copiosè additis, quo serum substantialiter augeatur, nec jam deficiens magis exhauriatur. Sic & *in primarum viarum cruditatibus*, *quando abundant*, antequam eæ purgantibus vel vomitoriis, quoad crassiores partes eliminatæ sint, *non exhibeantur*, ne serum coagulatum, magis coagulent, & impuritates sanguinis quas tollere debent, augeant magis.

Nec

Nec fortius impellendi ſunt ad ſudandum ægri, præprimis *quorum natura non inclinat.* Hinc peccant illi qui in febribus tam benignis quam malignis ægrum continuò inſtigant, ut ſæpius phthiſeos metum & alia non levia ſymptomata incurrat, hinc naturæ concedatur tempus oportet, cum *ſæpe præſtet tenuis udor*, quod nunquam præſtat ſudor.

Tandem ad ipſa deveniendum ſudorifera quæ vel externa ſunt vel interna: *Externorum nomine Balnea, thermæ, Laconica exercitia, & frictiones* & ſimilia veniunt: nunquam verò his ſolis res abſolvitur niſi ubi in ſpatiis intercutaneis materia magis hæret, vel ubi tumor particularis membrum aliquod fatigat, tunc enim expetitum perſæpè levamen præſtant.

Interna varia & diverſa ſunt, ab Alexipharmacis non diſtincta, niſi levi gradu; *ſudorifera* enim *conſpicuum magis effectum relinquunt*, ubi Alexipharmaca absque ſenſibili ſæpè tranſpiratione ſanguinem ventilant: quia tamen ex uno fundamento educi ambo debent, hinc paulo diſtinctum dabimus examen: primò tamen ſudorifera magis, poſtmodum verò Alexipharmaca dabimus.

Hic verò duplex ſudoriferorum via potiſſimum conſideranda, vel per alcalia vel per acida.

Alcalia in omnibus illis conveniunt affectibus *ubi ſerum acidis*, ſalinis, ſcorbuticis, imprægnatum particulis, mali originem fovet: Inter hæc verò maximè volatilia excellunt, quæ potentius fixis ſudorem cient, v. g.

℞. *Aquæ Card. bened.*
tenellor. C. C. ana. ʒj.
ſalis vol. C. C. ℈j.
ſyr. papav. err. ʒij.
m. ſ. pro doſi.

Vel ℞. *Sem. card. bened.* ʒij.
aq. ſcabioſ. ʒij. ß.
ſcord. ʒ. ß.
f. emulſio cui adde

ſalis

ſalis vol. C. C. ℈. ß.
ſacchari candi. ʒj.

mſ. pro doſi.

Vel ℞. *Aquæ juniperi* ʒj.
extract. junip. ℈j.
ol. ejusdem deſt. gutt. iij.
ſalis C. C. vol. ℈. ß.
rob. juniperi ʒ ij.

mſ. pro doſi

Si verò ſimul humorum fermentatio concurrit, ut in *inflammàtionibus*, *pleuritide*, *articulorum fluxibus*, ubi & acidæ & alcalinæ inter ſe pugnant, ac ſpiritibus hinc pereunt, & alcalinæ ſubiguntur, ac una in pus degenerant, tum *ſtatim in principio jugulari debent* particulæ dimicantes, *eminentioribus ſudoriferis volatilibus fixis combinatis*, ut ſunt *Antimonium diaphoret. bezoard. minerale, nitrum fixum & ſimilia.* Tum enim volatiles ſpiritus ſtagnantem ſanguinem non modo reſolvunt, poros aperiendo ſudorem promovent, ſed & acidum peccans emendant, expellunt, quia exagitant & cum eodem non condenſantur, quia diverſæ in volatilitate & fixitatæ naturæ ſunt, & remanentia acria attenuando dulcificant, bili priſtinum vigorem reſtituunt, ferociamque tollunt, v. g.

℞. *bezoard. mineral.*
ſalis vol. C. C. ana. ℈. ß.
Zinnab. nativ. gr. v.
laud. opiat. gr. j.

mſ. pro doſis.

Sic & *acida ſæpiſſime, levi copula combinata*, optimum, præſertim *in magis bilioſis*, præſtant effectum, parant enim viam reliquis, ſpiculorum ſuorum ſimilitudine, & ad inordinatos ac effuſos ferunt in hoſtes. Sic obſervamus *Tincturam bezoardicam acido volatili legitimè copulatam, promptius ſudorem movere*, quam absque hoc paratam. Sicuti comperimur in febribus intermittentibus, palpitatione cordis & ſimilibus, ubi acidum ſimul peccat. Si

Si Bilem magis volatilem, quam acidum reſpicere oportet, *acida melius rem expedient*, ac inter hæc quæ alcalinis commixta fixioribus, volatilitatem bilioſam & concentrant ac expellunt, ubi abſente malignitate ſequens peroptimè convenit.

Oxyſal Diaphoreticum.

Recipe *ſalis card. benedicti* q. v. ſuperfunde ſenſim tantum *aceti generoſioris*, donec & ſal diſſolutum, ac ebullitio ſedata, gratum liquorem acidum præbeat: *tum evapora leniter liquorem*, ſal verò relictum *ſolve cum aquâ roſarum*, ac per octo dies leni calore digere, & *fiet rubicundus liquor*, qui decantatur, & ad ſiccitatem exhalatur, tum vero loco ſicco aſſervatur.

Cujus doſis ℈j. ad ʒß.

Si malignitas, vel venenata qualia, ſanguinem reſolvendo, vitales offendant & deſtruant ſpiritus, eorum verò *ſpecialis proprietas nondum cognita ſatis ſit ad Alexipharmaca* univerſalia confugiendum erit.

Sed licet nullum ſit Alexipharmacum quod omnibus venenatis qualibus conveniat: attamen dantur polychreſta, quæ pluribus malignis affectibus ſolamen attuliſſe, experientia comprobatum habemus.

Inter hæc ante omnia excellunt *Theriaca cœleſtis & Tinctura Bezoardica.*

Hic verò obſerva, *in principio*, ad majorem penetrationem & diſcuſſionem citiorem, & *ubi malignitas intimior, ac natura in expellendi opere ceſſat*, & exanthemata retrocedere obſervantur cum reſpiratione difficili, & præcordiorum anxietate, *magis conducere volatilia.*

Poſtmodum verò *circa ſtatum*, vel acquieſcente jam & *ſedato archeo*, ubi alteratione & præcipitatione magis opus, *fixiora plus convenire.*

Non verò ſemper ſudor cogendus, ſed ſufficit alexipharmacis ritè adhibitis, *naturæ liberum concedere motum.*

Imò & hoc maximè venit obſervandum, ut homini maligno

morbo prehenſo, ſubitò, & *ante initum ſomnum*, *alexipharmacum porrigas*, ut ita in prima quaſi herba malignitatem jugules, antequam ſomno ad cor deferri ea queat.

Jam ad ipſa præſidia, inter quæ, propter nobiliora ingredientia, & ſingularem hinc energiam, primarium vindicat locum, & propterea ita vocat.

Theriaca cœleſtis quæ mihi ita fit.

℞. *Opii legitimè parati* ʒviij.

Huic in conſiſtentiam melleam redacto, & *ſucci limonum depurati* ℔ j. ſoluto, in capaci vitro adde

Trochiſc. de viperis ʒiij.
Eſſent. croci ʒij. ß.
caſtor. ʒß.
Pulpæ ſcillæ ʒiij.
olei nuciſtæ ʒij. ß.
ſpir. vitrioli volat. ʒj.
myrrhæ elect. ʒij.

Hiſce adde Extractum ex ſequentibus ſpeciebus paratum, v. g.

℞. *Angelic.*
Carlinæ.
Imperator.
Contrajerv. ana. ʒiiij.
Zedoar. ʒij.
Fol. menth. moſchat. m. ij.
mari veri ʒij.
comar. ſcord.
rutæ ana. ʒiij.
hyperici ʒj.

Ex his ſpeciebus inciſis fiat cum *vino malvatico ſpiritu vini acuato* extractum, quod tum rurſus ſuo ſolvente ſolutum, prioribus adde.

Porro adde ex ſequentibus aromaticis confectum extractum, v. g.

Recipe

Recipe *Cinamomi acuti* ℔ ß.
fl. macis.
Ligni aloes ana. ʒij.

Ex hiſce cum aqua cinamomi fiat ſ. a. Extractum, quod tum aqua cinamomi rurſus ſolutum prioribus adde.

Jam *ex fæcibus* poſt extracta relictis, & calcinatis, *ac in cineres converſis fiat ſal*, qui repetitis ſolutionibus purificatus prioribus addatur.

Poſtea in B. abſtrahatur liquor ad remanentiam extracti liquidi. Spiritum verò egredientem ſerva pro nobiliori aquâ theriacali.

Jam *ut confectum extractum in cæleſtem exaltes theriacam*, ſuperfunde ei *ſpiritum vini juniperinum ſummè rectificatum* ad quatuor digitorum eminentiam, & vaſe accuratè clauſo, in calore leni detineatur per 6. vel 7. dies, donec ſpiritus probè ſit tinctus: quo effuſo alium ſuperaffunde, ac laborem repete, donec ſpiritus omnes vires extraxerit, nec tingatur amplius.

Hoc facto maſſam remanentem in reverberio calcina, quo flammâ ſenſim cremata, in cineres abeat materia, ex qua ſal elicies & purificatum ſerves ſpiritui tincto jungendum.

Spiritum jam tinctum & ſale junctum, in B. leniſſimo deſtilla, & ſerva pro ſpiritu theriacali ſume Bezoardico: in fundo verò reſidet vera theriacæ eſſentia, cujus unciis quatuor adde

Perlarum præp. Orient.
Smaragd. præp. ana. ʒß.
Lapis bezoar. veri ʒij.
bezoard. mineral.
cinnab. nativ. ana. ʒiij.
ambræ griſ. ʒj.

miſce continue agitando, donec eam aſſecuta ſint conſiſtentiam, ut in pilulas formari queant.

Hæc ex extracta mea cœleſtis Theriaca, quam ego omnibus, etiam maximis ſolennitatibus paratis, & ex variis inutilibus ingredientibus præter rationem compoſitis, Pharmacopolarum, longè

ſane præfero. Percurre eorundem de hac theriacâ hinc inde editos tractatulos, & ingredientia conſidera, invenies reverà *multa inconſideratè admodum addita, quæ quidem molem, at vires minimè addunt.* Et quid commixta gummita? An ea vim alexipharmacam exaltatura exiſtimas? Sane! cum principaliſſimè hujus theriacæ vires in opio conſiſtant, quid opus multis inutiliter quærere, quod paucis iisque nobilioribus efficacius obtinemus, niſi quis præter neceſſitatem, vel ſumptus & labores, ex nimia curioſitate, multiplicare ineptè velit.

Opium eſt quod principaliter hic ſuas exſerit vires, aſſentiente nobis *Cl. D. Ludovici in ſua Pharm.* ubi *ſaluberrimum opii cum alexipharmacis ac aliis Diaphoreticis copulationem* ſat noſſe aſſerit, eaque etiam in malignarum illarum cephalalgicarum principiis, opii tantillo quaſi condita, imò *in augmentis ad diaphoreſin, (non verò in ſtatu*, contra vigilias atque deliria, ceu tum ſæpè numero funeſta,) ſecuriſſimè magnoque cum juvamine exhiberi, tam diu ſe confirmatum ſcire refert.

Nec diſſentiunt alii, inter quos *Cl. B. Svvalve* vult, narcoticam vim, ad diaphoreſin non minus præſtare ac ſalinam, & hoc non accidentaliter ſed ex ſe, cum ex eis, inprimis opium, calore, id eſt volatiliſſimis ſulfureo-ſalinis particulis conſtet, unde etiam *Theriacam*, *Mithridatium*, *Diaſcordium* & plura alia antidota ſudores præcipue eliciant. Doſis hujus theriacæ ut plurimum eſt à gr. ij. ad iiij. in pillulis, vel cum aliis nobilioribus remixti, gr. j. vel ij. v. g.

℞. *Aquæ Card. bened. vel tenell. C. C.* ʒj.
Tinct. bezoard. gutt. xx.
theriac. cæleſt. gr. ij.
ſalis viper. vel C. C. vol. gr. viij.
ſyr. è toto citro ʒij.
mſ. pro doſi in peſte ſæpius repetenda.

Caſtorei Extractum.

Quod ingreditur, hoc fiat modo, v. g.

Recipe *Caſtorei opt. recent.* ʒiiij.
ſpir. ceraſor. nigr. vel lilior. convall. ℔ ij.

Caſto-

Caſtoreum ab omnibus membranis, & pinguedine purificetur, incidatur ſubtiliſſimè, & cucurbitæ vitreæ immiſſo *ſuperfundatur dictus ſpiritus*: factaque *unius diei macerationè, abſtrahatur ſpiritus deſtillando* fortiter per M. B. ad ſiccitatem caſtorei, ut omnis ſpiritus iterum proliciatur, qui aſſervetur ſtudioſe.

Ex reſiduo caſtoreo extrahatur repetitis vicibus, *ſpiritu vini affuſo eſſentia*, donec ſpiritus non amplius tingatur, poſtmodum ſpiritus omnis tinctus abſtrahatur levi calore M. B. ad conſiſtentiam mellis, quæ in patina vitrea, ulterius ad ſatis denſam extracti conſiſtentiam evaporetur, cui denique *reſtituatur ſpiritus ablatus*, & addita *eſſentiæ arant. ſaccharin. ex rec. cortic. extractæ* ℥. ß. tum fiat juſtæ conſiſtentiæ extractum: quod propter particulas ſalino ſulfureas volatiles oleoſas, ad effectus cerebri & uteri inſignis eſt Medicina.

Ex croco, eodem planè modo, jam docto, fit itidem eſſentia.

Præterea etiam *Theriaca cœleſtis*, *pro Panacæa* à multis vult haberi, ad omnes ferè morbos, cui tamen non ſemper eventus reſpondet, variis quidem medicaminibus admodum commodè in multis affectibus, (ubi ſudorifera, & bezoardica deſiderantur, item ſpirituum exſultans motus, dolorem, vigilias, &c. infert,) combinatur; quod verò in omnibus fermè affectibus, ad quos vulgo laudatur, ad eam, per ſe & aliis haud combinatam, tanquam ad ſacram anchoram confugere debeamus, nimium dictum exiſtimo, cum non ubique & bezoardica & narcotica rem expediant.

Accedamus igitur ad alterum, quod aliis univerſalius volumus, Alexipharmacum, quod ob inſignes vires nuncupatur.

Tinctura bezoardica.

Hanc nos ita adornamus ex *Cl. D. Ludovici*, *Hoffmanni*, & aliorum mente, v. g.

℞. *Radic. Angelic.*
Carlinæ.
enulæ.
Zedoar. ana. ℥iij.

croci integri Auſtriaci ℥j.
herb. ſcordii.
rutæ ana. m. j.
cinamomi el.
cortic. citri.
myrrhæ el. ana. ℥ ß.
caſtor.
Opii ana. ʒ ij.

Inciſa & contuſa infunde in ſpiritus baccar. juniperi vel ſambuci optimè dephlegmati ℔ v. ſtent in digeſtione per 14 dies & ultra, ſæpius interea agitando, poſt ſume ſpiritum decantatum ac leviter quodammodo expreſſum, cui adde

Spiritus tartari volatil. legitimè parati ℔ ij. ß.
ſalis volat. CC. vel ſuccini ℥ ij.
ſpiritus vitrioli volatilis ℥ x.
eſſent. camphor. ʒ ij.

mſ. tingantur vel ſantalo, vel eſſentia papav errat.

Hæc eſt nobiliſſima & adeò decantata Medicina, à B. D. *Michels*, ratione quidem ingredientium, non verò in fundamento differens, & ab illo, poſt mixturam ſimplicem, quæ neque ab his multum diſtat, adeò decantata & divulgata, ut inſtar Panaceæ haberi cæperit, in plurimis corporis humani infirmitatibus. Cum verò B. D. *Michels deſcriptio, plurima minimè neceſſaria contineat ingredientia*, ratione quidem virium haud abſimilia; attamen, quia vilia quædam, quæ magis molem quam vires addunt, hinc non immerito, dicti Cl. Medici, (juxta quorum normam hanc noſtram concinnavimus tincturam:) correctionem inſtituerunt, ſelectiora ſaltem, & conſpicuis viribus dotata ingredientia aſſumendo, viliora verò negligendo.

Vires nobiles ſatis & decantatæ ſunt, in omnibus illis affectibus, ubi Alexipharmacis & Bezoardicis opus eſſe duxeris. Hinc *in quibuscunque febribus intermittentibus, malignis, morbillis, variolis, Epilepſia,*

lepsia, *Apoplexia*, *Pleuritide*, *catarrhis*, *uterinis suffocat*, *morbo hypochondriaco* & similibus, optimo cum emolumento propinatur in variis convenientibus vehiculis, vel cum cerevisia etiam simpliciter, aut vino, à guttis x. ad xx. & L. remixta.

Principalissima energia *in particulis hujus* tincturæ *volatilibus salino-sulfureis* consistit, quas non *spiritus tartari* solum, sed & reliqua, ut *camphora*, *opium*, *myrrha* &c. addunt.

Sunt qui camphoram non consulto semper addi existimant, ubi sanguis nimis rarefactus ebulliat, ac ita vigilias sitim, calorem immodicum & similia inducat: ac *si hoc omninò ita se haberet*, *nunquam in febribus malignis*, & *peste*, ubi principalissimè nexu suo solvitur sanguis, & spiritus exultant, sui juris facti, exhiberi deberet; *ubi tamen experientia aliud docet*, scilicet, quod tum malignum, venenosum & rodens ac suffocans acidum, patientes sine intermissione exanimans, *camphora per os data*, *statim absorbeat*, ut spiritus vitalis pristinum recuperet vigorem; observatione ex acidis spiritibus desumpta, quos, quò subtiliores offendit, eò expeditius absorbet.

Si tamen quis aliquam partem absque camphora asservare velit, licet; inprimis cum dentur, quibus odore saltem contrarietur, nec omnes omnia ferant.

Quoad superiorem verò difficultatem ultrò adimendam, credo, opium blandimentis suis, particularum camphoræ subtilium spicula maximè restinguere, vel hebetare, ne ullum quidem succrescere possit majus malum.

Et quorsum rapiuntur illi? Si in sanguinis rarefactionibus, calore immodico & similibus, prohibita omnia, vel ea saltem volunt, quæ particular. suarum subtilitate eas juvare rarefactiones possunt, sane omnia & Alexipharmaca & Bezoardica alia, quæ ex his particulis constant, in febribus malignis & similibus exulare deberent, quod tamen experientiæ reclamat.

Opium ex supra recensitis causis, (in theriaca cœlesti,) *hanc* etiam *tincturam optimè ingredi*, dicti Authores confirmant, nisi expressa pestilentium narcosis moderamen suadeat.

Si

Si tamen lubet, poteris planè omittere opium in compoſitione, & exhibitionis tempore demum, pro rei exigentia de tinctura anodyna addere, quantum requirit morbi ſtatus, ita certius erit.

Univerſalioribus jam dictis alii ELECTUARIUM ORVIETANUM adnumerant, quod à *Cl. D. Sebaſtiano Schæffero* communicatum accepi hac formâ.

℞. *Gentian.*
biſtort.
carlin.
torment.
dictam alb.
ariſtol. rot.
long.
anthor.
card. ſanct. in umbra ſiccat.
calam. arom.
ſem. echii.
anchus.
citri ana p. æq.

quibus ſubtiliſſimè pulveriſatis adde

Radic. ſcorzoner. pulv. ad pondus omnium.
Pulveris hujus ſume partem unam.
Mellis deſpumati partes tres.

Miſce benè & fiat Electuarium ſuper ignem lentum, cui in fine adde ad ſingulas x. libras Theriacæ Andromachi ℔. j. vel ℔. j. ß. & ſerva in vaſe terreo ad uſum.

Nec ſequens THERIACA COMPOSITA *Cnæfelii* vilipendenda, quæ

Recipit *Theriac. Andromach.*
Mithridat Damocr. ana. ℥ j.
radic. anthor. pulv. ℥. ß.
lapid. bezoar. or. veri ∋. ß.

conf.

conf. alkerm. ʒß.
conſervæ borrag.
cichor.
roſar. ana. ʒß.
ſyr. è toto citro q.ſ.
miſce f. ſ. a. Electuarium.

Sic & hoc EXTRACTUM ANTIPESTILENTIALE F. *Hoffmanni* non ex minimis eſt, quod

Recip. *I. Theriac. opt.* ʒiij.
croci orient. ʒj.

Fiat cum ſpir. vini extract.

II. Recipe *Flor. ſulf.* ʒj.
myrrhæ elect. ʒij.
olei è bac. juniperi deſt. q.ſ. ad eminent. 4. digit.
ſuccini deſtill. ʒj.

Digere per quatriduum, poſtea filtra, & de hac extractione adde priori partes xij.

III. Recipe *Radic. Angelic.*
Enulæ ana. q. v.

Fiat *cum ſpir. vini* extractum, hujus partes xvj. adde prioribus, & digere ſimul calore leniſſimo in vitro clauſo per octiduum, tunc filtra & ad Extracti conſiſtentiam evapora, tunc adde

ſalis C. C. volat.
ſuccini. volat. ana. p. xij.

miſce, digere, & ſerva pro ſummo arcano in peſte, doſi ϑß. ad ʒß.

Vel tibi hoc ELIXIR BALSAMICUM P. *Emm.* commendatum habeas, v. g.

℞. *Mumiæ veræ* ʒiij.
myrrhæ rubr. ʒß.
Angelic. ʒij.
croci Auſtr. ʒiij.

Theriac. ℥iij.
cinamom. ℥ß.
camphor.
ſalis vol. C.C. ana. ʒij.

Inciſis & contuſis ſuperfunde *tincturæ ſulfuris, ex ſulfuris hepate cum ſale tartari facto, extractæ* ℔ iij. ſtent in digeſtione per tempus, vel ſaltem loco levi calido, probè ſaltem clauſa, donec optimè ſentiantur extractæ ſpecies, tum decanta, vel filtra & ſerva.

Doſis eſt à ϑß. ad ϑj.

Uſus externè *in quibuscunque inflammationibus* admodum inſignis, cum linteis etenim duplicatis applicatus omnem ſubitò ad miraculum extrahit inflammationem, & dolorem.

Vel hoc fiat Elixir Peſtilentiale.

℞. *Spiritus theriacalis* ſupra ad Tinct. Bezoard. adparati ℔. j.
Balſami antimonialis veri ℥ j.
ſalis viperar. volat. vel C. C. ℥ij.
camphor. ʒij.

Miſta digere, donec uniantur probè, tum ſerva.

Doſis gutt. x. xx. ad xxx.

Vel Rec. *ſpir. baccar. ſambuci per ferment. parat. & rectificatiſſ.* ℔ ß. cum hoc ſpiritu extrahe ſupra *Tincturæ Bezoardica ſpecies.* colaturæ adde

Balſami antimonialis ℥ij.
ſalis ſuccini volat. ʒj.
cruoris C. volat. ʒj.
camphoræ. ϑiiij.

Fiat ſ. a. Elixir, quod in peſte & febribus malignis inſigne eſt & præſervativum & curativum.

Doſi ϑß. ad ϑj.

Non ineptè hoc refertur ELIXIR PROPRIETATIS *Paracelſi*, cujus

cujus verum menſtruum ille reticuit, hinc id ex mente SCHONII CORRECTUM apponimus.

Primò fac SPIRITUM JUNIPERI hoc modo: v. g.

℞. *Fæcum vini menſuras* 16. vaſi ligneo inditis adde *contuſar. baccarum juniperi matur. recent.* menſuras 8. miſce & adde *tartari crudi pulv.* ℔ ß. *ſalis comm.* ℔ j. ac repone vas clauſum per tres vel quatuor ſeptimanas, quovis tamen die probè miſcendo, ac rurſus tegendo, & pannis & operculo ligneo, debita hac maceratione vel fermentatione peracta leni igne ex veſica deſtilla, ut de ſedecim fæcum menſuris, ſex circiter ſpiritus menſuras nanciſcaris.

Has *ſex menſuras rectifica ut tres ſaltem remaneant*, quas ſerva, item poteris ſervare phlegma pro nova infuſione. Poſtea recipe *aquæ vernalis Martio, Aprili*, vel *Majo* collectæ potiſſimum id, quod vel tribus diebus ante aut poſt æquinoctium ſtillavit ex alembico majori. Hanc *bis vel ter deſtillando* puriſſimam recipe, & ejus menſuris octo adde *therebintinæ Venetæ veræ* ℔ ij. & ab initio leniter deſtilla, poſtea paulum aucto calore, donec 6. circiter menſuræ egreſſæ ſint, à quibus oleum clarum ſepara.

Jam recipe *ſpiritus tui juniperini* menſuras tres & *aquæ vernalis therebintinatæ* ana adde, & lacteſcet aqua, hanc per alembicum deſtilla, moderato igne, ut media pars evehatur, quam ſerva.

Jam recipe *Aloes ſocotrin. elect.*
Myrrhæ elect.
Croci Auſtrinci ana. ℥ij.

Speciebus hiſce groſsè contuſis & cribratis adde menſtrui prædicti ℔ ß. *ſpiritu acido volatili* vero, vel *ſalis vitrioli aut ſulfuris*, acidulati, miſce & ſtent per noctem, die vero ſequente ulterius adde *menſtrui* ℔ iij. itidem acido volatili acidulati. Tum miſce, ac vitro probè clauſo ſtent per aliquot menſes, ſingulo verò die agitentur. Poſtea vero decantatur Elixir & ad uſum aſſervatur.

Præſervat à peſte, febribus malignis, confortat ſtomachum, abſumit catarrhos & *alios* inſignes præſtat effectus.

Doſi ℈j. ad ʒj. & ultra.

Nec inefficax erit hoc ELIXIR POLYCHRESTUM, v. g.

℞. *Aloes ſocotrin.* ℥ij.
myrrhæ elect. ℥j.
croci. ℈iiij.
Eſſentiæ malvaticæ ℥xij.

Miſta ſtent in digeſtione per 14. dies, filtrato tum adde

Rhabarb. elect. ʒij.
Agarici ℈ij.

mſ. ſervetur pro uſu.

ESSENTIA MALVATICA fit ex

Herb. rorell.
Flor. bellod. hortenſ. ana. m. j.
Vini Malvat. menſur. j.

Deſtillatis, & dicto uſui deſtinandis.

Neque etiam ſequentia non erunt ex uſu, v. g.

Pulvis Bezoardicus.

℞. *Antimon. diaphoret.* præcip. de antimonio docti ℥j.
margarit. orient. præp. ʒj.
oculor. cancri ʒij.
C. C. ſine igne parat. ʒij. ß.
unicornu veri. ʒß.
raſur. eboris. ʒj. ß.

mſ. fiat pulvis ſubtiliſſimus, cujus Doſis ℈ß. ad ʒß.

Conducit ſingulariter *in peſte*, *febribus malignis*, *variolis*, *morbillis*, *eryſipelate* & ſimilibus, ſi calidiora alexipharmaca non ſecurè exhiberi poſſe putas.

Aqua Bezoardica Cl. F. Hoffm. temperata.

℞. *Pomor. citri recent.* & ſucculent. num. vj.

Exprimatur ſuccus, eique cortices addantur, excluſis ſeminibus, adde

ſucci

ſucci ſcordii. ℔. j. ß.
acetoſæ.
ſcabioſæ.
card. bened. ana. ℔. ß.

Deſtilla ex M. B. & aquam egreſſam ſerva, cujus Doſis ʒj. vel per ſe, vel aliis commixta.

Decoctum C. C. D. Simon Pauli.

℞. *Raſuræ C. C.* ʒj.
Radic. carlinæ.
contrajerv.
fœniculi ana. ʒ iij.
ſem. aquileg. ʒ ij.
zibebar. exacinar. ʒ iij.

Coque in ſ. q. decocti hordei, & ſub finem adde

conſerv. roſar. r. ʒ ij. ß.
borrag.
bugloſſ. ana. ʒj.

Colaturæ libris duabus adde

ſyr. rubi idæi ʒ ij.
ſucci citri recent. ʒj.
ſpir. ſalis. volat. ℈j. mſ.

Gelatina C. C.

℞. *Raſuræ C. C. tenell. ſucculent.* ʒ ij. ß.
Aquæ fortan. ℔. ij.

Bulliant ad mediæ partis conſumptionem, ſpumam non auferendo, tum fiat colatura, cui adhuc calenti adde

ſucci citri. ʒ ij.
gelatin. rubi idæi ʒ v.
aquæ cinamomi. ʒ. ß.
ambræ griſ. gr. iij.
moſchi gr. j.
vini generoſioris pro lubitu.

Omnia tum leviori calore liquefacta porcellanis vasis immitte ut refrigescant.

Optimè hæc & similia aromatisantur.

Essentia citri sicca.

Quæ conficitur ex *corticibus citri recentibus*, mediante *sacchari albi aspersione*, quod abraditur rursus, *cum inversa cultelli parte in orbe stanneo*, usque dum saccharum succi instar fiat, hoc repetitur, donec saccharum siccum maneat, & nullum amplius succrescat.

Vel hoc CITRI SPIRITU CARDIACO, v. g.

Recipe *pomorum citri* q. v. remota parte alba inutili, conscinde reliquam, adde *sacchari* q. s. misce in vase probè clauso, stent in digestione per 7. dies: postea per alembicum destilla, & si lubet rectifica ex arena, ac prodit spiritus limpidissimus, qui vires collapsas optimè restaurat.

Si ab aëre maligno præservativum desideras, fiant hi

Trochisci Alexiterii.

℞. *Cortic citri recent.* ℥. j. ß.

Contunde optimè in mortario lapideo ad pultis formam, ut per setaceum trajici queat, adde

Extracti Angelic.
Zedoar. ana. ʒ j.
balsam. antim. veri. c. oleo succini parati ℈ j.
ol. dest. rut. gutt. v.
croci Austr. ℈. ß.
sacchari alb. ℥. ij. ß.

misce, & cum albumine ovi clarificato, vel mucilagine tragacanth. f. s. a. trochisci.

Si Acetum Bezoardicum arrideat,

℞. *Radic. Angelic.*
Imperat. ana. ʒ ij.

Fol. Ruthæ.
ſcord. ana. ℥v.
ſem. citri.
leviſtic. ana. ℥·ß.
cortic. citri cum toto inciſ. ℔ j.
myrrhæ ℥ j.
Theriac. opt. ℥iiij.
camphor. ʒij.

Aceti vini optimi menſuram unam. Digere per tempus & filtraturam ſerva.

Dantur qui amuletis multum tribuunt, inprimis *Cl. Thomſon.* ex Helmonte, *Epilogiſmi Chymici p. 66.* ex hac cauſa: Cur peſtis, inquit, aliæque ægritudines nonnunquam tam pertinaçes perſiſtunt, generoſis pharmacis vix cedentes, debetur materiæ malignæ, in convexa ſtomachi parte ſitæ, ad quam pauca remedia, integris viribus poſſunt transmigrare. Hinc in hac anguſtia, *Amuleta*, *Zenexton*, quædam ſulfura depurata radiatione, & ſolo intuitu Archeo indulgentia, miram præſtant opem; alcalibus volatilibus optimè correctis non prætermiſſis.

Nulla ex his magis comprobata habemus, ac ea quæ *Helmont* ex *bufone* commendat, refert enim ſe buſones applicuiſſe bubonibus & eſcharis, tam in viris quam mulieribus, ac ubique non ſine prompto juvamine. Cum autem hoc remedii genus delicatioribus, horribile admodum viſum fuerit, coëmerunt alii, maximo pretio ab Indis Amuletum, ſive Venenorum magnetem, quem *Athanaſius Kircherus*, ab Hiſpanis *Piedra della cobra de cabelos* vocatum, miris extollit laudibus, *in ſuo Regno naturæ Magnetico*, ubi de eo prædicat, quod hunc ſibi inſitum habeat magnetiſmum, ut vulneri ab animali venenoſo inflicto, appoſitus, ſtatim tenaciſſimè adhæreat tam diu donec omni veneno attracto, ſatiatus quaſi ſua ſponte decidat: ſi verò una vice, venenum, ob nimiam copiam, non omne fuerit extractum, de novo appoſitus adhæreat tam diu, donec omne venenum planè ſit extractum.

Hoc

Hoc experimentum à *Kirchero* & aliis, pro infallibili fuit creditum, donec *Nobil. Redi Arthiater Florentinus* plurima falsa esse deprehendit.

Certius Amuletum itaque *Buttlerus Helmonti* communicavit *ex bufonis veneno per vomitum rejecto*, quibus *Londini* aliquot millia hominum peste correptorum curaverat. Hoc verò ita parare jussit, nimirum *bufones mense Junio captos prope focum suspendi*, substrata *ex cera flava confecta patina*; & tandem post tres dies suspensionis, inveniri mucosam quandam materiam, unâ cum nonnullis insectis vomitu rejectis. Bufonem verò hoc veneno rejecto, quod tamen ante triduum non rejiciat, obire. Hæc verò deprehendit *Helmont*; Sed cum verum hujus usum à dicto *Buttlero* vellet scisciatari, qui tunc temporis incarceratus detinebatur, cum è carcere liberatum *Buttlerum*, nec amplius præsentem invenit, hinc verum hujus usum ignorans, attamen *ex hoc rejecto veneno*, & bufonis cadavere seorsim *exsiccato & in pulverem redacto, cumque tragacanthotrochiscos paravit*, quos tam ad præservationem quam curationem insignes deprehendit, & eorum veram ac probatam experientiam attestatur *Kircherus Zvvelffe-rus* & alii.

Ego cum *terra lemnia*, gelatinâ viperarum insuccatâ hosce formarem trochiscos.

Sic etiam pro amuleto admodum commendant multi cum *Helmonte frustum sucini lucidum*, quod quovis mane, septem planetarum pulsibus affricatum, ad incalescentiam, verissimè à peste præservare asserunt.

Uti & sequens *Cl. Cnœffelii Emplastrum Magneticum* quod

℞. *Succini opt. pulv.* ℥. ß.
bufon. exsiccat. & pulv. ℥j.

misce, & huic in cucurbita tantum *spir. vini* adde, ut transversum digitum emineat, post in M. B. abstrahe hunc spiritum, usque ad consistentiam magmatis, ter affuso semper novo spiritu, hujus quantitas

præsens

præsens optime subigitur *cum Empl. de Meliloto* in Emplastri consistentiam.

Hoc singulo emunctorio applicatum, *omnem attrahit malignitatem*, etiam *in anginis*, *& tumentibus tonsillis*, *circa collum* gestatum, ut & aliis malignitate conjunctis affectibus.

Item *in hæmorrhagiis narium*, ex nimia sanguinis ebullitione, *sub illius lateris alia gestatum*, cujus narium foramen sanguinem stillat, vel sub utraque, si utrumque cruentetur, mirabili tractu, fluxum subitò cohibet.

Porro etiam Oleaginosa & ratione præservationis & curationis, non contemnendæ sunt energiæ in peste, illis enim ventriculus bellè oblinitus & quasi emplastratus, ab acutissimis & corrosivis veneni effluviis, omninò fit intactus & salvus.

Hinc Balsamica sulfurea, inprimis è sulfure Antimonii parata maximo cum effectu exhibentur: ubi nec sequens contemnendus.

Balsamus vitæ H.

℞. *Florum sulfuris vitriolat.* ℥iij.
Aloes Hepaticæ.
myrrhæ elect.
olibani ana. ℥iiij.
croci orient. integr. ℥ß.
cinamomi.
cubebar. ana. ℥iij.
Angelic. ℥j.
Rhabarb. ℥ß.

Incisis & contusis adde in cucurbita,
Olei Juniperi.
therebinth.
chamomill. ana. ℔.ß. ℥iiij.
succini ℥iiij.
caryophyllor. ℥ß.

Hæc optimè mixta, stent probe clausa in digestione per mensem:

tunc ſupernatantem Balſamum clarum decantare poteris. Reſtanti verò maſſæ affunde aquis vernalis therebintinatæ ℔ j. ß. & ex cucurbita appoſito alembico deſtilla leni igne, & prodit Balſamus qui decantato priori commiſcendus.

Hic balſamus præter vim alexipharmacam, inſignium porro eſt virium, *in aperiendis renum obſtructionibus, pectoris item affectibus & ſimilibus*, Doſi gutt. v. ad vij. & ultra.

Externe inunctus, catarrhis medetur, confortat cerebrum, nervos, abſumit tumores à frigido, curat vulnera & ſimilia alia patrat.

CAPUT VI.

Anodyna & Mitigativa habet.

HAc dolorum anchorâ nil ægrotis gratius, nil omninò acceptius, ex hac, inductam quietem, jucundis in ſomniis peractam, ſequitur refocillatio, humorum temperies, acrium dulcificatio, hincque laudabilior nutritio, labor nullus.

Hæc in externa & interna diſtinguimus.

Inter *externa* numeramus *epithemata*, quæ *ex pane ſimilagineo; lacte, croco, & vitello ovi* confiunt. Sic & *ſoli lumbrici vivi dorſo applicati*, dolores probè ejus leniunt, uti & *lac calidum veſica exceptum*, & *in dolore pleuritico* lateri dolenti applicatum. *Nec Pediluvia contemnendi ſunt uſus*, quæ *ex capit. papav. lactuca, meliloto* &c. facta fuere: ac optimè item ad conciliandum ſomnum temporibus applicatur, hoc

Emplaſtrum ſomniferum.

℞. *Ung. populeon.* ℥j.
ol. papav. expreſſ. ℥iij.
radic. mandrag. ℥ij.
croci or. ℈vj.
caſtor. ℈ß.
Opii. ℈v.
ceræ. q. ſ.

f. ſ. a. Emplaſtrum.

Vel

Vel hoc Unguentum aut ſimile, v. g.

℞. *Alabaſtri pulv.* ℥ ß.
ung. popul.
roſat. meſ. ana. ℥ j.
ol. nymph. ℥ j. ß.
camphor. ℈ ij.
Opii corr. ℈ j.
ceræ modicum.

mſ. fiat unguentum nuchæ & temporibus inungendum in capitis doloribus.

Vel ℞. *Olei nuciſtæ* ℥ j.
Opii ℈ j.
ſacchari Saturni ʒ j.

mſ. & inunge.

Inſignis etiam uſus erit ſequens.

Pomum ſomniferum Reg. Polon.

℞. *Opii thebaic.*
reſin. laudan.
ſtorac. calam. ana. ʒ ij.
ligni aloes pulv.
radic. ireos pulv. ana. ℥ ß. ʒ ij.
nuc. moſchat.
croci ana. ʒ j.

exactè mixtis in fine adde
moſchi or. ℈ ß.
ambræ. ℈ j.
ol. roſar. ſtill. veri gütt. vj.

mſ. fiant ſ. a. duo poma, quæ manibus tractentut ex unâ in aliam, donec incaleſcant, & odor nares feriat.

Nervina etiam huc referuntur, quæ alcalina ſua balſamica pro-

prietate, acrimoniam & acidum nervis inimicum absorbent ac demulcent. Talia sunt spirituosa sulfureo-salina, ut *spir. vini generosus, lumbricorum*, C. C. & similia alcalinæ indolis, quæ omnis generis doloribus conveniunt, membranosis tamen melius, quam carnosis, ut inflammationibus & similibus applicantur.

Hæc sunt anodyna externa, quæ ab internis solo gradu differunt, quædam enim sunt anodyna, quæ non æquè sunt narcotica, nec hypnotica, dum nimirum acrimoniam quidem humorum mitigant, & consequenter dolores auferunt, & per accidens quoque interdum soporem cient; licet somnum intentione primaria non efficiant.

Ad interna igitur confugiendum, quæ per se anodyna & hypnotica sunt, quæque incensivos spirituum motus refrænant, spirituum claustra obserando, acriores verò interim humores obtundendo, ut postmodum repullulantes, minus offendant.

Ex hisce (exceptis mineralium veris, vi sua peregrina spoliatis sulfuribus,) *non datur præstantius Opio.*

Hoc, cum dicta sulfura apud nostros Medicos adhuc sint admodum incognita & rara, omnia alia præcellit anodyna, quo Medicinæ status adhuc minimè carere potest, teste *VVillisio*, & continua experientia; imò dantur, qui cum *Cl. Sylvio libentius Medicinæ renuntiare, quam Opio carere malunt.*

Laudatum hoc medicamen ritè paratum ac legitimè usurpatum, summum est remedium, quia dolores lenit, spiritus exorbitantes refrænat, somnum conciliat, morbumque in suo centro detinet, ut tum debellari, & maturari pro lubitu possit.

Ejus quidem laudi, aliquid derogare videtur *Cl. Ammannus*, quod de ejus effectu nobis adhuc dum nihil certi constet, cum veram dosin ignoremus, ac hinc in sedandis doloribus & vigiliis, sæpissimè vel sine, vel cum infelici effectu utamur.

At hoc improvidis potius in aurem! rite enim paratum Opium & legitimè adhibitum aliud docet. *Confer VVedelium de Opio.*

Et politus *Thomson*, qui etsi rarò eo utatur, cum *Helmonte* teste,

terrore

terrore plena ſit opiatorum exhibitio, ob ſalem acrem, amarumque ſoporiferum oleum; attamen uſum in Medicina habere non diffitetur, proptereaque hanc præparationem & *correctionis modum commendat*, v. g.

Opium igni miti expoſitum, odore fœtido ex parte ſpoliatum, *ſpiritu ſalis vinoſo imbibatur*, per aliquot dies calore moderato digeratur, tandem *ſal tartari maſſæ acidulæ gradatim admiſce*, hocque toties reitera, donec ſaporem auſterum plane depoſuerit: deinde *Martis ſulfuris ſubdulcis quantitate ſufficienti impregnetur*, benè agitetur, & in mellis conſiſtentiam reducatur. Hujus ʒ.ß. *in ſpir. vini alcaliſati* ℔. *diſſolvatur*

Tinctura in loco tepido eliciatur, decantetur vel filtretur in vaſe vitreo benè obturato, & ad uſus reponatur: cujus Doſis ʒij. iij. vel ʒ.ß cum vehiculo quovis.

Si hanc tincturam parare ſcis, habebis arcanum non infimum, ſed *lectiſſimus ſalis vinoſus ſpiritus* odore gratiſſimo affectus, ſtomacho adaptiſſimus, *è ſale armoniaco fixo*, mediante *vino dephlegmato* fabricatus præſto ſit, ut & ſulfur Martis legitimè paratum.

Alias *ex oleo vitrioli ſubrubicundo & ſale armoniaco bis vel ter à ſale decrepitato elevato, in ſpiritum vini rectificatiſſimum demerſis*, & ſimul *conquaſſatis*, exſtillatur ſpiritus acidus volatilis fragrantiſſimus & penetrans, ſtomacho vitalibusque perjucundus, in morbis cum acutis tum chronicis cum levamine propinandus, in ſuperioris defectu etiam huc trahendus. Alias item nobiliores præparationes vide de Opio.

Dantur porro aliæ Opii correctiones inter quas ſequentes.

Pillulæ Starckii ſ. Matthiæ

Non ſunt contemnendæ virtutis: eos recenſet *Marrovv. Off. Chymic. Phyſic. l.* 1. *pag.* 57. confectio talis.

℞. *Salis tartari* q. l. affunde *olei therebinth.* modicè, q. ſ. dum pultis inſtar fiat, vitrum tectum colloca ad aërem, motita ſubinde ſingulis diebus, uſque dum unita ſint, refunde novum oleum; ac hoc reitera,

donec omne ſal tartari ſit ſolutum, & ſaponem candidum nactus ſis: tum Recipe *Extracti Opii cum ſpir. vini facti* ℥. j. *ſaponis prædicti* ℥ ij. mixtis adde *extracti Helleb. nigri per ſpir. vini facti* ℥j. tandem pro meliori conſiſtentia adde *pulv. rad. glycirrhizæ* ℥ j. miſce & ſerva in vaſe benè obturato, ne ab aëre, à quo rubeſcere ſolet, alteretur.

Inſtillantur interdum *olei therebint.* guttulæ aliquot, quo conſervetur maſſa. Doſis eſt à ℈. ß. ad ℈ j.

Nob. *Boyle* hanc Opii correctionem habet.

℞. *Opii in taleolos ſciſſi & exſiccati* lento igne, & pulv. *ſalis tartari pulv.* ana ℥ j. miſce optimè, poſt affunde ſenſim *acetum deſtillat.* donec nulla amplius ebullitio appareat. Maneant ſimul ad extrahendam tincturam in frigido, tum filtra ut dimittantur fæces, poſt evapora ad conſiſtentiam Elixiris craſſi. Doſis à gr. ij. ad x.

Vires ſunt inſignes in omni ebullitione ſanguinis ſiſtenda poſt paſtum propinatum, alvi excrementa albicantia reddit: & infantibus inquietatis optimè exhibetur.

Exc. *Wedelius* in *Cinnabari* etiam *nativâ*, *eximiam anodynam vim latitare* refert, exinde enim conquieviſſe dentium dolores, capitis, nervoſarumque & aliarum partium, ſe notaſſe aſſerit. Hinc abſorbentibus, præcipitantibus & acrimoniam temperantibus adnumerat. Sed vide quæ de Cinnabari nativa ſupra notata ſunt: Si enim ita crudè tales eximias continet vires, quid non reſoluta & in vinum vitæ ejus ſulfur redactum efficiet!

Interea ℞. *Opii legitimè parati.*
eſſent. croci.
cinnab. nativ. ana ʒ ij.

Fiant Pillulæ quarum doſis gr. v. vj.

Jam quibus conveniant Opiata paulò diſpiciendum, omnium *in genere humorum acrimoniam demulcent*, & ſuavem *vigiliarum inducunt requiem*, *modò à nimia ſiccitate non oriantur*, ubi pediluvia & capitiluvia melius adhibentur, *vel humectantibus*, ac ita per ſtratagema

demul-

demulcentur vigiliæ, præſertim in ſenibus à lymphæ defectu inductæ.

In quibuscunque ſeri & ſanguinis fluxibus ſcil. *narium*, *uteri*, *diarrhœa*, *dyſenteria*, febribus catarrhalibus, inſigniter humorum acrium refrænant impetum, & optimè pacant Archeum.

Quemadmodum autem in dictis humoribus attenuatis, ſubtilioribus, acrimoniaque præditis peroptimè conveniunt Opiata, ita in eis ſi ad coagulationem tendunt copioſi, *nocentiſſima ſunt*, ut *in hydrope*, *pectoris affectibus*, *aſthmate* &c. ſi in pulmonibus peccans exiſtit materia, tum enim plus eam concentrant, quam ſolvunt, hinc cautè procedendum.

Hæc Univerſalia ſunto.

Sequuntur Medicamenta certæ parti magis appropriata.

CAPUT VII.

Cephalica continet.

NOn hîc prolixum inſtituemus diſcurſum de corporis quibuscunque affectibus, & quæ circa eos conſideranda veniunt, ſed ſaltem ea tangemus Medicamenta, quæ in genere huic parti magis, quam reliquis corporis partibus dicata eſſe dicuntur. *Hippocrati* enim adſtipulamur, *morborum omnium unum eundemque eſſe modum, ſed locum diverſum & differentem*: non ſecus ac vegetabilia omnia aquâ nutriuntur unâ & eadem, diverſis tamen imprægnata ſeminum particulis, ubi hæc planta has, alia alias ſibi implicat particulas, naturæ ſuæ convenientes, non enim æqualis eſt omnium recipiendi modus; ſic inter Medicamenta dantur, quæ propterea particulis, plus huic, quam alteri parti dicatis conſtant.

In genere *ea omnia Cephalica ſunt*, *quæ lympham nerveam reſpiciunt* attenuandam, & *ſpiritus* ſubtiliandos; qualia ſunt omnia ea quæ particulis ſuis ſubtilioribus ita dulcificant acrium ſpicula & recti-

rectificant, ut ſine impedimento tandem in ipſos animales ſpiritus, nervorum gratos inquilinos abire queant.

Hæc utplurimum *volatilia ſunt* & ſubtiliſſima, quorum proprium ſumma eſt ſubtilitas *uti in ſpiritu vini* manifeſtum eſt, inter quem, & animales ſpiritus, tanta videtur communio, ut eos languentes refocillet admodum, talium etenim particulæ *expanſioni aptiores ſunt, quo ſunt ſubtiliores*, ac hinc quæ movenda ſunt, vegetiori etiam & diuturniori motu incitant: talia requirunt vigiliæ ſenum.

Sunt verò alia *fixiora* quæ quidem *per ſe cephalica non ſunt*, ut in nervorum vel ſpirituum animalium pabulum migrent, attamen, eorum efficaciam promovent & exaltant, uti omnia ea quæ hoſtes quoscunque nerveos oppugnant, ac debellant. Et ſunt vel externa vel interna.

Cephalica magis ſpecialia teſte *Helmonte*, *ſale volatili ſe commendare ſolent*, qualia ſunt ferè *aromatica omnia*, ſulfurea, *oleoſa & volatilia*, acutiori Solis motu exaltata & dulcificata, quæ ſpiritus augent & eorum languentium acrimoniam, vario modo inductam corrigunt. Hæc *ſunt vel alcalia volatilia*, *vel acida volatilia*, ultimâ naturæ operâ, perfecta, & artificis manu legitimè ſeparata.

Ex alcalibus ſunt *ſalia volatilia*, *ſanguinis*, C. C. *Cran. Human. urinæ*, & ſimilia.

Ex Acidis, omnes à craſſioribus, crudis particulis liberati & ſummè volatiliſati ſpiritus, minerales præprimis, item Sal ſuccini volat. &c.

Diverſus verò eſt horum effectus: *alcalia*, *ſpiritus confortant*, *augent*, *& exaltant*, ac exultare faciunt, ubi *Acida è contra confortando concentrant*, & exorbitantes eorum motus refrænant.

His adnumeramus *mineralium ſulfura correcta*, quæ radiales ſuas cerebro communicant vires, & ab impuritatibus diverſo modo advehendis, illud vindicant.

Interfixiora minus ſpeciali locum habent omnia *abſorbentia*, *humores acres* irritantes *præcipitantia* & demulcentia, & vel interna vel externa.

Externa

Externa varia sunt vel *humectantia*, *refrigerantia*, v. g. epithemata, frontalia. Vel *discutientia*, ut apophlegmatismi, sternutatoria. Vel *Anodyna* ut Unguenta, Balsami: *vel roborantia* varia balsamica oleosa, spirituosa & similia.

Intelligenda verò omnia hæc sunt, & consideranda *universalibus præmissis*: Si enim, pro Exemplo, *in catarrhis lotiones*, *balnea*, vel balsamica calidiora inungendo adhibeas, *materiam* liquando & *in vasa præcipitando*, graviora induceres mala.

Porrò item minus specifica Cephalica, respiciunt humores variè alteratos & vel quantitate vel qualitate peccantes.

Si lympha pura, spiritu nimium saturata volatili sulfureo salino, *existit* particulis peregrinis imprægnata, quæ ut in ebriis conspicuum, turbant animalium spirituum motum; tunc vel parcior diæta, vel magis acida conducunt.

Si verò *deficiat hæc dulcis lympha* & absumatur, ut in febribus ardentibus, tum conveniunt optimè vel epithemata, vel *emulsiones* egregiè *humectantes* & *refrigerantes*.

Si verò *in senibus hæc absumatur*, & vigiliæ excrucient, spiritu animali deficiente, tum *humectantia suavia* sulfureo-salina, quale *vinum est* & similia præstant.

Jam si formulæ placeant, sequentia consule, ubi primò se offert ex liquidioribus seq.

Aqua Cephalica D. VVilhelmi, Medici olim Bernensis celeberrimi.

℞. *Radic. Angelic.*
ciperi rot.
ireos flor.
caryophyllat. ana. ℥ij.
Herb. & summ. salv. acutifol.
majoran.
anthos. ana. m. j.

ſumm. meliſſ.
lavendul.
thymi.
Fl. roſar. r.
lilior. convall.
primul. veris ana. m. ß.
cortic. citri. rec. ext.
arant. rec. ext. ana. ʒ ij.
ligni ſantal. alb.
piper. long. alb.
cardamom.
cubebar.
calam. arom.
ſem. eruc. ana. ʒ j.
Zingib.
Zedoar.
nuc. moſch.
maceris.
garyophyll. ana. ʒß.
cinam. el. ʒj.

Inciſa & confracta infunde in vini albi generoſ. ℔. iiij. poſtea per veſicam deſtilla. Ex remanentia incinerata fiat ſal, quod cum aqua circuletur.

Aqua Cephal. Caroli V.

℞. Herb. anthos.
majoran.
Fl. anthos.
Salviæ.
Lavendul.
Lilior. convall.
Roſar.
Tunicæ ana. m. iij.

Cina-

Cinamomi
Macis
gran. paradysi
Cardamomi
Cubebar.
Caryophyll ana. ℥. ß.

Grosse inciſa & contuſa infundant in ſpir. vini ℔. viij. *per aliquot dies & noctes, tunc ex M. B. deſtillentur.*

Aqua Anhaltina Cephalica. Olim mihi usualis.

℞. *Thuris.*
maſtich. ana. ℥ j.
macis.
piper long.
nucis moſch.
cinamom. opt. ana. ℥. ß.
Fl. anthos.
ſalv.
ſambuc.
majoran.
roſarum.
baſilicon. ana. ℔. ß.
granor. juniperi.
actes.
baccar. lauri.
ſem. aniſi.
fœnic.
pæon. ana. ℥ ij. ß.
ligni aloes.
ſantali citrin. ana. ℥ ij.

Pulveriſata omnia & inciſa infunde in 4. menſuris *ſpir. vini opt.* digerantur per 8. dies, tunc deſtilla ex M. B. quod primò ſtillat ſervetur

vetur ad internos uſus, quando minus clara exire incipit, mutato excipulo, ſeorſim illud excipe ad externos uſus.

Vires hujus aquæ ſpirituoſæ, ſicuti & præcedentis inſignes omnino ſunt, in Apoplexia, Epilepſia, Paralyſi, Vertigine, Tremore, Lethargo, animi deliquio, & internè & externè.

Doſis eſt à cochleari j. ad ij. iij. vel iiij.

Aqua Anhaltina alia ex Diſpenſ. Brandeb:

℞. Therebinth. ℔. ß.
Thuris maſculi ℥ j.
Ligni Aloes ʒ iij.
Cinamomi acuti
Cubebarum
Galangæ
Nuciſtæ
caryophill.
Gran. Maſtich
Flor. anthos ana. ʒ vj.
Croci Or. integr. ʒ ij. ß.
Bacæ Lauri
Sem fœnic. ana. ʒ ß.

Pulveriſata infundantur in ſpir. vini ℔. v.

Et diebus vj. *digeſta additis* Moſchi, gr. xv. in petia, deſtillentur leniſſimo calore ex M. B.

Aqua Magnanimitatis.

℞. *Formicar acidum redolent.* cum olla terrea melle intus inuncta captarum. m. vj.
ſpir. vini anthoſati. ℔. iiij.
Lilior. convall. ſimpl. ℔. j.

mixta ſtent per octo dies in formicarum magno acervo vaſe bene clauſo: Poſtea deſtilletur ex M. B. & egreſſus ſpiritus rectificetur.

Hujus

Hujus recipe ℥iij.
ſpir. vitrioli volatili. ℥j.
aquæ Anhalt. præced. ℥.ß.
confect alkerm. ʒij.
ſpec. diambr. ʒ.ß.

mixta digerantur in phiola hermeticè obſerata per 14. dies, poſt filtra per chartam, & ſervetur in vitro probè clauſo.

Vires inſignes ſunt in cerebro confortando, *Epilepſia*, *Apoplexia*, *lipothymia* &c. debellanda.

Doſis eſt à ʒj. ad ʒij.

Aqua Magnanimitatis alia.

Recipe *Spir. vini ter ſuper formicis ſ. q. rectif. menſ.* iiij.
herb. meliſſ. m. iij.
cortic. citri fl. ℥. ß.
cinam. el. ℥. ß. ʒ. ij.
caryophyll. ʒij.
cardamomi.
cubebar. ana. ʒvj.
zedoar. ℥ij.
maſtich.
ſtorac. calam.
benzoi ana. ℥.j. ß.

Stent in digeſtione per 8. dies & noctes: Poſtea deſtilla, roſtro alembici imponendo moſci ♃.ß.

Formicæ collectæ ſint *luna creſcente*, *circa ſolſtitium æſtivale*, *menſe Junio*, ſereno cœlo, *in cucurbita* in qua *fruſtum caſei* repoſitum fuerit, ubi ſufficientem earum copiam habueris, baculo acuto exime caſeum, & *ſuperfunde ſpir. vini* ad eminent 3. digitorum & deſtilla, in *ſpiritu egreſſo recentes formicæ infundendæ & deſtillandæ*, donec ſpiritum formicarum eſſentia habeas admodum impræ-gnatum.

Aqua Catarrhalis F. H.

℞. *Summitatum ſerpilli campeſtris rec.* ſtatim in primo flore collect q. v. affunde *Vini Malvatici* q. ſ. ut tres emineat digitos, inſolentur in cucurbita capaci, firmiter clauſa, per 14. dies, tunc deſtilla, deſtillatum recentibus affunde ſummitatibus, rurſusque ut antea ad Solem digerantur, aut deſtillentur, tandem in quamcunque hujus aquæ libram, infunde *raſuræ ligni ſaſſafras* ℥ ß. tempore uſus per inclinationem ſepara q. ſ. ad uſum.

Vires non ſunt contemnendæ in quovis catarrho, præſervat ab Apoplexia, Epilepſia, Paralyſi & ſimilibus. Doſi cochl. j. veſperi quando catarrhi moventur.

Aqua Cephalica alia D. F. H.

Recipe. *Fl. lilior. convall.* m. viij.

affunde *Vini Rhenani* ℔. ij. ſtent per 13. dies & noctes, poſtea adde *fl. pæon.* m. iij. ſtent rurſus per 3. dies & noctes, poſtea per M. B. deſtilla: in deſtillato infunde

Flor. lavendul.
anthoſ.
ſtochad. arab. ana. m. j.
caryophill. ℥ ij.
nuc. moſchat. ℥ j. ß.
cubebar. ℥ j.
radic. pæon. rec. ℥ j.

ſtent in infuſione, poſtea deſtilla, & deſtillato adde *ceraſor. nigr. ſylveſtr. enucleator. contuſ.* m. j.

Uſus eſt in *Hemicrania, cephalalgia, defluxionibus ex frigido.* Doſi cochl. j. vel ij. tempore veſpertino.

Hæc ſunt liquidiora, quæ citiori ope, & ubi periculum in mora rem expediunt, ut in *Epilepſia, Apoplexia, lipothymia, affectibus hyſtericis* & ſimilibus. In hiſce etenim expeditè ſuccurrunt ſpiritibus animalibus crudioribus acidis, ſalinis particulis irretitis, impeditis, alteratis

alteratis, dictorumque spirituum impedimentis reprimendis, eorumque viribus augendis & exaltandis.

Sequuntur paulo majori consistentia prædita v. g. *Balsami.* Inter quæ hoc loco non contemnendus venit *D. D. Rappen.*

Balsamus albus.

Recip. *Therebinth. Venet.* ℔. 10. immitte ollæ magnæ invitreatæ cum aquæ vernalis. s. q. ut aliquot emineat digitos, postea successivis vicibus per æstatem infunde herbas & flores in sua exaltatione collectos, v. g.

Recipe *Flor. lilior. convall.*
narciss.
garyophyll. hortens. opt. odorat.
flor. thiliæ.
rosarum centifol.
arantiar.
citri.
jasmini ana. m. ij. vel iij.
Herb. & summit. hyssop.
melissæ citrat.
menthæ moschat.
origani.
serpilli.
basilicon.
majoran.
puleg.
rosmarini.
lavendulæ.
thymi ana. m. ij.
cortic. citri recent.
arant. rec. ana. ℔. j.

Singula ante impositionem grosse incidantur, ac in hebdomade bis vel ter spatula lignea subigantur & misceantur; ut probe putrescant & fermentetur per æstatem. Postea ex vesica destilla,

addita

addita aquæ recentis q. ſ. & oleum cryſtalli inſtar clarum ſeparetur ab aqua & ſervetur.

Vires ſunt inſignes in *Apoplexia*, *Vertigine*, *catarrhis*, & ſimilibus, ac ſi defluxiones reperit, abſumendo eos, locum quaſi pungit & vellicat, ad guttulas aliquot vertici inſtillatus.

Internè Renes purificat, ſtomachum confortat, & urinam pellit. Doſi gutt. x. ad xx.

Balſamus alius ad Memoriam D. D. VVilhelmi

℞. *Gumm. ammon. elect.*
myrrhæ el. in gran. ana. ℥ j.
bacccar. lauri.
croci orient.
benzoi.
amygdalar. ana. ʒ. ß.
Fol. lauri. rec.
flor. lavendul. ana. m. ij.
ol. laurin. ʒ iij.
Aq. Anhalt. ſupra dict.
Vitæ Aromat. ana. q. ſ.

Inciſa ac confracta per menſem infunde. Poſtea deſtilla, deſtillato adde *ſalis volat. ſang. humani* ʒ ij.

Olei anthoſ.
ſalviæ.
ſuccini per ſpir. vini rectif. ana. ʒ. ß.

Circulentur & ſerventur ſeparata, ſpir. & balſamus: Ejus Doſis mane & veſperi cochlear ſ. ad unum: confortat cerebrum, memoriam & ſimilia: hujus guttulæ aliquot internò & externè eidem uſui inſerviunt.

Balſamus Apoplecticus. D. Egſii.

℞. *Olei nuciſtæ expr.* ʒ ij. ϑ ij.
ambræ griſ. ϑ j. gr. vj.
moſchi ϑ ij.
zibethi ʒ j.

Oleo

Oleo nūciſtæ in mortariolo calido liquato ambram adde, oleo cinamomi & ſuccini ſolutam, moſchumque *ſpiritu roſarum* cum *Zibetho*, miſce omnia probe, & refrigeratis adde *Balſami Peruviani* q. ſ. ad conſiſtentiam juſtam, tum ſerva in loco frigido, ne ſeparetur, Balſamus Peruvianus.

Vires ſunt notæ ſatis in confortando cerebro, præſervanda Apoplexia, aëre maligno, naribus, temporibus &c. applicatus.

Alius Collegii Romani.

℞. *Ol. nucis. moſchat. expr.* ℥j.
Balſami Indici veri.
ambræ grif. ʒij.
moſchi di Levante. ϑj.
Olei ſtill. ſalv. cum lil. convall. parat. gutt. xxi.
maſtich. gutt. xv.
caryophyll. gutt. xij.
ſuccini gutt. vj.
cinamomi ϑj. ß. gutt ij.
gummi tacamahac. q. ſ.

mſ. fiat Balſamus.

Qui confortat cerebrum, excitat ſpiritus, præſervat ab *Apoplexia*, liberat *à vertigine*, diſcutit cruditates acidas ſenſum frigidi inducentes: umbilico illitus à colica liberat, &c.

Si ſenſim ſpirituum animalium impedimenta removenda & ſpiritus confortandi, durioris conſiſtentiæ medicamina, liquidioribus præſtant, quia citiori diſſipationi minus ſubjacent. Inter hæc convenit ſeq.

Extractum Epilepticum.

℞. *Medullæ caſtor.* ℥j. ß.
ſuccini. ℥ij.
viſci corylini ſ. quercini. ℥j.
ſantali citrini ℥. ß
ſpec. diarrhod. Abb. ℥. ß.

jecor. ranar. virid. exſicc.
Olibani pulv. ana. ʒiij.
ſem. pæon. rect. temp. collect. ʒ ij.
flor. thiliæ.
pæon. ana. p. ij.
croci or.
ſtercor. pavon. ana. ℥. ß.
maceris.
galang. ana. ʒj. ß.

Cum ſpiritu vini anthoſato fac extractum, liquido adde

Salis volat. cran. human. ʒ iij.
confect. de hyacintho ʒ ij.
Opii legitimè parati ʒ j.
cinnabar. nativ. ʒ ij.
perlarum præparat. ℥. ß.
Aquæ Anhaltin. Cephal. ℥. j.

Miſce exactè, & longa agitatione, levi igni impoſita reduc in conſiſtentiam extracti, è quo formentur Pillulæ, quorum Doſis ϑß. ad ϑj.

Vel fiant hæ Pillulæ.

℞. *Extracti liquiritiæ*
aloes ana. ʒ. ß.
Doronic. alpini pulv.
ſtorac. calam.
myrrhæ
laud. opiat. ana. ϑij.
extracti croci ϑj.

Cum ſyr. papav. errat. & elixir. proprietatis, addita aqua Anhaltina fiat Maſſa, è qua formentur Pillulæ, inſiſtendis catarrhis optimi effectus, Doſi ϑß. ad ϑj.

Si in hoc caſu ſimul evacuandum ſit,

℞. *Aloes ſocotrin* ʒ vj.

magiſter.

magiſter. jalapp.
troch. alhand. ana. ʒj.
ſtorac. in gran. elect.
extracti caſtor.
ligni aloes ana. ʒ. ß.
ſuccini pulv. ʒij.
Doronic. pulv. ϑij.
olei ſtill. ſuccini gutt. vj.

Cum Elixir Proprietatis Rhabarbariſato & Aquâ Anhaltin. f. ſ. a. M. P. Doſis Pillular. à ϑß. ad ʒß.

Vel fiant hæ D. F. H.

℞. *Ladani depurat.* ʒj.
extracti M. P. cochiar. ϑj.
ſuccin. alb. præparat. ϑ. ß.
ſal ſuccini volat.
ſang. human. volat. ana. gr. xij.
reſin. jalapp. ϑj.
moſchi gr. v.
ambræ gr. vij.

Cum aqua fl. thiliæ fiant Pillulæ.

Doſis à ϑ. ß. ad ϑj. mane & veſperi ante lecti ingreſſum in catarrhis abſumendis, & Epilepſia præſervanda.

Si Præcipitantia ſimul ex uſu eſſe videantur, quo in primis viis fermentum malignum, ſpiritibus, exhalationibus ſuis corrodentibus, pungentibus, inimicum, deſtruatur, & alteretur, ſequentia à *D. D. MICHAELE* communicata, conducere creduntur, quale eſt,

Magiſterium Epilepticum ejus.

℞. *Ungl. alcis.*
cranii humani violenta morte perempti.
Cornu alcis.

C.C. ana ℥j.
Smaragd. or. ℥.ß.
unicornu veri ʒij.

Pulverisatis affunde menstruum ex sale & alumine paratum q. s. solutionem præcipita spiritu vitrioli, post edulcorationem adde

Magister. succini ʒj.

Magisterium Cordiale ejusdem.

℞. *Margarit. orient.* ℥.ß.
corallorum r.
lapid. percar. ana. ℥j.
rasur. eboris.
C.C. ana. ʒvj.

Pulverisata cum dicto menstruo solve & spir. vitrioli præcipita, tandem edulcora.

Ex his emergit ejusdem.

Specificum Cephalicum.

℞. *Cinnabar. Nativ. purif.* ℥iij.
fœcul. pæon. ℥j. ß.
magister. Epilept. ℥.ß.
cordiale ʒij. Fol. Auri num. r.
mſ. fiat Pulvis.

Mirum quantum hisce magisteriis hactenus adscriptum sit, & in quanto pretio habita fuerint, sed juxta saniora principia hæc magisteria admodum arroganter prædicata sua nacta fuere, quippe *non sunt nisi pulvis ope acidi crudioris corrosus, & viribus genuinis destitutus.* Hinc melioris effectus judicatur hoc ita dictum specificum, si absque solutione cum acido, species in subtilissimum pulverem conversæ & præparatæ dantur, majorum tum virium, in præcipitando crudiori, & incorrecto, nervos molestante acido. v. g.

℞. Cinnab. Nativ. per lotionem præp. ℥iij.
Rad. Pœon. debito tempore coll. & p. ℥i ß.

Smaragdi

Smaragdi præp. ℈ ij. ß.
Corall. rubr. præp.
Succini præp.
Ungulæ Alces
Cranii Human.
Cornu Alces
C. Cervi ana. ſubtiliſſ. limat. ℈ ij.
Unicorn. ver. ſubtiliſſ. limati ℈ j. ß.
Granator
Hyacinthi
Sapphiri ana præp. ℈ j.
Matris Perlarum præp.
Oſſ. de corde Cervi ana ℈ ß.
Fol. Auri num. 1.

Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Sic nec ſequentes Pulveres erunt absque ſingulari effectu, quales ſunt v. g.

Pulvis Epilepticus Mœbii.

℞. *Cinnab. Nativæ Hungar.*
antimonium rectif. ana. ʒ. ß.
Smaragd. or. præparat.
C. C. ſine igne.
Cornu Alcis ſine igne.
Viſci corilini ana ʒ j.

m. f. pulvis.

Vel hic D. Scheibani.

Anteceſſoris olim mei Rappolsvvila in Alſatia

℞. *Pulv. Marchion.* ʒ iij.
ſuccini albi præparat. ʒ ij.
apic. C. C. philoſ. præparat. vel calcin.
radic. pæon. ana. ʒ vj.
antimon. diaphoret. ʒ. ß.

Smaragd. præparat. ʒ ij.
cranii human. præparat. ʒ. ß.

mſ. f. Pulvis.

Vel hic J. H. J.

℞. *Succini albi præparat.* ʒ. j. ß.
rad. pæon.
Doronic. ana. ʒ. ij.
cortic citri ʒ. ß.
ſpec. dianthoſ.
diambræ ana ʒj. ß.
corall. r. præparat.
margarit. præparat. ana. ʒj.
ſalis vol. cran. human. ℈ ij.
ambræ gr. v.
moſchi gr. vij.

mſ. f. Pulvis ſubtiliſſimus.

Vel hic D. Egſii.

℞. *Entis horizontis.* ſ. electr. miner. immat ʒ. ß. cum aqua flor. thiliæ præparat. adde.
cranii humani præparat. & calcinati.
macis ana. ʒ ij.
croci ʒ j.

mſ. f. Pulvis.

Doſis à ℈. ß. ad ℈ j. tribus diebus ante & poſt novi & plenilunium. Infantibus datur ad gr. v. vj.

Si delicatuli ſint, quibus ſaccharata placent, eis poſſunt parari Rotulæ ſequentes v. g.

℞. *Extract. calam. aromat.*
ruthæ ana. ℈ j.
Olei deſt. ruthæ.
ſuccini ana. ℈. ß.
ſacchari in aq. ruthæ ſolut. ʒ iiij.

Fiant

Fiant. ſ. a. Rotulæ, præſervantes ab Apoplexia, Epilepſia, Vertigine, aëre maligno &c.

Vel Recipe *ſpec. diambræ.*
diamoſchi.
perlar. præparat. ana. ʒj.
conf. alkerm. compt. ʒij.
ſacchari alb. aqua roſar. fragr. ſolut.
f. ſ. a. Rotulæ

Vel ℞. *Extracti ligni Aloes.*
ambræ griſ. ana. gr. iiij.
ſuccini alb.
perlar. præparat. ana ℈j.
moſchi gr. ij.
Ol. nuciſtæ gr. viiij.
ſacchar. alb. ℥. iij.
Cum aquâ Anhaltina ſolutis f. ſ. a. Rotulæ.

Si Externa ſimul applicari debeant, v. g. in Catarrhis ſuffocativis, fiat ſeq.

Emplaſtrum.

℞. *Ladani puriſſimi* ʒvj.
ſtirac. liquid. ℥j.
Ol. deſt. maſtich. ℈j.
caryophyll.
rorismar.
macis. ana. ℈. ß.
pulv. ſuccini opt. ʒ. ß.
lapid. magnet. ʒij.
Cum oleo maſtich. & ceræ q. ſ. f. ſ. a. Empl. quod derafis capillis vertici applicandum.

Vel hoc.

℞. *Macis.*
nuciſtæ.

olibani:

olibani.
maſtich.
ſtyrac. calam.
gummi juniper. ana. ℈ ij. gr. v.
roſar. r. ʒ j.
ladan. ʒ iiij.
thereb. cypr. ʒ ij.

F. ſ. a. Empl. in mortario calido, quod in Apoplexia, Epilepſia, Catarrhis, bregmati applicatum mira præſtat.

Vel.

℞. *Gummi carann.*
tacamahac.
elemi ana. ʒ. ß.
Balſami Peruv. ʒ iij.
Opii thebaic. ʒ. ß.

mſ. fiat Emplaſtrum.

Si *Sternutatoria* neceſſaria videantur, cape hanc *Nobilis de Mulinen* compoſitionem.

℞. *Tabaci opt.* ʒ j.
fl. lilior. convall.
majoran. ana. ʒ ij.
anthoſ.
lavendul.
cheiri.
betonic.
thiliæ ana. ʒ j.
Helleb. alb.
ſalis vitrioli ana. ʒ. ß.
ſem. nigell. ʒ j.
moſchi gr. vj.
ambræ gr. iij.

mſ. f. pulvis ſubtiliſſimus eximius in Apoplexia, Catarrhis &c.

Vel

Vel ℞. *Tabaci opt.* ℥ vj.
majoran. ℈ j. ß.
moſchi ℈. ß.
balſam. Apoplect. ℈ ij.
Zibethi gr. xv.
Ol. caryophyll. ℈ ij.
ligni rhod. ʒ j. ß.

mſ. fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Si Fumus Catarrhalis expetitur.

℞. *Succini albi* ℥ ij. ß. ʒ ij.
benzoi ℥ j. ʒ ij. ß.
gummi animæ, maſtich. thuris ana, ℥. ß.
carannæ ℥ j.
flor. roſar. r. ʒ v. ß.
balauſt. ʒ ij.
lavendul. ʒ ij. ß.
calcatripp. ʒ j.
caryophill. ℈ iiij.
ſtorac. calamit. ʒ ij. ß.

mſ. fiat Pulvis groſſus carbonibus inſpergendus pro ſuffimento.

Si Cucuphæ placent.

℞. *Herb. veronic.*
majoran. ana. m j.
fl. roſar. damaſcen.
raſuræ ſuccini ana. ℥ j.
ſtorac. calam el. ℥. ß.
ſpec. diambr.
aromat. roſat. ana. ʒ. j.
olei ligni rhod. ʒß.

mſ. fiat Pulvis groſſus.

Vel, ℞. *Fol. majoran.*
rorismarin.
Summ. Flor. anthoſ.
ſerpill.
menth. moſchat.
lavendul.
chamom. rom. ana. p. ij.
Radic. ireos flor. ℥. ß.
gummi animæ.
ſtorac. calam.
benzoi ana. ʒij.
ſem. nigell.
ſuccini albi.
ſummitat. thymi ana. ʒj.
moſchi.
ambræ ana. gr. vij.

Inciſa groſſe irrorentur aqua Anhaltina, & exſiccata in pulverem redigantur.

Jam ſi hæc ſpecialius reſtricta velis, ad certum quendam cerebri affectum v. g.

Ad Epilepſiam,

Et alios convulſivos affectus; Ego ſequenti methodo egregium præſtiti effectum.

Primò *Vomitorium* præmiſi ex antimoniatis, vel ſi huic non concedebatur uſus, vel *morſellos aut aliud purgans* non ingratum exhibui, repetitis vicibus.

Poſtea, cum utplurimum inſultus iſti convulſivi oriantur *ex lympha acri* mordicante acida, *nervos pungente*, hinc ſequens optimum inveni v. g.

℞. *Aq. betonic.*
fl. thiliæ.
fœnic ana ℥iiij.

tinct.

tinct. succini tartar. j.
spir. salis armon. volat. urinos. ℥ij.
syr. fl. pæon. ℥j.

mſ. D. S. mixtura, de qua ſingulis horis propinavi cochlearia bina.

Vel ℞. *Aq. flor. thiliæ.*
ceraſ. nigr.
Anhaltin. Cephal. ana. ℥ij.
Tinct. ſuccini.
fl. hyperici ana. ℥iij.
ſpir. ſalis armon. ℥j.
vol. ſang. human. ℥j. ß.
confect. alkerm. ℥j.
laud. opiat. gr. vj.
ſyr. fl. pæon. ℥j.

mſ. fiat mixtura ſingulis dimidiis horis cochl. ij. vel iij.

Donec ferocia motuum convulſivorum fracta obſervabatur.

In Paroxyſmo *liberum conceſſi motum*, obſervatione *à Tarantulis* deſumpta, quorum venenum ſaltu vel motu curatur, ita & hic motus, non poteſt eſſe impedimento, in diſſipando nervis inimico veneno convellente.

Externè Nucham diligentiſſimè inungere curavi hoc vel ſimili oleo. v. g.

℞. *Olei lumbric. terr.*
fl. hyperici ana ℥ß.
caſtorei ℈ij.
Olei albi.
ſuccini ana. ℥ij.
ſpir. ſalis armon. ℥j.

mſ.

Vel, ℞. *Olei ſuccini.*
ſpicæ.

caſtor. ana. ℈ ij.
fl. hyper.
ſuccini ruthæ expreſſ. ana. ʒ iij. Miſce.

Spiritus Epilepticus Coll. Leid.

℞. Fol. & Flor. Lavend.
Rorismarini
Majoranæ
Salviæ ana. m. ij.

Caſtorei ℥ ij.
Camphoræ ʒ ij.
Salis armon. ℥ iiij.
⊖ ♀i. ℥ iij.
Spir. vini ℔ vj.
▽ Lavendulæ q. ſ.

Ut ei ſimplicia innatare queant, poſt triduanam vel longiorem digeſtionem deſtillentur donec Spiritus ℔ iij. *prodierunt, cui adde* Olei juniperi, Macis ana. gutt. xxxx. ſuccini rectif. gutt. xx. Sem. Rutæ gutt. xxx. *& mixta ſerventur.*

Eſt Sal volatile oleoſum penetrantiſſimum, ad ommes morbos Convulſivos & ſpasmodicos à gutt. xx. ad xxx. *& ultra.*

CAPUT VIII.

OPHTHALMICA OFFERT NOBILIORA.

HÆc verò *ubi humores peccant, nunquam in uſum vocanda, àntequam crudiores particulæ mediantibus purgantibus legitimè imminutæ fuerint*, impoſſibile etenim videtur, partem aliquam bene curare, niſi totum male affectum ſimul reſpiciamus: Et tum in Ophthalmiis etiam gravioribus demum repellentia locum habent.

Si hiſce præmiſſis Univerſalibus, Inflammatio periſtet,
Hoc ſaltem vile non inconvenicns erit; v. g.

℞. *Albu-*

℞. *Albuminis ovi* num. ij.

In hoc tere tamdiu *aluminis fruſtum*, donec abeat in coagulum album: cui adde

aquæ roſar.
fœniculi. ana.

miſce, & cum petiis cannabinis per noctem impone.

Vel, ſi hoc rem haud expedire videatur,

℞. *Aquæflor. cyani.*
chelidon.
euphras.
roſarum ſale proprio acuat. ana. ℔ ij.

Haſce ſuperfunde aquas, *calci vivæ* recenter è furno tractæ, poſtea filtratis adde

Phlegmatis urinæ cum vitriolo albo deſtill. ℔ iij.
ſalis armoniaci, vel ſalis urinæ ℥ j. ß.

miſce & ſtent in vaſe aurichalcino, in loco frigido, agitando ſæpius donec perfectè colorentur, tunc ultrò per aliquot menſes expone, poſtea filtra, & ſerva, oculis inſtillandam cum aliis appropriatis.

Hanc aquam omnia alia collyria excellere, & ad omnes oculorum affectus absque reſpectu cauſæ à quâ oriuntur, valere, *Monſ. Febure* refert, cum habeat virtutem refrigerantem, deſiccantem, mundificativam, & deſtruat omne ſal corroſivum & mordicantem humoris ſeroſi, unde dolor, pruritus, inflammatio, & varia alia oculorum mala ortum trahant.

Vel fiat hoc collyrium.

℞. *Aqua ſperm. ranar.* ℥ ij.
phlegmat. vitrioli ℥ j.
ſacchari Saturni.
croci metall. ana. ʒ j.

Digerantur per menſem, poſtea filtrentur curioſe, de quo tunc guttatim oculis inſtilletur.

Vel ℞. *Aquæ chelidon.*
fœniculi ana. ʒ j.

vitrioli alb. gr. vj.
ſacchari Saturni ℈j.
camphor. gr. v.
ſacchari candi ℈j. ß

mſ. ſed aquæ croco metallorum prius infuſæ fuerint.

Vel. Rec. *Ovum gallin.* ad mediocrem duritiem coctum, huic demptâ teſtâ, & vitello exempto, cavitati inde
ſacchari Saturni gr. vj.
camphor. gr. iij.
vitrioli alb. gr. v.
mellis roſar. ʒß.

fiat expreſſio fortis, liquori expreſſo adde
aquæ fœniculi ℥.ß.

miſce & bis vel ter, de die inſtilletur.

Vel fiat hoc Unguentum.

℞. *Butyr. rec.* aq. roſar. opt. loti. ʒj.
tutiæ præparat. ℈j.
vitrioli albi gr. xx.
ſacchari Saturni gr. xv.
camphor. ℈j. ß.
ſacchari cand. ℈j.

mſ. f. unguentum.

Etſi vitriolum aliquo modo dolorem excitet, non nocebit, quia oculi citra ullam noxam paulò acria ferunt, dolore etiam momentaneè tranſeunte.

Si concurrente contuſione & tumore anodyna requiruntur.

Fiat hoc Cataplaſma

℞. *Flor. chamomill.*
melilot. ana p. j.
pomor. putrid. ℥ ij.
ſem. fœnugræc. ℥ j.

mica

micæ panis ſimil. ℥iij.
vitelli ovi. num. ij.
croci. ʒß.

Coque *cum lacte vaccino, vel humano* in cataplaſmi formam.

Cl. D. Ludovici maximè commendat *viperarum pinguedinem* non adulteratam, moderato igne à craſſamentis ſeparatam, & de die oculis bis vel ter ad guttam inſtillatam, ac omnia alia collyria in rubedine, puſtulis & profundis etiam vulneribus oculorum, ſuperare certò aſſerit.

CAPUT IX.

OTICA TRADIT.

DE affectuum horum cauſis, ſive de fluxionum exordiis vix nos hic implicamus, cum multa dentur circa catarrhos *delir amenta Galenica*, quæ uberius *Helmont manifeſtavit:* Non enim dari catarrhos extravenas *Cl. Ammannus* defendit, ubi *in ſua Paræneſi p.* 233. hæc habet: Si aliquid de catarrhis ſtatuendum, dicerem catarrhi materiam ineſſe in ſanguine, & ejus ſero, & generari in partibus quibusvis, narium, oculorum, palati, &c. *citra deſtillationem Galenicam.* Exemplo à muco narium, coryza deſumpto, quæ generatur citra defluxum, *quando glandulæ copioſiorem lympham, lentam fundunt*, quæ deinde partibus adhæret, à calore porro inſpiſſatur, ſiquidem *ſi lympha cochleari igni admoveatur, abit in Gelatinam*, quæ deinceps plebejis pituita audit, & catarrhos vulgares conſtituit.

Non verò dari hos catarrhos *à cerebro in dictas glandulas narium*, vel in fauces, pulmones &c. probat os cribriforme non perforatum, ac ita viarum aliarum, exceptis venenis & arteriis, defectus. Deinde falſæ ſubſunt hypotheſes, ac ſi cerebrum eſſet inſtar alembici, qui à partibus inferioribus attraheret humiditates in magna copia, quæ tum à frigiditate cerebri condenſentur. Et *ſi*

catarrhi

catarrhi à cerebro defluerent, certe *non ſufficeret cranii capacitas*, pro quantitate muci vel aquæ, quæ interdum ſolum in coryza ſtrophiolis excipitur.

Omnium igitur *fluxionum veram originem* immediatè *eſſe ex ſanguine* verum eſt, licet fiendi modus ambiguus maneat: cum *Helmonte* interim credimus, *omnem inflammationem, & tumorem* cum pulſu duro, dolore, & calore à ſolo eſſe ſpiritu cauſaliter, *ab infixa vero ſpina occaſionaliter.*

Quicquid enim in ſanis, inquit noſter *Helmont*, edit actiones ſanas, idipſum in morbis edit actiones vitiatas: *ſpiritus enim vitalis calefacit hominem naturaliter in ſanitate, idem* qui *æſtuat in febribus*; pro exemplo ſit ſpina querna digito infixa, actu & potentialiter frigida, mox in digito excitat calorem p. n. non quidem, quod calidi humores affluant, quaſi per ſpinam eo convocati, exſpectaſſent ſpinæ vulnus, & qui aliàs ſuis ſedibus temperati reſediſſent: ſiquidem cruor vulneri proximus, primus accurrit, aditum venienti cruori præripit, & ipſe per ſe quoque non calet, ſed ex gratia ſpiritus vitalis, vel animalis.

In corpore noſtro *acidum venis hoſtile vera eſt ſpina*, quod ſpiculis ſuis varias in noſtro corpore excitat tragœdias; *hoc ſi Dominium acquirit, ex vario dietæ errore* &c. tum bilem exagitando efferveſcentiam vel *inflammationem infert*, ſi verò plane eam ſubigit, ſua punctura *gangrænam infert*, & ſi eundo tum acquirit vires, *carie oſſa devorat*, ut tum caro, ſi à corrodentis acidi prædominio, albicet, ac ſi aqua fortis ſanguinis ruborem diſſipaſſet: ſi verò aduſta ſive acida ei copulatur bilis, pro hujus viribus vel flaveſcit, virideſcit, aut in nigredinem magis inclinat.

Quando enim corroſivum fellis alcali, ſphacelatas partes mortificat, carnis poros ſucci nutritii vehicula, quaſi cicatriſat, & reliquum venas ſanguinem ſubeuntem ita inficit, ut hinc cor appellans febrem accendat.

Atque ita videmus *in dulci ſanguine omnes latitare humores*. quorum *quilibet ab hoc ſecretus, propria facultate proſtat*, & cum *acidus*

omnium

omnium maximè incommodus ſit, veluti ubique figuris conſpicuus; ſed licet univerſaliter ita acuminatus ſit, differt tamen ſæpè commixti vel copia vel robore: ſicuti hoc in omni ulcerum genere notamus, ubi dolor pro materia commixta variat, longè enim *vehementiores* introducit, *dolores, ſi bili ſe implicent acida ſpicula*, quam ſi admixtæ pituitæ tenacitas, oleive circa cuſpides obvolutio, acidi aciem diminuat, vel hebetet: ſicuti hæc acutè pertractat *Cl. Wilhelm. ten Rhyne* in ſuis meditationibus *de Veteri Medicina.*

Cum igitur *dolorum omnium cauſa ab acido variè commixto & reſoluto* ortum trahat, hinc *acriora* auribus *nunquam ſunt inſtillanda, nec unctuoſa neque viſcida*, ne acido reſoluto pabulum præbeatur.

Præſtant verò omnia illa, quæ balſamicis ſalino ſulfureis volatilioribus particulis conſtant, qualis eſt hic

Spiritus Acoviſticus.

℞. *Radic. helleb. alb.*
cyclamin.
porri ana. ℥ ß.
ſummit. origan.
majoran. ana. p. j.
Flor. lavendul.
anthoſ. ana. p. ß.
caſtor. el.
Nuc. moſch.
ſem. cumini.
carvi.
ovorum formicar.
millepedum ana. ʒ ij.
baccar. lauri num. vj.
fellis lucii piſcis ʒ ij.
ſpiritus Juniperi rectif. q. ſ. ut 4. digitos emineat, facta digeſtione filtra.

In dolore applicetur hic ſpiritus *cum pane calido rec. è clibano extracto*, cui *baccæ lauri* incoctæ ſint, interjecto circulo ex panno lineo confecto, ne aduratur auris.

Vel ſi rem, inſtillato medicamento in aurem, citius expediri poſſe ſentis,

℞. *Cæpas* num. ij. excavatis immitte
ol. amygd. d.
ſucci abſynth.
lactis muliebris ana. p. æq.

Claude cæpas, & in clibano aſſentur donec nigreſcant, poſtea contunde, & de *expreſſo ſucco tepidè auribus inſtillentur quædam guttulæ*, ac obturetur auris *bombace moſchato*, tum verò *patiens cubet in aurem oppoſitam*, quo profundius illabatur medicamentum.

Vel. ℞. *Formicarum ova.*
axung. ſerpent. ana. ℥. ß.
tinctur. ſaſſafras tartariſat. ℥ij.

Digere donec omnia ſoluta ſint, & in oleum ſubtile abierint hoc guttatim inſtilletur.

Pro ſingulari arcano *Cl. Ludovici commendat pinguedinem viperarum*, ſupra ignem moderatum à craſſamentis ſeparatam, ad guttulam bis vel ter de die inſtillatam.

Vel. ℞. *Axung. hujus viperinæ.*
fellis leporini.
olei chamomill. cærul. ana. ʒ j.
Zibethi gr. iij.

miſce

Vel, ℞. *ſpir. formicar.*
tinct. ſaſſafras tartariſ. ana. ℥. ß.
extract. caſtor. ʒ j.
olei chamomill. cærul. gutt. xx.

Miſce, & applica tepidè, ſuperimpoſito linteamine intenſe calefacto,

calefacto, ut medicamen in actum promoveatur, hoc continua donec dolor ceſſet.

Maximè alii laudant *oleum amygd. amar. cum pomo colocynthidos* optimè digeſtum, poſt fortiſſimè expreſſum, ac ſæpius inſtillatum.

Tinctura ſaſſafras tartariſata ſit ſi.

℞. *Ligni ſaſſafras opt.* ℥j. ß.
ſpir. tartari volatil. opt. ℥j.
ſpir. formicar. rectif. ℥iij.

Extrahe tincturam.

Si efficaciorem operationem velis, primo *per infundibulum*, munito capite linteo calidiſſimo, ſuffitum excipe, interea verò *æger maſticet aliquid cinamomi*, ita enim *maſticando meatus auditorius magis hiat*, ut eo celerius ſuffitus penetret ad intima: tunc finito hoc ſtatim *inſtilletur liquor auribus* tepidè ad gutt. ij. vel iiij. & applicetur auri *goſſipium moſchi vel ambræ odore* imbutum.

Maxime item *conducit ſpiritus ſalis armoniaci vapor*, ex anguſti colli vitro, meatu auditorio exceptus, vel *ſal armoniacum & ſal tartari ana anguſti colli vitro incluſa*, & *aquâ* quadam *cephalica* humectata, in inſtanti fundunt vaporem auri excipiendum.

Si Tumor ſimul concurrat.

℞. *Radic. alth.* ℥j.
fol. malv.
fl. anethi
chamomill. ana. m. j.
cap. papav. num. ij.
ſem. lini ℥iij.
fænugræci ℥. ß.

Coque cum lacte vaccino pro fotu, fluxione verò & tumore ſedato, reliquum diſſipetur medicaminibus antepoſitis.

Si inflammatio & calor externè aurem invadant, cum petiis *Elixir Balſamicum* applica, quod ſubito dolorem & ruborem extrahit.

CAPUT X.

Odontalgica exhibet.

Hic dolor æquè ac aliarum fluxionum, ſive reſolutionum, *ab acido eſt*, ex ultimi alimenti dentium particulis, reſoluto, *nervum rodente*, ſi internus ſit, & dentem perdente, ſecus, quam ſi magis in gingivis dolor hæreat, vel glandulis ſalivalibus. Si dolor ſit magis internus, conveniet ante omnia ſequens

Spiritus Odontalgicus.

℞. *Cortic. rad. mandrag.* ℥ij.
ſem. hyoſciami.
papav. alb. ana. ℈iiij.
flor. lavendul.
papav. errat. ana. ℥ij.
ſem. ſtaphis agriæ.
rad. pyrethri.
caryophyll.
olibani ana. ℥.ß.
camphor.
croci ana. gr. xv.
Opii el. ℥.ß.
ſpir. vini rectif. ℥x.

Infunde per tempus, poſtea exprime & filtra, ac de hoc ſpiritu contineatur cochleat in ore.

Vel

Vel ℞. *Ligni ſancti.*
ſarſæparill.
ſantal. alb. ana ℥ ij.
ſuccini ℥. ß.

Pulveriſatis affunde *ſpir. vini rectificatiſſ.* ℔ j. digerantur vaſe clauſo per octiduum, cujus ſæpius cochlear teneatur in ore.

Si *ſpiritus vini cum Zingibere infuſus* fuerit, ac de hoc ſpiritu *una vel altera gutta, naribus attrahatur*, ſubitò dolorem ſiſtit dentium.

Vel fiat hæc Aqua Odontalgica.

℞. *Radic. pyrethri* ℥ iij.
hyoſciami ℥ vj.
cortic. radic. mandrag.
caryophyll. ana. ℥ ij.
Fol. buxi.
ſalviæ.
plantag.
ſerpilli.
fl. balauſt.
roſarum ana. p. ij.

Coque in ſ. q. *decocti hordei* ad ℥ viij. colaturæ adde

mellis roſati colati ℥ ij. ß.
camphor. gr. v.
Opii correct. ℈ j.

mſ. & hac ſæpius colluatur os.

Si dens cavus ſit,

℞. *Philon. Roman.* ℥ j.
Olei ligni buxi gutt. vj.
Opii correcti gr. x.

fiat maſſa aliquantulum duriuſcula, de hac aliquid immittatur denti cavo cum bombace.

Vel ℞. *Olei camph.*
buxi.
caryophyll. ana. ℈j.
nuciſtæ expr. q. ſ. pro conſiſtentia adde
extract. Opii ʒ. ß.
fuligin. ſplendent. p. ſ. pro tinctura nigra.

Hæc mixtura goſſipio excepta, & denti cavo immiſſa ſedat omnem dolorem ex quacunque cauſa.

Phædro commendat *pinguedinem ranarum*, à quâ in excavatum dentem immiſſa, dolorem quieſcere in perpetuum aſſerit.

Vel ℞. *Nitri præparat.* ʒj. *camphor.* ʒ. ß. cum *Oleo buxi* fiat liniment. quod denti dolenti applicetur.

Si dolor magis ſit externus, & copioſum humorem junctum vehat, tibi hoc *Paracelſi* commendatum habeas ſcil.

Sume *perſicariam fœminam* piperis inſtar mordicantem, *coque* paulum *in aceto*, ac coctam herbam denti dolenti vel maxillæ per horas aliquot impone, tunc *herbam ex ore deſumptam in terram defode* quo putreſcat, & ceſſabunt catarrhi.

Sic etiam *Sabina in cereviſia decocta* & in ore detenta liberat.

Kornthauer maximè laudat *decoctum cortic. mediaſtin. radic. prunor. ſylveſtr. in cereviſia vel vino factum*, & in ore detentum, quod etſi ab initio ob adſtrictionem videatur augere dolorem, egregiè tamen eundem mitigare aſſerit.

Si accedat *tumor glandularum* ſub maxilla & ruber,

℞. *Olei lumbric. terr.* ʒ vj.
chamomill. ʒij.

calefactis imbue lanam ſuccidam & applica.

Vel quod omnem abſolvit paginam, *Elixir Balſamicum* applica, quod ſubito omnem & dolorem & tumorem inflammatum tollit.

Sunt alii qui externis dolorem optimè mitigant. v. g.

℞. *Ex-*

℞. *Extracti ſavinæ* ℥j.
pulv. radic. pyrethri.
piper long.
cantharid. ℈j.
euphorb. gr. xij.
thereb. venet. ʒij.
picis. naval. ʒj.
ceræ flav. ʒij.

mſ. fiat Emplaſtrum, quod alutæ inductum retrò aures ponitur.

Vel temporibus applicatur *Empl. ex gummi tacamahac, cum oleo hyoſciami* liquato, addito *pauco camphor. opio & oleo nuciſtæ*, & ſerico inducto.

Vel hoc pro expertiſſimo communicatum habe.

℞. *ſpir. ſulfuris per campanam.* ℥j.
antimonii crudi pulv. ʒij.

Stent infuſa per noctem, mane filtra, tunc ſi in ſuperiori maxilla doleat dens, inunge tempora, ſi verò in inferiori maxilla ſit dolor, inunge laterem affectum externè, ſed brevi poſt aquâ fontanâ eluatur rurſus, ne cutis aduratur, *ita enim potentiori acido debilius corrigitur & ſuperatur*, ac extrahitur, non ſecus ac ignis, è digito aduſto debilioris ignis particulas extrahit.

Si *gingivarum exulceratio & putredo* ſuccreſcat, tunc acida magis conveniunt adſtringentibus qualibus prædita v. g.

℞. *Radic. tormentill.* ℥iij.
biſtort. ℥j. ß.
fl. roſar. r.
balauſt.
cupul. gland. ana. ℥j.

Coque in *aquæ cochlear.* ℔. iij. in diplomate, in cucurbita cum ſuo alembico munito, & recipulo appoſito, tribus horis peractis exprime & calide filtra, filtrato adde

aluminis ʒj.

liquorem item egreſſum rurſus adde, filtra & ſerva, pro collutione oris.

Vel,

Vel, Recip. *Aceti opt.* ℔.j.
mellis roſar. ℥j.

Coque ad conſumptionem aceti, ultimo adde.
aluminis ℥j.

& ulterius ad conſiſtentiam mellis inſpiſſa, & hac mixtura gingivæ probè infricentur, & paulum in ore contineatur, tum verò exſpuatur.

Huc ſpectat etiam ſequens

Tinctura Odontalgica.

℞. *Gummi laccæ* ℥.ß.
maſtich. el.
alumin. ana. ʒiij.
lapid. medicam. ℥.ß.
radic. cyper rot.
ireos flor.
tormentill. ana. ʒj.
aqua ſalviæ,
fontan. ana. ℔.ß.

Digeſta per tempus parum coque, tum filtra & ſerva pro crebriori oris collutione.

DECKERUS in ſua Praxi commendat hoc in ſcorbuto oris v. g.

℞. R. Gummi laccæ. ℥.ß.
Flor. Aquileg. ʒj.
Spir. cochlear.

m. hoc os & gingivæ eluantur ſæpius.

Vel cum phlegmate *ſpiritus ſalis armon.* & *Tincturæ Catechu* ana. ablue diligenter gingivas ſanguinolentas.

Vel recipe *tincturæ laccæ* ſuperioris jam doctæ, & *tincturæ Catechu.* ana. & utere pro tinctura odontalgica abſolutiſſima, quæ abſtergit, mundificat, conſolidat, roborat, & ſanguinolentas curat gingivas.

Si pueri difficulter dentiant, fiat ſeq.

Balſamus

Balſamus.

℞. *Butyr. majal. non ſaliti* ℥j. ß.
pingued. gallin. ʒij.
ſucci cancror. fluv. expreſſi
ſedi major. ana. ʒj.

Coque ad conſumptionem humiditatis in diplomate, cui in fine adde.

ſanguinis è cryſta galli ℥j.

Miſce, & poſt unam & alteram reiteratam ebullitionem exprimantur, adde ſacchari q. ſ. pro dulcedine miſce, ac hoc linimento diligenter dentes illinantur.

Si dentes nigredine infecti ſint.

℞. *Corallor. rubr. præparat.* ℥j.
oſſ. ſæpiæ.
lapid. pumic. pulv.
cryſtallor. præparat. ana. ℥ß.
ireos flor.
terra catechu.
ſang. dracon. el. ana. ʒij.
alum. uſti ʒj.
caryophyl. num. x.
ſyr. de roſis ſiccis. ℥iij. ß.

fiat mixtura pro fricandis dentibus.

Vel, Recipe *chartæ tenuiſſimæ, ſciſſæ*, & vitro immiſſæ, affunde *ſpir. ſalis*, & agita baculo, donec abeat in linimentum quaſi album, tunc adde *ſucci citri* gutt. xx. *ſperm. ceti* gr. vj. *ſalis armoniaci* gr. v. miſce fiat linimentum, hoc dentes fricentur, ita tamen, ne labia attingantur.

Vel ſi omnibus numeris abſolutum velis dentifricium, fiat ſeq. SPIRITUS DENTIFRICIUS *D. Fauſti*, qui omnem abſolvit paginam.

℞. *Nitri* ℔. ß.
vitrioli ℥j. ß.
ſalis armon. ℥j.
alumin. ℥iij.

arenæ lotæ, & exſiccatæ duplum, trita & mixta deſtillentur per gradus, liquor egreſſus rectificetur per M.B. & ſervetur.

Cum charta bibula in globulum formata, & aqua fontana prius humectata, tum *hoc ſpiritu imbuta, fricentur dentes*, qui in momento eburnei fiunt, hæc tamen cautela, ne labia attingantur.

CAPUT XI.

Cordialia examinat.

HÆc, antequam legitimam præſtent opem, *cauſa morbifica prius ablata ſit*, aliàs fruſtra adhiberi notabis, præter expectationem. In viventium etenim corde lampas ardens, ſive motus vitalis, variis vel diminuitur vel exaltatur modis, pro ſpiritus vitalis varia diſpoſitione, & ſpinarum ſive ſpiculorum conſtitutione.

Ingenioſe admodum ſpirituum fabricam, ac eorundem vel impeditum vel auctum motum pertractat politus noſter *Cl. Wilh. ten Rhyne*, Bilis inquit, ſive partes ſubtiles agiles mobiles, univerſalis in ſanguine motus, ſive circulationis author primarius, particulari etiam agitationi ſubjacet: Dum ſubacidæ lymphæ obvia vitalem excitat efferveſcentiam, dum inter ſe particulis diverſâ figuratum acie inſtructis, dimicant, ut innatum calidum jugiter toto in corpore foveatur.

Verum *illa perturbatio medium commixtionis, & dulcificationis eſt*, quâ omnia mitia, quia ex motu ſubtilia evadunt, ut tandem in ipſos animales ſpiritus eleventur. Hæc enim inter hos & *vitales* intercedit differentia; quod *vitales ſanguini* cui in temperiem cedunt, *includantur*, *qui tum animales potentialiter includunt.* Cum verò

verò *hi actu à sanguine separati sunt, animalium functionum authores,* (quatenus scil. humoribus sese immiscent, ut dulcificent vitales,) *existunt.*

Jam indicasse sufficiat, omnis generis ignes per modum effervescentiæ excitari; sive vitalis fomes nativo calido foveatur, sive humores in fervorem proni confluant, sive secreti olei partes in se insurgant, in quibus summa activitatis sphæra est, ut totam sanguinis massam non modo rarefaciant, verum etiam, ni humidum radicale impediret, incendium minarentur: obstat ideoque *spirituum vehiculum* sanguinis humidum, sive *lympha*; quæ verò si crassior visciditas, ad valvulas stagnans implicet, & tum novo lymphæ abundantioris tanquam pistilli affluxu adigatur, disrumpuntur, & ascitide, vel pectus vel abdomen offundunt.

Videmus hinc vario modo offendi spirituum & fabricam & actionem, *vel enim dissipati spiritus, corrodentes relinquunt humores,* vel ipsi *in ferox alcalinum proclives,* præcordia exæstuare faciunt, & *ardentes inducunt febres.*

Hisce jam è fundamento haud consideratis, irritò omnia propinantur cordialia: Bina ergò fundamenta acidi & alcali in genere hic curiosè mensurentur.

Si *spirituum dissipatio* vel oppressio, *ex crudiori acido* ortum ducat, & particulæ spirituales volatiles sulfureæ dulces, eodem supprimantur, *sanguinem rarefacientia sulfurea, oleosa, aromatica, salina, volatilia,* maximè conducunt.

Spirituum verò *deficientium restauratio* melius *fit per balsamica sulfurea*; Motum verò & *fluiditatem seri vigorantia, per salina, volatilia* inprimis.

Hisce fundamentis sequentes superstruimus medicaminium formulas, ubi, *si plus spirituum defectus,* quam seri fluiditas, respicienda, optimè conducet ex balsamicis aromaticis facta.

Aqua Cordialis triplex D. D. Fausii.

Recipe *Typhorum C. C.* succulentorum & recenter minutim incisorum ℔ iij.

Raſuræ unguiæ alcis ℥ iij.
viſci quercini.
corylini ana. ℥ vj.
ſucci citri ℔ iiij.

per aliquot dies digeſtis adde.

Florum roſarum r. ℥ iiij.
bugloſſ.
borrag.
primul. veris.
tiliæ.
rorismarini.
Fol. majoran.
matriſylv. ana. ℥ ij.
Flor. pæon.
violar. cærul.
lilior. convall.
betonic.
lavendul.
tunicæ ana. ℥ j.
ſtoechad. utriusque ana. ℥ ß.
Radic. Doronic.
cortic. citri.
raſur. ſantal. citrin.
rubri ana. ℥ j.
caſſiæ lign. veræ.
galang minor.
radic. contrajerv.
author. ana. ℥ ß.
Nuc. moſch.
macis.
caryophyll.
ligni Aloes odorat. ana. ℥ iij.
croci ℈ ij. ß.

camphor.

camphor. ℈ ij.
Vini Malvat. opt. ℔ iiij.
Aq. roſar.
acetoſ.
borrag.
bugloſſ.
fl. thiliæ.
meliſſ.
betonic. ana. ℔ j.

miſce digerendo per aliquot dies, poſtea deſtilla per vitrea vaſa magna probè lutata ex M. B. & excipiantur primo ℔ iiij. ſeorſim, poſtea aliæ 4. rurſus capiantur ſeorſim, & tandem reliquiæ deſtillentur ad ſiccitatem.

De prima deſtillatione ℔ ij ſeorſim ponantur in vitro, & obturata ſerventur probè S. *Aqua cordialis ſimplex.*

Alias verò libras duas primæ deſtillationis ſume, & adde.

Eſſentiæ cinamomi ſaccharat. ℥ vj.
citri.
caryophyll.
macis ana. ℥ ß.
conf. alkermes compl. ℥ j.
ſalis ex cap. mort. calcinat. & cum ultimæ deſtillationis liquore *extracti*, & ad ſummum purificati quantum datur.

Digeſta diebus 10. vel 12. filtrentur per chartam, infundibulo vitreo clauſam, tum ſervetur & ſignetur, *aqua cordialis compoſita*, ſive tincta.

Quatuor verò libræ ſecundæ deſtillationis ſerventur ſeorſim & ſignetur aqua cordialis ſecundaria.

Uſum judicioſus quilibet benè noverit, *ſpiritibus ſuppeditant pabulum, particulis aromatis ſulfureis volatilibus conſtantes* inprimis aqua cordialis ſimplex, tincta verò præterea ſimul ſeri fluiditatem, viſcoſitatem emendando, vigorat.

Nec abſimilem effectum præſtat *aqua cinàmomi* ſuo loco deſcripta;

Vel Rec. *Roſar. recent. contuſ.* ℔j.
flor. lavendul. m. ij.
meliſſ. m. j.
caryophyll. num. 40.
cinamomi ʒj.
radic. ireos. flor. ʒ. ß.
benzoi.
ſtorac. calam. ʒiij.
cortic. citri num. iij.
arant. num. ij.

Inciſa & contuſa cum vino generoſo deſtilla.

Si hæc omnia velis efficaciora reddere, quo ſimul pituitam viſcidam efficacius infringant, & fluiditatem concilient, adde *ſal volatile ſang. humani*, vel C. C. aut *ſpir. ſalis armoniaci*, vel *ſal volatile oleoſum* & ſimilia. v. g.

℞. *Aquæ cinamomi.*
borragin. ana. ʒij.
eſſent. ambræ ʒ. ß.
ſalis. volat. oleoſ. ʒj.
ſyr. cinamomi ʒij.

miſce.

Si magis volatilia odorata placeant, fiat ſeq.

Eſſentia ambræ & Moſchi.

℞. *Ambræ* ∋j.
moſchi ∋. ß.
conf. alkerm. ʒij.
ſpir. roſar. opt.
lilior. convall. ana. ʒ. ß.
aq. carbuncul.
Elixir. vitæ Matthiol. ana. ʒj.

mixta

mixta circulentur per 14. dies vel ultra, vaſe optimè clauſo, poſt filtretur eſſentia & ſervetur curioſe; hæc maximè ſpiritus vitales & animales recreat.

Si ſimul *ratione acidi volatilioris* præcipitantia velimus addere vel ligantia,

℞. *Aquæ acetos.*
meliſſ.
borrag.
bugloſſ. ana ℥ iij.
rubi idæi.
roſar. ana. ℥ v.
cinamom. ℥ iiij.
margarit. præp. or. ℥ j.
C. C. *uſti præparat.* ʒ ij.

miſce, & roſarum julepo edulcora. S. *Aqua Perlarum.*

Vel fiat talis Emulſio crodialis.

℞. *amygd. d.* ℥ ß.
aquæ cinamomi.
bugloſſ. ana. ℥. iij.
Aquæ fl. acat.
ceraſ. nigr. ana. ij.

Fiat Emulſio, cui adde

Julepi roſar. ℥ j. ß.
magiſter. perlar. vel præparat.
corall. præparat. ana. ʒ ß.
manus Chriſt. perlar. ʒ ij.

miſce

Vel fiat Pulvis Cordialis D. G. Mœbii.

℞. *Eboris præp.* ℥ ß.
corall. r. præp. ℥ j
margarit. occid. præp. ∋ ß.
ol. ſtill. citri rec. gutt. x.

miſce, Doſis, quantum tribus cultelli cuſpitibus ſumi poteſt.

Vel

Vel hic D. B. B.

℞. *Margarit. or. præparat.* ℥j.
C. C. uſti præparat. ʒvj.
oſſ. de corde cervi num. xv.
ſantal. citrini ℈ iiij.
lapid. Smaragd. or.
Rubini.
granator. ana. ℈ j.

miſce, fiat Pulvis ſubtiliſſimus Doſis eſt ℈j. ad ʒj.

Dantur etiam externa quæ ſpiritibus reficiendis optimè ſuccurrunt, inter quæ laudatur tale.

Epithema cordiale.

℞. *Radic. Angelic.*
Doronic.
been utriusque ana. ʒj.
Fol. lauri.
citri.
meliſſæ citrat. ana. p. ij.
Flor. roſar.
caryophyll.
citri.
anthoſ.
ſpicæ ana. p. ij.
nymph. p. j. ß.
cortic. citri rec. ext.
arant. rec. ext.
caryophyll. arom.
ſantalor. omn.
ligni aloes ana. ℈ ij.

Inciſis & conquaſſatis adde

croci integri inciſ. ℈j. ß.

miſta,

miſta, aquâ cinamomi humectata tepidè carpis manuum, & cordis regioni applica.

Vel *naribus attrahatur* & odore recipiatur ſeq.

Aqua Angelica Odorata.

℞. *Aq. roſar. opt.* ℔ iiij.
naphæ. ℔ ij.
Vini Rhenani ℔ ß.
Benzoi ʒ iij.
ſtorac. calam. ʒ ij.
labdani de barb. ʒ ij.
ligni rhod. ℥. ß.
ſantali citrin. ʒ iij.
cyperi long. ℥. ß.
caryophyll. ʒ j.
cinamomi ʒ j. ß.
ireos flor. ʒ iij.
cortic. citri ext.
arant. ana. num. j.

Groſſe inciſa & contuſa per quatriduum infunde, ſingulis diebus movendo, poſt macerationem deſtilla ex M. B. egreſſum liquorem reaffunde & deſtilla.

De hac aqua primo egredientem nobiliorem ſeorſim excipe, ac ei infunde *ambræ, moſchi, zibeti cum pauco ſacchari trita* & nodulo incluſa, & in vitro probè clauſa ſervetur.

Vel Fiat hæc Aqua de Cypro.

℞. *Benzoi* ʒ j. ß.
ſtorac. calam. ʒ j.
ligni Aloes ℥. ß.
cinamomi el. ʒ vj.
caryophill. num. ij.

Omnibus ſubtiliſſimè contuſis ſuperfunde *aquæ roſar. opt.* pintas ij. &

ſimul bulliant lento igne, & vaſe clauſo, donec pinta una ſemis reſtet. Colaturæ infunde.

moſchi opt. gr. xij.
ambræ griſ. gr. viij.
zibethi gr. iij.
benzoi q. pl.
ſacchari candi parum.

Miſta in Phiola optimè clauſa inſolentur.

Ex hiſce aquis fit ſuffitus Regius & nobilis, ſi in vaſe ad hoc opus parato argenteo, vel vitreo, cineribus calidis impoſito, vapor exhalans excipiatur, vel eo cameræ perfumentur.

Ex remanentia Aquæ Angelicæ pulveriſata, *cum tragacantho* & carbonibus thiliæ, cum aquâ Angelica humectatis fiunt candelæ fumales optimi uſus.

Vel additis *ambra, moſcho, zibetho*, cum grumis panis calentis recenter ex furno extracti, & *cum tragacantho* mixtis *fiunt armillæ* & corallia odorata optima.

Quemadmodum verò hæc jam dicta cordialia, balſamicis ſuis ſulfureis volatilibus particulis ſpiritus exaltant, & ſeri tenacitatem attenuant & liquefaciunt: Ita jam dicenda ſpirituum exorbitantem motum reſtringuendum reſpiciunt.

Inter hæc Acida inprimis legitime parata volatilia excellunt, aqueis & ſerum reſtaurantibus diluta; hinc in febribus ardentibus Julapia acidulata optimè conceduntur, largius pota.

Si hiſce magis Cordialia immiſcere velimus, ſequentia conducunt, ubi magis excellit.

Spiritus Regius F. Hoffmanni.

℞. *Spiritus roſar. rectificatiſſ.* ℥ iiij. ß.
ſalis volatilis ℥ j. ß.

Infunde in retortam vitream, & collo retortæ immitte *ambræ griſ.* ʒ. ß. *moſchi* ϑ j. miſta & linteolo mundo involuta; tum deſtilla igne

igne leni per arenam, ac reſolvetur moſchus & ambra in liquorem, & evehetur inſtar gelatinæ; ſpiritui deſtillato adde *confect. Alkerm.* q. ſ. cum linteolo in quo ambra & moſchus fuerunt, & ſerva curioſe.

Doſis eſt à gutt. xx. ad xxxx. cum ſyr. rubi idæi vel alio liquore convenient.

Vel fiat hæc aqua cordialis frigida.

℞. *Flor. nymphæ alb. rec.*
borrag. rec.
bugloſſ. rec. ana. ℥ j.
Fol. meliſſ. citrat. m. vj.
cortic. citri rec. ext. num. vj.
ſantali citrin.
flor. roſar. r. muria condit. m. vj.

Inciſa & contuſa infunde in

Aquæ acetoſæ rec. deſtill.
flor. borrag. per vitrum deſt.
meliſſ. citrat.
pomor. redolent.
ceraſor. nigr.
rubi idæi ana. ℔ j.

miſta per alembicum vitreum deſtilla, deſtillato adde *ſucci citri rec.* opt. depurat. q. ſ. pro acore v. g. ad ℔. ß. aquæ, ſucci ℥. ß.

Hæc aqua eſt inſignis uſus in febribus ardentibus, quia optimè cum tinctura Bezoardica & ſimilibus, ubi adeſt malignitas, miſcetur.

Vel fiat talis Aqua cordialis temperata.

℞. *Succi borragin.*
bugloſſ.
acetoſæ.
roſar. ana ℔. j.
Flor. acac. m. iij.

pomor. citri num. iij.
cinamom. ʒ vj.
ſantal. citrin.
ligni aloes ana. ʒ j. ß.
flor. caryophyll. m. ij.
meliſſ. citrata m. j.

Deſtilla ſ. a.

Si expetatur

Electuarium Cordiale.

℞. *Conſerv. roſar.* ℥ viij.
pulpæ citri ℔ j.
confect. alkerm. ℥ iij.
flor. citri condit. ℥ ij.
cortic. citri condit. ℥ j. ß.
margarit. or. præp. ʒ vj.
olei cinamomi.
citri ana. gutt. iij.
ſyr. rubi idæi q. ſ.

Fiat Electuarium.

Vel ℞. *Conſerv. pulp. citri* ℥ iij.
roſar. rubr. ℥ ij.
cortic. citri condit. ℥ ß.
confect. alkerm. ℥ iij.
ſpir. ſalis volat. dulcis gutt. xxx.
ſyr. acetoſ. citri q. ſ.

miſce, fiat Elect.

Si externa etiam hic deſiderentur, fiat hoc

Epithema frigidum.

℞. *Aqua cord. frig.* ℥ iij.
meliſſ.
roſar. ana. ℥ j.

aceti

aceti rubi idæi ℥j. ß.
pulpæ cortic. citri. rec. ext. ʒv.
confect. alkerm. ʒj.

miſce & trepidè applica.

Hæc & ſimilia in febribus ardentibus optimè conducunt acidis fortificata cordialia, quia ſpiritus, medicaminibus volatilibus exhauſtos, & admodum ſudoriferis diſſipatos reſtaurant, & concentrant.

CAPUT XII.

Pectoralia exhibet.

HÆc in genere *pulmones reſpiciunt*, in ſuo uſu fruſtratos, qui tamen intricatus admodum eſt & controverſus: hinc tantam reſpirationis ignorantiam *Cl. Ammannus exclamat*: atque in Medicina inquit idem contingere quod in Aſtronomia. Nam ante *Copernicum* terra credebatur immobilis, jam verò mobilis. Sic *Helmont* negat moveri pulmones, ſed eſſe ſolùm inſtar cribri per quod aër in thoracem ſubeat; quod tamen falſum eſſe, ipſam autopſiam demonſtrare, quippe ea compertum habeamus moveri Pulmones thoracis motu ut reſpiremus, quam verò reſpirationem ipſam, nobis uſitatam magis, quam notam eſſe dictus *Cl. Ammannus* luget: atque hanc ſuam theſin probat phyſiologicorum lite de uſu pulmonum & reſpirationis modo.

Interim tamen donec veriora demonſtrentur, credendum, reſpiratione ſanguinem non tam perfici, quam propelli & in circulum agi. Licet & hoc negari haud queat, quod aër inſpiratione attractus, volatili ſuo ſpiritu acido dulci ſanguinem imbuat & imprægnet, fixiores verò & crudiores contentas partes præcipitet, & per pulmonum innatam vim ejiciat, atque ita ſpiritus tenaci humorum corpore detentos liberet & extollat.

Prout enim particulæ ſalinæ ſive activæ aërem variè ingrediuntur, ita

alterant vel acidas vel alcalinas maſſæ ſanguineæ particulas. Sic *in zephyro latitans alcalina ſulfuris portio, vegetiorem reddit hominem.* Si verò acidum ſimul *volatile per Zephyrum* vehatur ſeparatum, *hecticis* ſpirituum diſſipatione exhauſtis, *ſuccurrunt*, ſpiritibus enim ſuppeditat pabulum; & ſi alcalinæ ſuæ parti combinatum ſit acidum hoc volatile, pulmonum exulcerationi conferrent, acidum etenim hoc volatile parat viam, & pars alcalina acidum putrefactivum abſorbet. Secus quam *Boreas*, qui *triſti ſale ſive crudiori acido tinctus, & arboribus & pecori ſiniſter exiſtit*; in melancholiam pronis triſtitiam protractiorem accerſit.

Et *ſi ſuperficiariè corpus tangit*, illud ſtringit, *faciem excoriat, labiaque findit:* Si verò diſtorquentes animum *curæ*, vel *terror*, aut *vigiliæ immoderatæ*, &c. idem hoc crudum acidum ad interiora compellant, floridum obtundit ſanguinem, languidioremque reddit pulſum; acerbosque halitus verſus cerebrum dimittens, ſanguineæve maſſæ ſe intimè miſcens, ſpirituumque animalium tunc partem quandam conſtituens, *turbat mentem*, *nervos vellicat*, convulſiones excitat, corrodit, & ſi inſurgit altius, ſpiritus in totum diſſipat, ac mortem accelerat: Alias in fauces irruens eas exaſperat, ſtrangulationemve iis minatur; Alias in inteſtina ſæviens eadem compungit, immanes dolores colicos excitat, & alvum adſtringit; Alias ad urinarias vias migrans, lotium ſupprimit. Verum mitius exiſtens idem ſal, ſanos alacriores avidioresque efficit, *quandoque rheumate infeſtat*; profundius verò penetrans, corporis obſtipat poros; humores acidiores, tuſſiculoſis ac arthriticis noxios, producit: *Pleuritidi*, ſi auſtralis Mercurius viam ipſi comparaverit *anſam dat.* Hæc *Cl. Wilhelmus ten Rhyne.*

Cum igitur ab extra & ab aëre tanta advehantur mala, quid non in ipſo corpore generabitur mali; ex variis diætæ erroribus.

Atque ita diverſimodè Pulmonum fruſtratur uſus, ſemper tamen prægreſſa *ſpina Helmontiana, ex humorum ſecretione orta* unde ſpirituum exilium, & poſt hoc, humorum lucta, concretio denique exſurgit. Sicuti ſæpiſſimè accidit *ubi immoderata celeriorquè infrigida inglu-*

ingluvies æſtuante corpore, ſanguinem coagulat, ubi tum dicta humorum ſecretio præſto eſt, pulmonibus tum, *ſecretis ſuis aculeis* ſenſim corroſionem inducens, & putredinem accelerans. Prout jam crudiores hæ acidæ particulæ, variis pituitæ particulis obvolvuntur, vel bilioſis vel alcalinis implicantur, ita variant in pulmonibus inducti effectus, vel lenti, vel celeres.

Omnia igitur *Pectoralia reſpiciunt coagulantes particulas acidas*, vario modo inductas, & differentes, ac vel *aſthma*, vel *anhelationem*, aut *ſuffocationem*, vel *ipſam denique phthiſin inducentes*, & cum ſecreta parte alcalina dimicantes.

Talia ſunt in genere *balſamica ſulfureis ſalinis volatilioribus particulis prædita medicamina*; vel acida volatilia, *quæ crudius acidum rectificant*, ſpiritibus ſuccurrunt, & *craſſiorum cruditatum ſecretionem adjuvant*, putredinique reſiſtunt, & ſeparatarum contrariantium particularum combinationem intendunt.

Optimè verò hæc acida ſint volatiliſata & exaltata ac dulcificata aliàs plus mali, quam commodi afferrent.

Conſtat ex his *quam inconſideratè* noſtri *Galenici* ſæpius *ſaccharatis inſiſtant*, cum notum ſit ex reſolutione ſacchari, quale acidum hæc contineant, quod ſecretum, in corpore pugnam excitat, & pulmones magis exaſperat exeditque.

Nec concipere poſſum vias, per quas hæc dulcia pulmones intrant integra nec reſoluta; *per aſperam arteriam in illos illabi haud poſſunt*, cum nec ſubtiliſſimi liquoris guttula absque dolore & ſuffocatione tranſmitti poſſit, ac propterea valvula obſtet: *Per ventriculum* & longiorem viam *absq; reſolutione haud migrant*, & tunc ſi reſoluta illuc perveniunt, quid aliud quam malum augendo agunt reſolutæ particulæ acidæ.

Eſt quidem & ſaccharatis ſuus uſus, at nullum unquam vidi phthiſicum eis reſtitutum. Dulcia ergò vera quærenda, quæ non mutant ſuam eſſentiam, ſed integris viribus ad hoſtem vehuntur, talia ſunt *ſulfurea, exaltata & volatiliſata ſalina*, qualia in triplici dantur Regno, in *mineralium tamen ſulfuribus potentius quam in vegetabilium*.

bilium. Ubi verò morbus in ſua adhuc dum infantia conſtitutus exiſtit, leviora ſæpius conducunt, ſi ritè adhibentur: dantur enim in vegetabilibus dulcibus particulis prædita, & alcalinis volatilioribus imbuta, quæ ritè parata, & applicata, ſuam exerunt vim, etſi debilius quam quæ ex minerali deſumuntur Regno.

Si ulcere inducto acidæ ſubiguntur particulæ, ut in bilioſis ſæpius evenit, tunc putredo velocius tepens, optimè acidis volatilioribus inhibetur & corrigitur.

Jam ipſa luſtrabimus medicamina generoſiora, tam debilia quam fortiora, in pectoris variis affectibus uſitata.

Si *tuſſis deſperata & hæmoptoſis*, adſint concurrente ſimul *effervescente ſanguinis motu*, ut ſemper ferè in Phthiſeos initio fieri ſolet, D. D. FAUS hoc propinavit.

Decoctum Pectorale.

℞. *Radic. liquirit.* ʒvj.
tuſſilag.
cichor.
polypod. ana. ℥ß.
ireos flor. ʒ ij.
chinæ opt.
Herb. ſcabios.
capill. vener.
tuſſilag.
veronic.
fl. roſar. r. ana. m. ß.
ſem. 4. frig. major. ana. ℥ ß.
aniſi. ʒij.
jujubar.
ſebeſten ana. num. v.
caricar. num. viij.
cibebar. ℥j.
caulicum papav. num. ij.
hordei mund. m. j.

Infun-

Infunde horis vj. vel ulterius cum. ſ. q. aq. font. in loco calido, poſtea coque in diplomate ad medietatem, & tum colentur fortiter.

Colaturæ recipe ℥. *vitii. adde*
ſyr. de liquirit. ℥x.
loch. ſani & experti. ℥j.
mellis roſati colati ℥ß.

miſce & de hoc Decocto ſume tempore matutino & pomeridiano per ſe ℥ iij. veſperi verò uni doſi adde

Eſſent. fl. papap. errat. gr. v.
laudani Opiati gr. j.
Olei deſt. aniſi gutt. j. Mſ.

Vel Recip. *Radic. plantag.*
endiv. ana. ℥ iſ.
herb. portulac.
violar. ana. m. iij.
ſem. cydon.
pſyllii ana. ℥ iij.
paſſul. min. ℥j.
jujabar. num. xx.
flor. papav. err.
violar. ana. p. ij.

Coque in ſ. q. aquæ font. *Colaturæ ſume* ℥ viiij. adde
ſucci portulac.
ſyr. diacodii ana. ℥j.

mſ. fiat potio pro quatuor doſibus.

Si *ſanguinis ſputum* perſtet.

℞. *Muſci cran. human. violenter extincti* ∋ß.
croci Martis legitimè parat. gr. vj.
conſerv. roſar. ℥j.
laud. opiat. gr. iiij.
cum ſyr. de roſis ſiccis q. ſ.

Fiat elect. pro 2. doſibus.

Si pulmones ultrò infeſtentur, neque prægreſſa medicamina malum abſtulerint, ſequens exhibe.

Claretum Pectorale.

℞. *Radic. chinæ opt.* ℥j.
acetos. ℥ß.
ligni ſantal. citrin. ʒij.
aquæ pluv. deſtillat. ℔. vj.
Infuſa coque ad tertias circiter.
Colaturæ ℔. iiij. adde
conſerv. roſar. damaſcen.
violar. ana. ℥ß.
Fol. ſen. el. ℥j.
agar. trochiſc. ʒ ij.
rhabarb. elect. ℥j. ß.
ſem. cartham. conquaſſ. ʒ ij. ß.
aniſi.
fœnic. ana. ℈j. ß.

Stent infuſa per noctem, mane ſic frigida colenter ſi conſultum videbitur, adde pro gratia paulum ſacchari. Doſis mane ℥ iij. ad v. ſi non operetur efficaciter, reiteretur veſperi.

Vel fiat hæc Aqua Antiphtiſica D. B.

℞. *Succi veronic.*
plantag.
heder. terreſtr.
agrimon.
ſcabios.
pulmon. maculat. an. ℥viij.
Radic. conſolid. conciſ. & contuſ. ʒ iiij.
Limacum è ſuis conchis extract. contuſ.
hepat. vitulin. in fruſt. minutim inciſ. ana. m. ij.
lactis caprilli menſ. iiij.

Digerantur per triduum in M. B. de hac aqua exhibe ʒ. vel 4. hauſtus tabido, ſinguli hauſtus gratè edulcorentur *ſaccharo roſato.*

Aut

Aut ſequens in uſum veniat *aqua pectoralis.*

℞. *Aquæ flor. acac.*
ſcabios.
farfar.
veronic. eſſentif. an. ℔. ß.
aſthmatic.
loch. ſani ana. ℥ iiij.
cinamomi ℥ j.
ſyr. papav. errat.
violar. ana. q. ſ. ad gratum dulcorem.

Vel ſequentia exhibeantur.

℞. *Amygd. d. excort.*
pinear. rec. ana. ℥ ij.
ſpec. diatrag. frig. ℥ ß.
diaireos. ſ.
diambræ ana. ℥ j.
ſem. melon.
cucurbit. ana. ℥ j.
lact. ſulf. ℈ ij.
fl. benzoi. ℈ j. ß.
magiſt. perlar ℈ j.
ſacchar. aq. aſthmat. ſolut. ℥ viij.

f. ſ. a. Morſelli.

Vel ℞. *ſpec. diaireos.*
diatrag. frig. ana. ℥ ij.
flor. ſulf. alcaliſat. ℈ ij.
flor. benzoi ℈ j.
extract. enulæ ℥ j.
croci opt. ℈ ij.
ſacchar. alb. ℥ iiij.

fiant ſ. a. Rotulæ.

Vel ℞. *ſucci glycyrrhic. inſpiſſ.* ℥ ß.
ſpec. diaireos ℈ iiij.

fl. ſulfuris alcaliſat.
macis. ana. ʒ j.
ſacchar. penid. ℥ j. ß.
olei aniſi gutt. vij.

Cum aqua tuſſilag. ſoluto tragacantho fiant rotulæ.

Vel ℞. *Succi liquir. inſpiſſ.*
ſacchar. cand. ana. ℥ ß.
penid. ℥ j. ß.
ſpec. diair. ʒ j. ß.
olei nuciſt. ϑ iiij.

cum mucilag. tragac. in aq. appropriata ſoluto f. ſ. a rotulæ.

Omnibus hiſce irritis, & quidem ſi brevi effectum haud optatum præſtent, ſuadeo ut miſſa facias, & generoſiora in uſum trahas, quæ ſulfureis ſuis volatilioribus particulis ulcus inhibent, & pravum in pulmonibus jam acidum putrefactivum corrigunt, & ſpiritibus inquinatis ſuccurrunt quo ſe extricent & malum ſubigant.

Talia ſunt generoſiora *è ſulfure parata medicamina*, qualia de ſulfure tradimus, quibus tamen mineralium ſulfura potentiorem opem præſtant.

Si *extra Phthiſeos metum Tuſſis, Aſthma*, infeſtent, *pulmonibus pituita crudiori* minus acri tamen *infarctis* ſequentia conducunt, v.g.

℞. *Loch. de pulmone vulpis.*
ſani & experti ana. ʒ j.
Aq. aſthmatic.
loch. ſani ana. ʒ vj.
fl. ſulfur. acido fortif. ϑ j.
extr. enulæ gr. viij.

mſ. cochleatim ſumendum.

Vel ℞. *Loch. de farfar.*
ſani & expert. ana. ℥ ß.
ſyr. de jujubis ℥ ß. ʒ j.
conf. alkerm. ϑ ß.
ſpir. ſulfuris gutt. x.

mſ. fiat linctus.

Vel

Vel ℞. *Radic. helen.* ℥j.
liquir.
angelic.
fol. hyſſop. ana. ℥ß.
ſacchari. ℥ij.

miſce f. pulv. de quo ſumatur mane & veſperi cultelli cuſpis.

Vel ℞. *Sperm. ceti* ʒß.
ſuccini præparat. ℈j.
laud. opiat. gr. iij.

miſce pro 2. doſibus veſperi ante cœnam & ſub introitum lecti. Temperat optimè lympham vitioſam, & tollit tuſſim periodicam noctu excruciantem, maximè enim *lenit ſperma Ceti acrimoniam muci expectorandi*, reſolvit viſciditatem ejus, & mobiliorem eum pertinacius agglutinatum reddit, præprimis ſi in pertinaciori malo bis vel ter in ſeptimana ejus uſus ſub introitum lecti repetatur.

Vel ℞. *Sperm. ceti* ℈ij.
flor. benzoi ℈j.
cinnab. nativ.
myrrhæ ana. ℈ß.
ſalis ſuccini vol. gr. xv.
l. op. gr. iij.

miſce, fiat pulv. pro 3. vel 4. doſibus veſpertinis.

Vel ipſum *ſperma ceti* exhibetur optimè cum *cereviſia calida*, in qua butyri inſtar ſolvitur. Doſis eſt à gr. v. ad ℈j. imò ʒj. in aſthmate & catarrho ſuffocativo non facile fallibile, ſi modo non eſt rancidum.

Sic infantibus aſthmaticis optime conducit hoc

℞. *Sperm. ceti non rancidi* ʒj.
conſerv. violar. purp. ʒvj.
olei amygd. d. rec. ℥j.
agaric. troch. ℈j.

mſ.

Vel ℞. *rotulæ diatrag. frig.* ℥. ß.
ſperm. ceti ℥ ß.

miſce, fiat pulvis ſubtiliſſ. de quo ſæpius cultelli cuſpis exhibeatur.

Si raucedo infeſtet

℞. *ſyr. de eryſimo.*
jujubis.
violar.
de alth. fernel. ana ℥. ß.
ſacchar. penid. q.ſ.

fiat Elegma.

Vel ℞. *cæpar. allii* num. ij. vel iij.
axungiæ ſuillæ tantum :

ſubigantur & contundantur ac miſceantur in mortario calido ut fiat linimentum, cum hoc noctu cubitum iturus inunge quamoptimè plantas pedum, propè ignem probè infricando, actum linteis calidis pedes involve, ac ita lectum pete, mane ceſſabit raucedo.

Vel *cæpas allii cum cereviſia coque*, & de hoc mane & veſperi detur hauſtus.

Syrupus Violarum compoſitus.

℞. *Aquæ pectoral. aſthmatic.*
tuſſilag.
veronic. ana. ℥ viij.
papav. alb. ℥ iiij.

Hiſce calidis immerge

Flor. violar. martial. rec. à petiolis virid. excerpt. ℔ j. Factâ maceratione per noctem in vaſe ſtanneo cooperto ne quid expiret, fiat expreſſio.

Colatæ infuſioni denuò immerge *Flores violar. rec.* ℥ vj. & factâ maceratione aliquot horarum ſpatio ut prius exprime, tandem adde

ſacchari albi canar. pulv. ℔ ij.

Ac

Aç ſola diſſolutione ſacchari in ſtannea patina, ſupra aquam ferventem fiat ſyrupus, qui coletur per linteum & ſervetur pro uſu.

Jam ℞. *ſyr. violar. comp.* ʒ ij.
papav. err.
phlegma vitrioli cum radic. ireos infuſ. ana ʒ. ß.
eſſent. aniſi ʒ iiij.
miſce fiat linctus.

Sic etiam Externa ſæpius opem præſtant, inter quæ hoc conducit.

Unguentum Pectorale.

℞. *Cæpar. ſub cineribus aſſat.* num. xij.
butyr. caprini rec. ʒ iij.
axung. anſerin.
olei lilior. alb. ana. ʒ ij.
croci ʒ. ß.
ſapon. ʒ ij.
miſ. fiat unguentum.

DE PLEURITIDE.

Optimè huc refertur *Pleuriticus laterum dolor*, cujus cauſæ æquè ac pulmonum affectuum dubiæ, admodum hic inveſtigari debent, antequam medicamina præſcribamus.

Verior & principaliſſima cauſa *acidum* eſt *reſolutum*, pleuram inflammans, *ob inductam effervescentiam, ex ſanguinis & ſpirituum diviſione, ortam.*

Sunt verò varia, *quæ hanc diviſionem intendunt*, & vel *interna* vel *externa.*

Interna eadem ſunt, quas ſupra de Pulmonum affectuum cauſis adduximus. Externæ verò cauſæ eædem poſſunt eſſe, niſi ratione loci differentes; Sic *nudi pectoris frigido aëri expoſitio*, hunc inducere poterit affectum, ſi concurrat diſpoſitio; *frigidior* enim *aura acidos ſuos aculeos per corporis poros mittit, qui* tunc *ſanguini ſe adſociando eundem coagulant.* Poſt ingreſſum enim illi *poros obſtipant*, liberum

ſanguinis

ſanguinis motum impediunt, *anguſtiora vaſa magis angunt*, & tum volatiles ſpiritus ſecedunt, quæ verò tum in ſanguine ſunt adverſæ indolis, inter ſe pugnant, concreſcunt & *in pus mutantur* muriaticum. Sicuti hæc ulterius ingeniosè admodum explicat Cl. meus politus *Wilhelmus ten Rhyne*, ubi eos impugnat, qui ex pituita Pleuritidis cauſam primariam derivant, cum hæc potius inter partes ſanguinis litigium impediat ſua tenacitate & lubricitate viſcida.

Potiùs verò oleoſarum particularum acidum, quam pituitam in cauſa eſſe ſtatuit, ac febrem ſimul ardentem ex inordinato in corpore motu trahere ortum. Quod verò ardor continuus infeſtet, cum tamen acidi comes frigidus ſit, oleoſæ partis vitio adſcribendum ducit, in quo ſanguinis oleum non planè in ſua ſecedat prima quoad ſenſum; & ſi feceſſerit, inquit, tantò ferocius in alcalinas, oleoſasque partes inſurget, & incendio conflagrent viſcera.

Et licet pus cum acido ſimul non ſuppeditet oleum, utrumque tamen ex affecta parte emergit; quod enim ſpirituum feceſſu mordicat, per ſanguinis appulſum defricatur, ac totam ſanguinis maſſam inquinat, quæ tunc, cum ad cor continuò regurgitet, incenſivam illam fovet effervescentiam.

At propterea *facilius ex acido ardoris, quam horroris ſenſum inferri poſſe ſentit.* Adſit enim acre, inſtar, acidum, aderit & bilis oleum & alcali, quæ licet per ſe non peccent, ac tanto magis inculpata ſint, attamen ad fervorem nata, eundem excitent; Et ſi bilis renuat, tamen profundos ei infiget acidum aculeos, ut ſponte etiam ad pugnam incitetur.

Ubi è contra contrarium ex concreta eluceſcit pituita, quæ intermittentium febrium initio, pro eo, quem bilis cum adverſario ſuo dimicans minatur fervore, membra horrore concutit.

Atque ita *pleuritidem, acido coagulante ortam, & à ſanguinis impedito motu inductam, ſolvi per ejusdem motus reconciliationem* duplicem, nimirum *vel totius maſſæ ſanguineæ*, vel minimarum in eadem contentarum, particularum;

Illum ſolvi phlebotomia; hunc verò & illum, *conglomeratarum*

ſive

ſive ab acido coagulatarum *particularum defricatione*; dum volatiles ſpiritus ſulfurei diaphoretici, non modo ſanguinem reſolvant, porosque aperiendo ſudorem promoveant, ſed & acidum peccans emendent & expellant, cum exagitent, & tamen cum eo haud condenſentur, quia diverſæ in volatilitate & fixitate naturæ ſint; remanentia acria attenuando dulcificent, bili priſtinum vigorem reſtituant, ferociamque tollant; adeò ut ſpiritus animales, ſanguinem temperando, viſcera roborent, humorum præternaturali impetui reſiſtendo, eoſdemque ablegando, expellendove aptiores reddant.

Huc itaque ſpectant *acidum coagulans deſtruentia diaphoretica & alexipharmaca* ſupra expoſita, volatilia, balſamica, ut ſunt *Tinct. bezoardica ſpir. tartari*, C. C. *ſalia volatilia*; vel fixa, ut *antimon. diaphoret. oculi cancri, dentes apri, ſalia card. benedicti, tartari* & ſimilia alcalina. Quæ tamen exultante nimium ſanguinis motu, magis quam volatilia conducunt, etiam, ſi humidi ſive lymphæ concurrat copia, opiatis & acidis volatilioribus reſtinguendo, remixta.

Si acidum coagulans admodum peccare, ex ſcorbutica diſpoſitione, compertum habeas, & ſerum deficiat.

℞. *Aquæ card. bened.*
papav. errat. ana. ℥ ij.
tinct. bezoard. ℈ j.
ſalis vol. C.C. gr. vj.
laud. op. gr. j.
ſyr. papav. errat. ℥ ij.

mſ. fiat mixtura, ſingulis 6. horis repetenda, inprimis ſi concurrat malignitas.

Vel ℞. *Raſur. dentis apri.*
antimon diaphor. ana. ℈ j.
Zinnabar. nativ. gr. viij.
laud. opiat. gr. j.

mſ. fiat Pulvis aliquoties exhibendus, ubi ſeri ſufficiens adeſt copia, alias cum ſequenti exhibendus emulſione, v. g.

℞. *ſem. card. bened.*
mariæ ana. ʒij. ß.
ſem. papav. alb.
melon. excort. ana. ʒj. ß.
aq. card. mariæ.
papav. errat. ana. iiij.

fiat ſ. a. Emulſio, pro lubitu pauco ſacchari dulcoranda.

Sic etiam ab alcali quod continet, à multis, ac ab ipſo *Helmonte* recommendatur *ſtercoris equini manipulus, cum hauſtu vini expreſſus, pauco ſacchari edulcoratus*, & propinatus, expectato ſudore in lecto.

Nec inconveniens huc erit *ſecretum* quod *Dygbi* habet, qui ſumit *panem recenter ex clybano extractum*, dividit per medium, & *bona theriaca illitum, calidè applicat*, unam partem pectori dolenti, alteram à tergo, ac ita relinquit per aliquot dies, donec Apoſtema ſuppuratum ejiciatur.

Vel ſumunt alii *cæpas* num. xx. & *coquunt cum lacte ad pultis conſiſtentiam*, & cataplaſmatis inſtar lateri applicant.

Si bilioſum corpus hoc infeſtetur morbo, veluti magis aptum, & efferveſcenti motui accommodatum, tum primò ad ejiciendam ſuperabundantem bilem, conſultò *ſtatim propinatur vomitorium antimoniatum* legitimè paratum, poſtea ſubitò ad ſpecifica in hoc affectu itur, v. g.

℞. *Raſur. dentis apri.*
ocul. cancri. an. ʒß.
flor. ſulfur. cum vitriolo ſublimat. gr. vij.
antimon. diaphoret.
radic. bardanæ pulv. ana. gr. xv.

miſce, fiat pulvis *cum aquâ bardanæ vel card. mariæ* ſumendus, hic fermentationem bilioſam inhibendo & acidum infringendo, lateris dolores non ſine ſtupore curare dicitur. Pro ſingulari arcano commendat Cl. *Knœffelius radicem bardanæ ſive lappæ majoris*, creſcente Luna collectam vere, autumno verò decreſcente, eamque in umbra exſiccatam ad ʒij. cum vino vel propriæ plantæ aqua exhibere jubet.

Sic

Sic item novi curioſum *Helvetum Fryburgenſem Nobilem*, tunc temporis Conſulem nomine *Gottrau*, qui hoc ſuo ſimplici, milites innumeros brevi tempore curaſſe mihi juràbat, abſque habito cauſæ reſpectu, v. g.

Recip. *Aquæ card. bened.*
mariæ an. ℥ iij.
olei. olivar. cochl. j.
nucleor meſpilor. pulv. num. viiij.

mſ. propinetur, & continuetur, ac excitetur ſudor per aliquot horas.

Si ſanguis nimium efferveſcat & ſitis excruciet.

℞. *Aq. acetos.*
papav. errat. an. ℥ iiij.
fontan. ℔. j. ß.
ſyr. violar.
papav. errat. an. ℥ j. ß.

miſce pro Julepo.

Vel bibatur ad æſtum in Pectore contemperandum per dies aliquot hæc emulſio.

℞. *Amygd. d.*
ſem. 4. frig. maj. an. ℥ ß.
aquæ cichor.
borrag.
papav. errat. an. q. ſ. vel ℔. j. fiat emulſio, cui pro grato dulcore adde *ſyr. de althea Fernel.* q. ſ.

Vel ſi adſit bilioſarum particularum vel alcalinarum coagulatarum copia, craſſa tenaci pituita implicata, incidatur & ſolvatur per id, per quod coagulatum fuit, ſcil. per acidi volatilioris ſpicula; quorum loco hactenus *Galenici & alii crudius acidum in oxymelle propinarunt*, nec contemnendum effectum ſæpè conſequuti fuere, etſi ignoratâ effectus causâ eſſentiali, v. g.

℞. *Aq. ſcabios.*
card. bened.
veronic.
tuſſilag. ana. ℥ iiij.

syr. de liquir.
hyssop. ana. ℥ j.
oxymell. simplici. ℥ j. ß.

mſ. propinarunt vel ſequens hydromel exhibuerunt, v. g.

℞. *Mellis virgin.* ℥ ij.
ſacchar. alb. ℥ j. ß.
aceti vini opt. ℥ iij.
aquæ font. puriſſ. ℔. vj.

Coque, & deſpumatum & colatum loco potus ordinarii adhibendum ſerva.

Huc etiam pertinet illud à *D. Cardilucio* laudatum antipleuriticum, ubi vel magis vel minus robuſtis exhibet *ſuccum naſturtii aquatici recenter expreſſum*, & cum tertia, quarta vel quinta parte *aceti ſquillitici*, vel vini addita portiuncula *ſalis communis*, & ſi lubet *olei olivarum*, mixtum; de quâ mixtura omni ſemihora circiter unum vel alterum cochlear exhibere jubet. Atque hoc apoſtema rumpi, febremque reſtingui certò, aſſerit, cuilibet temperamento applicabili.

CAPUT XIII.

Stomachica Conſiderat.

HÆc potiſſimum reſpiciunt ventriculi robur, & quidem fermenti ſive lymphæ vel legitimè vel depravatè conſtitutæ ratione, ab hâc enim dependet totius Oeconomia, vel ſana vel ægra.

In Stomacho verò *prima valetudinis ſemina ac radices conſeruntur*, propagantur, inoleſcunt tandemque maturantur, lymphæ ſtomachalis ſive fermenti benè conſtituti ope, neque vero inſtrumentis digeſtionis depravatè diſpoſitis, quod duplex eſt, vel *amarum ſpecificum alcalinum veſicula fellea incluſum*, vel lymphatum peculiare, à ſplenis promo condo, *pancreate* ſuppeditatum.

Hæc ſunt actionis diſſolutoriæ in ſtomacho, & tranſmutatoriæ inſtrumenta, quæ quo magis inculpata exiſtunt, eo melius maſſa ſangui-

ſanguinea ſuſtentatur & laudabilius pabulum ex cibis legitimè diſſolutis & ope dictorum inſtrumentorum attenuatis ei advehitur.

Hæc ambo non quidem conſtituunt ventriculi fermentum, ſed ſunt ſaltem diſſolutionis ſive digeſtionis inſtrumentum, quod putredini adverſatur, *viſcoſos lentosque ſuccos acidos emendat, reſolvit*, ſecumque ſine noxa abducit pro ſalute hominis;

Salis cibarii uſus ventriculo gratus eſt, ut hujus fermenti ſalini ope altera impurior portio ſequeſtrata per ordinaria excernatur emunctoria: altera ſubtiliorum partium magis magisque clarificetur & in nobiliores uſus deſtinetur, nimirum pro ſpirituum fabrica, & ſingularium partium nutritione materiam miniſtret. Hinc quicquid medicamentoſi cum ſalibus volatilibus, affinitatem, conſonantiam, proportionemque gerit, id in ſanando permagni æſtimandum eſt momenti.

Bina verò hæc inſtrumenta variis alterationum & depravationum modis ſubjecta extant, unde infinitæ quærelæ, hinc illæ lachrymæ!

Acidum nonnunquam lymphæ ſtomachalis adjutorium, in ſtomacho, vel defectu, vel exceſſu peccare notatur.

DEFECTUS, *nauſeam*, *anorexiam*, *dyſpepſiam*: *EXCESSUS exorbitantem* ὄρεξιν, *famem caninam*, vel exoticæ materiæ appetitum prodigioſum, *Virginum pica affectarum*, inducit.

Prioris virium *Emeticis* convenientibus crebro oblatis emendatur, hiſce enim *acidum*, putrida vel *bilioſa materia intricatum vel abſorptum* libertate donatur.

Poſterioris error peſſimus, quia effrenis appetitus difficilius temperatur, plura edulia ingurgitat, quam rectè tranſmutare valet, unde copioſa exaggerantur excrementa ac ſordes, quibus in Archei ſinu aliquantiſper fotis, pravam qualitatem induentibus, innumeræ calamitatum catervæ corpori humano convehuntur. Hujus *acidi exceſſus alcalibus, & alcalinis præcipitantibus* ac hebetantibus corrigendus venit.

Jam ſi ita dictum Stomachi fermentum *crudioribus alimenti particulis obrutum*, & ſuppreſſum notetur, & ventriculi calor

exinde labefactatus existat, conveniunt *aromatica* sulfure volatili suavi pollentia, *præmisso prius vomitu.* Inter hæc non ex infimis est sequens.

Aqua Stomachica D. VVilhelmi.

℞. *Radic. calam. aromat. condit.* ℥ ij.
Zingib.
flaved. arant. sicc. ana. ʒ vj.
cass. lign. veræ ℥. ß.
N. mosch.
maceris.
coriandri ana. ʒ ij.
sem. fœnic.
anisi ana. ʒj. ß.
herb. menth. moschat. ℔. ß.
rosar. r. m. ij.

Omnia incisa macerentur in *spir. flor. sambuci, succi cydonior. & vini Malvatici* ana ℔. ij. postea destilla & serva, roborat optimè ventriculum, cruditates rectificando & corrigendo. Dosi cochl. j. & ultra.

Vel fiat hæc

Aqua Panis.

℞. *Medull. panis tritic.* ℔ ij.
N. moschat.
cinamomi ana. ℥ ij.
caryophyll. ℥. ß.
galang. ʒ vj.

Medulla panis adhuc calenti affundatur ad humectationem saltem *Vinum Malvaticum*, & contusa postmodum cum s. q. vini malvatici ponantur in digestione per 4. vel 5. dies, postea ex M. B. destillata cohobentur & serventur.

Vel hæc Aqua Anisi compos.

℞. *Sem.*

℞. *Sem aniſi* ℔. ß.
fœnic. ℥iij.
dauci.
carv. ana. ℥j. ß.
cinamomi
caryophyll. ana. ℥ ß.
macis.
N. moſch. ana. ʒij.
flaved. arant. rec. ʒvj.
ſpir. vini rectificati ℔ v.

In pulverem groſſum redacta infundantur per dies aliquot, poſt deſtillentur ſ.a. cui dephlegmato adde pro lubitu ſal & oleum aniſi q. ſ.

Vel Abſynthii Tinctura.

℞. *Calam. aromat.*
cortic. arant. ana. ʒ iij.
citri ʒ ij.
cinamom. ʒ ſ.
herb. abſynth. m. iij.
card. bened. m. j.
cent. min. m. ß.
Spir. vini generoſ. ℔ ij. ℥. iiij.

miſta diebus octo ſtent infuſa, poſtea filtra & ſerva. Doſis ʒj. ij. ad ℥. ß.

Aut fiat Aqua Carminativa hæc.

℞. *Flor. chamomill. Rom.* m. xxx.

Incisa infunde in *aquæ chamomill.* ℔ xvj. ſtent in digeſtione in loco calido per 8 dies, poſtea exprime fortiter: in colatura rurſus *chamomillæ Romanæ* m. xxx. infunde, ſtent iterum in digeſtione per 8. dies, poſt colentur & exprimantur fortiter; in colatura denique infunde.

chamo-

chamomill. Roman. m. xv.
flaved. cortic. arant. ℥ij.
abſynth. pontic. m. j.
centaur. min.
puleg.
origani ana. m. j. ß.
ſem. anethi.
aniſi.
fœnic. ana. ℥ j. ß.
carvi ℥j.
cinamomi
macis ana. ℥ ß.

Stent in infuſo per menſem, poſtea deſtilla ex M. B. & ſerva.

Si cruditates vomitu ſunt moleſtiæ præmiſſo vomitorio ſequens in uſum veniat.

Spiritus Maſtichinus.

℞. *Maſtich. elect.* ℥ iij.
cinamomi ℥. ß.
macis.
coſti arom. veri ana. ℥ j.
caryophill. ℥. ß.
cardamomi.
galang.
zedoar. ana. ℥iij.

Inciſa & contuſa infunde in *Vini Malvatici generoſi* ℔, vj. & *ſpir. vini* ℔. iij. poſt deſtilla ſ. a. & ſerva egreſſum ſpiritum, cujus Doſis ℥ ij. ad ℥. ß. & ultra.

Si morſelli arrideant.

℞. *Cinamom. el.* ℥ ij.
caryophyll.
galang.
N. moſch.
Zingib. ana. ℥. ß.
macis.
piperis ana. ℈. ß.

ſpecie-

ſpecierum groſsè contuſarum recipe ʒ iij.
amygd. d. excort. ℥ j. ß.
ſacchari opt. ℥ vj. vel x.
f. ſ. a. Morſelli ſtomachales.

Externa etiam aromatica oleoſa huc optimè faciunt inter quæ ſequentia excellunt, v. g.

Oleum Stomachale Viride D. VVilh.

℞. *Ruthæ recent.* m. iiij.
menthæ criſp. rec.
abſynth.
anethi. ana. rec. m. iij.
flor. chamomill. m. ij.
baccar. juniperi rec. m. iij.
lauri. m. j.
ſem. cumini. ℥ j.
N. moſchat. num. iiij.
calam. aromat. ℥ ß.
maſtich. ʒ iij.
Vini rubri q. ſ. vel ℔. j..
Olei Olivar. rec. ℔. ij.

macerata per tres dies, coquantur & exprimantur: adde expreſſo
olei abſynt. ſtill.
ruthæ ana. ʒ ij.

In debilitate & dolore ventriculi inungatur regio ventriculi calidè, vel etiam clyſteribus, aliquot addantur cochlearia.

Vel fiat hoc Balſamum ſtomachicum.

℞. *Olei nucis moſch. expreſſ.* ℥ j.
maſtich.
menthæ ana. ℥ ß.
cāryophyll.
calam. arom. ana. ʒ j.
carvi.

macis ana. ℈ ij.
Balſami Peruviani ℥ ß.
ceræ alb. q. ſ. Mſ.

fiat Balſamum nobile fragrans, quod mirabiliter ſtomachum roborat illitum.

Si placeat Emplaſtrum.

℞. *Maſtich.* ℥ iij.
tacamahac. ℥ j. ʒ ij.
Reſin. ſtorac. calam. ℥ ß.
olei maſtich.
cydon. ana. ℥ j.

hiſce leni calore mixtis adde

gall. moſchat. ʒ iij.
caryophyllorum.
cinamomi.
ligni aloes.
N. moſchat. ana. ʒ iij.
ceræ virgin. ℥ viij.

Agitentur ac impaſtentur optimè, ultimo verò cum parum refrixerint, adde

Balſami Peruviani ℥ j.

miſce in Emplaſtrum.

Vel ℞. *Maſtich. el.* ℥ j. ß.
tacamahac. ℥ j.
olei nuciſt. ℥ vj.
abſynth. deſt. ʒ ij.
Balſami Peruviani ℥ ß.
ceræ q. ſ.

fiat Emplaſtrum.

Vel ad compeſcendum Vomitum fiat tale Cataplaſma.

℞. *Fermenti acris* ℥ iij.
menthæ ſicc. pulv.

maſtich.

maſtich. ana. ʒj. ß.
caryophyll. ʒj.
aceti roſacei. q. ſ.

fiat cataplaſma quod calidè ventriculo applicetur.

Nec infimæ ſortis eſt *Mixtura Balſamica* D. *Dolæi.*

℞. *Socçolad. ſevilienſ.* ℥j. ß.
olei nuciſtæ expr. ʒij. ß.
Balſami Peruv. nigri & albi ana. ʒß.
cinamomi. ʒj.

cum ſ. q. *Vini Malvatici* f. Mixtura ventriculo debili applicanda.

Jam ſi præter cruditates, acidum ſimul copiâ & acredine peccet, prioribus alcalia combinentur volatilia vel abſorbentia alia. Inter hæc admodum *commendat Cl. Thomſon. ſuam Eſſentiam ſtomachicam*, quam etſi claris verbis haud ponat, attamen ex circumſcriptionibus videtur ita parati, v. g.

℞. *Spiritus ſalis armon. volatilis* opt. rectif.

ſalis tartari volatilis, vel ſpir. vini tartar. ana. p. æq. uniantur probè, addito oleo Nuciſtæ expreſſo benzoi, myrrha elect. ana. q. ſ. cohobentur & uniantur.

Si *Nux moſchata* (dictus *Cl. Thomſon. epilogiſmi chymici* §. 135. inquit,) cum alcali exaltato ritè tractetur, evehitur ſpiritus odorus cor exhilarans, qui partes membranoſas, nervoſas, ſolidat, memoriam repolleſcit, intellectum clariorem parit, & §. 136. Benzoinæ particulæ ſulfureæ ab omni fœculentia repetita deſtillatione perpurgatæ, deinde cum euſtomachico intimè copulatæ fragrantiſſimam explicant Eſſentiam, quæ in paſſionibus cardiacis, item Pulmonis morbis maximo cum ſucceſſu propinatur.

Ex hiſce ingredientibus & ſimilibus facta Eſſentia ſtomachica inſignes obtinet vires, ſuccos enim degeneres acidos urentes mulcet, gas ſylveſtre compeſcit, Lienis vitia corrigit, fermenta invigorat, ſtomachum corroborat, ſanguinem purificat, poros cutaneos recludendo: ſolatur renes urinam provocando, arenæ geneſin prohi-

bendo, genitamque disturbando ; dolori colico opitulatur, ac Alexipharmacum eximium præbet : Antiscorbuticum præstantissimum, acidum retundens exhibet : Uteri suffocationem, indignationem & furorem compescit, fluorem album corrigit ; Dyspnœæ, ac asthmati succurrit, in animo à passionum melancholicarum exhalationibus atris obnubilato serenitatem creat, hypochondriacasque vexationes placat, & quæ sunt aliæ virtutes à *Thomsone* latius descriptæ.

Dosis consueta est à 20. ad 60. guttas, licet aliquoties in acerbissimis angustiis 5. 6. vel 7. cochlearia in apposito vehiculo, cum insequente integra medela, saltem perpetuo levamine ægrotis unius horæ spatio se propinasse refert.

Optimè etiam hic conveniunt *absorbentia & præcipitantia* quando cruditatibus expulsis, acidum adhuc dum exsuperat, & bilem acriorem reddit, v. g.

℞. *concharum præparat.*
oculor. cancri ana. ʒ j.
cinnabar. nativ. gr. vij.

mſ. pro dosi sæpius reiteranda.

Vel ℞. *Corall. r. præparat.*
matris perlar. præparat. ana. gr. xv.
sacchari Saturni gr. viij.
cinamom. pulv.
macis. ana gr. v.

misce, fiat pulvis pro dosi.

Si acidum simul sensim evacuandum, & infrigendum, fiat sequens.

Tinctura Vitæ Mas.

℞. *Elixir. propr. Rhabarb.*
Elixir. vitæ Matthioli c.
tincturæ tartari ana. ℥ viij.
confect. alkerm. compl. ℥ ß.
flor. tunic. rubr. ℥ j.

per tempus infusa filtrentur & serventur in vitro benè clauso.

Vel

Vel Fœmina.

℞. *Elixir. propr. rhabarb.* ℥j.
tinct. tartari opt. ℥viij.
aquæ aniſi comp. ℥vij.
confect. alkerm. ſine m.& a. ℥ß.
flor. tunic. ruber. ʒj.

Infuſa filtrentur. Doſis eſt à ʒj. ad ʒij. & ultra.

Vires harum tincturarum inſignes ſunt, acidum crudius rectificant, ſuperfluum obtundunt, & temperamentum duplicis fermenti vigorant, ac amborum æqualitatem procurant: hinc ſtomachum roborant, ſanitatem conſervant, & ad prolongandam vitam conducunt.

Si Fermentum deficiat, & à bili volatili acriori obtundatur, ac anorexia ventriculum vexet, tunc præmiſſo vomitorio, exhibeantur acida, quæ partem bilis ſulfuream domant & obtundunt.

Talia ſunt *Elixir propr. Paracelſi* cujus loco vos *Schonii* ceu magis correctum ſubſtituimus, ſic & *ſpiritus ſalis volatilis acidus* ſtomacho adaptatiſſimus, ut & *acidum tartari rubrum ſantalinum*, ſupra de digeſtivis traditum, nec non talis.

Tinctura citri roſata.

℞. *Flor. roſar.* ℥j.
ſucci citri clarif. ℔. ij.
ſpir. ſalis, vel nitri, vel ſulfuris acidi volatilis ʒiij.

Infuſa leni calore & tincta colentur, adde.

ſacchari albi q. ſ.

Doſis cochlear j. vel ij vel per ſe, vel in forma Julepi cum aqua fontana, aceroſæ, aut ſimili.

Circa ſtomachi alterationem in genere notetur, ne nimis humectantia ſæpius exhibeantur, omnia enim laxantia, maximis hauſtibus propinata, ventriculum flaccidum reddunt, & retentricem ejus vim debilitant. Hinc etiam magis refrigerantia quam calefacientia

facientia ventriculo nocent, cum sit viscus naturâ suâ frigidum: Nec propterea obtundendus calor, talibus calidis, quorum particulæ volatiles leviter exhalant, & substantiam crassiorem relinquunt difficulter subigendam, talis est raphanus rusticanus, qui quidem moderata quantitate convenit ventriculo robusto, debilem verò ex dicta causa lædit.

CAPUT XIV.

Hepatica tradit.

HEpar, olim maximæ dignitatis erat, dum *sanguinem credebatur conficere*, & per venas alimentum distribuere: nunc verò postquam larva nobilitatis eidem detracta, vix *colatorii vice fungitur:* quam ob rem non defuerunt, qui jecur jocosis monumentis prosequerentur: quam ingeniorum otio abutentium festivitatem, mirum quam graviter & acerbè tulerint veterani quidam Galenicæ militiæ stipatores.

Nam Deos hominesque obtestati sunt, ut injuriam huic visceri illatam, ulciscerentur: quanquam minus rectè dolendum erat studiosis epaticæ dignitatis, quod jecur gignendi sanguinis potestate privaretur; nam ea quoque ratione eà magnis criminationibus, & contumeliis vindicatur; quotus enim quisque morbus non imputatur vitiosis humoribus, quos passim epatis culpa, sed falso progenitos, criminantur imperiti Medici? hæc *Cl. Ammannus ex Consentino.*

Usum verò hujus visceris omnium optimè haberi posse ex illis, quæ vel ad ipsum vel ab eo fluunt, conjecturatur.

Ad ipsum verò deferri sanguinem & spiritus, ac ab eo rursus fluere sanguinem à defæcatione relictum, bilem item, inquit, & lympham. Ut hinc pateat, *Epar tantum colatorium bilis*, & juxta *Glissonium*, scaturiginem lymphæ vel aquæductuum esse.

Principaliora ergo *Hepatis producta*, *bilem* scil. & *lympham*, medi-

medicamina Hepatica reſpiciunt, alterata, & vel exceſſu, vel defectu peccantia.

Bilis à *Galenicorum* ſchola hactenus pro excremento habita fuit; ſed ſi hoc, cur duodeno annectitur fel, tunc potius inteſtino recto alligandum, ne chylum inquinet?

Et cur *aromatica enervatam bilem*, & per eam animales ſpiritus hinc vires tam citò *reſtaurant*? Et ſi naturam providam reſpicias, annon reperies inter aves & piſces rene & lotio non verò felle carentes? quæ ergò eos dementia cepit, quod excrementis id annumerarent! inprimis cum tanta etiam ipſius veſiculæ ſit dignitas, ut ea ex læſione collapſa, unâ & totum animal concidat, ſicuti refert re & nomine *Felix* Würtz/ cum tamen dentur uxores quæ ex puerperio læſa veſica urinaria incolumes vivant.

Altiores ergò ſunt *Bilis vires*, quam *Galenicis* ſcire datum eſt, *ſale* enim *balſamico volatili alcalino gaudet*, quod per indefinitos ac anguſtiſſimos cerebri cuniculos circulatum, in ipſos etiam rectificatur animales ſpiritus. Conſidera quæſo iratum quenquam, & dum ferocia, & ex ira bilis acrimonia ſpiritibus animalibus accedit, obſerves eum certò vix loco manete; incaleſcere, ſuccuti, & ſi dentibus mordeat, venenati quid partibus adfricare; nec quoque viperam niſi laceſſitam & iratam lædere. Atque hinc manifeſtum fiet quantum virium ſpiritibus bilis addat, potiſſimum ſi animadvertas maniacos ita incaleſcere, ut etiam intenſiſſima non curent frigora, ac Herculeo tum robore præſtantes: ſic etiam videbis continuò bilem, furoris hominum cauſam eſſe, ſi nimium redundet.

Conſtat hinc bilem univerſalis in ſanguine motus Authorem eſſe primarium, & ſubacidæ lymphæ obviam vitalem excitare effervescentiam, ut innatum calidum jugiter toto in corpore foveatur, & crudiores particulæ ita rectificentur, ut tandem dulcificatæ in ipſos animales ſpiritus eleventur, *non enim aliter* in corpore humano *ſpiritus differunt*, *quam gradibus ſubtilitatis*: vitales ſanguini includuntur & hi tuno animales potentialiter includunt; & cum hi à ſanguine actu ſeparantur, anictalium functionum authores conſtituunt, & humoribus ſe immiſcentes, vitales dulcificant rurſus

Circularis

Circularis ergò motus naturæ maximè familiaris ; Ex puncto enim quasi oritur bilis, & in idem regurgitat rursus, dum bilis per cysticum hinc communem ductum ad intestinum vergit duodenum, ut cum pancreatis acido concertet, & si quid utile restet, cor appellat, ibidemque vitalem effervescentiam auget, ut ibi sanguinis oleum in sal quadantenus abeat, sero solubile, ut tum rursus per arterias cysticas propulsus ad vesiculam felleam deferatur, quo particulas, vesicariæ tunicæ poris appropriatas, in cystin dimittat salinas oleosis obvolutas, ac ita ex sanguine segregetur iterato, & ex contrariorum pugna recolligatur & ad suam cystin secernatur, ac ita ex fine principium denique inchoetur rursus. Pluribus hic nos non immiscemus, ne limites nostras transiliamus: saltem paucis attingentes lympham, sive serum laudabile, laticem, aquam crystallinam.

Unde hujus vasa oriantur, rem adhuc esse intricatam *Cl. Ammannus* confirmat, etsi, inquit, *Cl. Bartholinus* reliquis in hac materia fuerit accuratior: *Glissonius* tamen, non audet perfectam, certamque omnium, quæ ad lympham spectare possint, demonstrationem polliceri.

Interim certum est *ab Epate*, & juxta *Rüysch*, *à Liene plurimos ramos ad receptaculum chyli commune tendere*, ubi cum chylo commiscetur, & per ductum Thoracicum adscendit lympha in subclaviam; certum etiam est, inventis valvulis lymphaticorum, *lympham non à centro ad circumferentiam, sed ab hac ad illud ferri*, vel moveri: idem patet ex altero lymphaticorum genere, quod ex artibus, vel extremis corporis partibus, oritur, uti hoc luculenter demonstrat *Charleton.*

Multo minus, *usus lymphæ*, plane incertus esse potest ; siquidem hic liquor sanguini proficuus est, dum ejus coagulationem impedit, & quia maxima illius pars jam antea ad volatilitatem est perducta, subacidula, spiritibus vitalibus sese facile adjungit, & vitalem effervescentiam promovet.

Necessarius ergò *hic liquor est*, qui *sanguini fluiditatem legitimam inducit*, si benè constitutus, depravatus verò itidem varia inducit mala.

Ob

Ob defectum febres ardent; si excedat ruptis vasis, hydropem inducit, & variè depravatus catarrhos exsuscitat, & infinita mala inducit.

Duplicia ergò jam hic occurrunt medicamina, & quæ bilem & lympham vario modo depravatam & alteratam respiciunt: maxima amborum est convenientia, uno enim excedente, alterum succumbit, æqualitas ergò summè necessaria.

Si bilis excedit volatilitate acri & copia, tunc absumitur lympha, oriuntur febres ardentes, & similia mala.

In hoc casu conveniunt diluentia, acida, volatilitatem bilis infringentia, lympham restaurantia & similia sequentibus formulis notata. Excellit inter hæc seq.

Essentia Hepatica.

℞. *Succi acetosæ clarificat* ℔. viij.
Tamarindor. recent. ℔. ij.

Tamarindi sint recentes, grata dulcedine præditi, non nigredine infecti. Tamarindi terantur mediante cochleari ligneo, in dicto succo, donec fibræ optimè separatæ sint, medulla verò cum succo probè remixta extet, tunc colaturæ per linteum factæ, immisce aliquot ovi albumina, & cucurbitæ vitreæ immissa, & alembico cocco superposito coquantur in M. B. per 3. vel 4. horas, postea colatur per linteum densum, cum levi expressione, & colatura inspissatur in vitro ad consistentiam melleam, ac servatur.

Si hæc essentia absque empyreumate legitimè parata est, grato sapore, succo citrio haud cedit.

Vires insignes obtinet, in effervescente volatili, acriori bile concentranda, hinc in febribus ardentibus, viscerum inflammationibus, immoderato calore, siri nimia & similibus optimè conducit.

Usus est talis vel similis. Recipe *lactis caprilli* mens. iij. ebullienti infunde *aquæ cichorii* ℔. j. in qua hujus essentiæ uncia una soluta sit, tunc separatur serum à caseosa lactis substantia; serum verò si non sit clarum satis, cum albumine ovi clarificatur, & pro lubitu sacchari paulum additur, si grata arrideat dulcedo: tunc servatur, & de eo bibitur sæpius haustus.

In Potu ordinario fiat potus talis.

℞. *Hordei mund.* m. j.
violar. mart. m. ß.
radic. cichor. ℥j.
cinamom. ℥j.
ſacchari. ℥iij.
Aquæ menſuras duas.
aceti. ℥ij.

Coque ad trium digitorum caſum, & ſerva pro uſu ordinario.

Vel ℞. *Semin. portulac.* ℔. ß.
ſucci endiv. opt. deſpumat. ℔. ij.
aceti opt. ℔. ß.
ſacchari. ℔. j.

Succus cum ſemina infundatur per d. & n. tunc coque cum ſaccharo in ſyrupum, de hoc ſæpius exhibe ℥j. cum aqua cichorii & fontata pro julepo.

Vel ℞. *Sacchari* ℔. iij.
Aquæ fontan. tantum, ſolve & coque deſpumando cum album. ovi num. iiij. tunc adde.
Aquæ roſar. ℔. vj.
ſucci limonum num. 30.
ſem. aniſi conquaſſ. m. j.

coque ad dimidias, tum cola & ſerva, cum aqua fontana vel deſtillatis ſumendum pro Julepo.

Si Nobiliorem velis potum.

℞. *Conſerv. roſar. cochl.* iij.
borrag.
bugloſſ.
acetoſell. ana. cochl. j.
ſucci ribium cochl. iiij.
aquæ endiv.
acetos.
bugloſſ.
cichor. ana. ℔. ß.

miſce,

miſce, unicâ ebullitione, tum colaturam refrigeratam ſerva pro Julepo.

Sic etiam conducit maximè ſeq.

Aqua Hepatica refrigerans.

℞. *Fol. lactuc.* m. vj.
vitis.
endiv.
acetoſell. ana. m. iiij.
Radic. cichor. ℥ iij. ß.
ſucci melon.
cucurbit.
cucumeris ana. ℔. j. ß.
bacc. fragor. ℔. j.

miſta cum rore Majali deſtilla, addito modico ſalis, & ſerva aquam in febribus ardentibus & ſimilibus internè & externè optimi uſus.

Vel fiat Decoctum Alterans hoc E. Sax.

℞. *Radic. chin.* ℥ ij. ß.
ſantal. rubri pulv. ℥ j.
fl. papav. errat. m. ß.
roſar. r. elect. m. j.

Tunc cum aquæ fontanæ menſuris circiter 7. vel 8. fiat decoctum, additis *cortic. citri.* ℥ ß. *ſem aniſi* ℥ ij. *ſpir. Nitri dulcis* ℥ j. aquam hanc ebullientem dictis ſpeciebus ſuperfunde, & tecta ſtent per tempus infuſa.

Infuſionis hujus filtratæ libris viij. adde
ſyr. acetos. citri.
granat.
ribium ana. ℥ j. ß.
ſucci berber.
citri ſine ſaccharo ana. q. ſ. pro grata aciditate.
aquæ cinamomi parum ad gratiam.

Vel ℞. *Aquæ fontan.* ℔. xxxj.
ſacchari candi. ℥ x.

Bulliant leniter & colentur in colatura ferventiſſima: infunde per horas 12.

ſantali rubri pulv. ℥iij.
flor. roſar. r. m. j.
ſucci citri crudi. ℥xxiiij.

Colaturæ tinctæ unciis octo adde

ſyr. berber.
granator. ana. ℥vij.
ſucci citri rec. ℥ij. ℥v.
aq. cinamomi ℥j.
ſpir. Nitri dulcis q. ſ. miſ.

Aut ſequentem tibi habeas recommendatam.

Tincturam Roſarum.

℞. *Aquæ fontan.* menſur. j.
coriandri. confract. ℥j.
cruſtæ panis aſſat. fruſtum.
ſpir. vitrioli vel nitri dulcis cochl. j.

Coquantur hæc invicem, & cum ebulliant ſuperfunde ſeqq. ſpeciebus, v. g.

roſar. r. m. j. ß.
cortic. citri cum ſucco num. j.
cinamom. ℥j.
ſacchari ℥iiij.

ſtent infuſa per diem, donec tinctura probè extracta extet, tunc filtra & ad uſum ſerva.

Si vino aſſueti, eo carere haud velint, fiat ſeq.

Vinum Hepaticum refrigerans.

℞. *Radic. cichor. rec.* ℔. j, ß.
acetoſæ ℥iij.
herb. acetos. m. iij.
tamarind. ℥iij. ß.
fl. roſar. r. m. ij.

paſſu-

paſſular. min. ℔ ß.
pomor. citri. num. vj.
crem. tartari ℥ j.

Inciſa & ſacculo indita infundantur, in menſuris decem vini veteris debilioris, de quo apud paſtum primus fiat hauſtus, ſi una menſura extracta eſt, alia reaffundenda recentis dicti vini menſura.

Sic etiam optimè hic conducunt abſorbentia & præcipitantia quæ regurgitantem, ſpumeſcentem & exorbitantem bilem, æque ac acidum exſuperans, in motu ſuo inhibent, & fermentantem refrenant, ſic. v. g.

℞. *Corall. r. præparat.* ℈ j.
perlar. præparat.
cinnab. nativ. ana. gr. v.

miſ. fiat pulvis pro doſi ſæpius reiteranda.

Si placet Electuarium.

℞. *Conſer. aceto ſell.* ℥ ij.
condit. pulpæ citri.
radic. cichor. ana. ℥ j.
eſſent. ex citri cortic. ext. ʒ j.
ſpir. vitrioli dulcis ʒ ß.

miſce, de hoc ſæpius ſumatur quantitate nucis moſchat.

Hæc de Bile volatili, pingui, acri, quando febres ardentes inducit, lympham abſumit, & ob volatilitatem cum ſanguine non rectè cohæret.

Si verò viſcoſa nimium, & propterea ſanguini minus unitur, conveniunt volatilia, aromatica, de ſtomachicis notata. Hæc ſi progreditur, lymphæ copioſæ viam ſtruit, & tunc minor fit effervescentia, ac ſi tum *acredo accedat ſalina, cachecticus inducitur corporis habitus*, & varia alia mala, hydrops, aſcitis & ſimilia oriuntur.

In hoc caſu conveniunt *humectantia ſpirituoſa aromatica ſale volatili abundantia*, quæ defectum ſpirituum animalium, acidam lympham temperantium reſarciunt, qualia ſupra *de ſtomachicis* itidem notata ſunt.

Si verò eò progrediatur depravata lymphæ copioſæ cruditas & aciditas, ut Hydrops & ſimilia inducantur, tum etiam *martialia legitimè parata* & *alcaliſata* conducunt, quæ præter vim cruditates acidas rectificandi, roborant & leviter adſtringunt, abſumpto acido.

Si verò obſtructiones cum humore copioſo conjunctæ ſint, in forma ſicca ea magis conducunt. Si verò ſiccitas & ſcirrheſcentia ac tumor durus, ibi ea diluentibus remixta conveniunt magis.

Si copioſa adſit humiditas fiat ſeq. vel ſimilis.

Pulvis Cachecticus.

℞. *Martis cum tartaro parati alcaliſati* ʒ j.
ſalis geniſtæ.
tamariſci.
abſynth. ana. ʒ j.
ſuccini albi præparat.
cinamomi ana ʒ ß.
ſacchari ʒ j.

mſ. fiat pulvis ſubtiliſſimus, cujus Doſis ʒ ß. ad ʒ j. mane & veſperi.

Vel ℞. *Croci Martis ſolubilis dulcis* ∋ ß.
perlar. præparat. gr. viij.
corall. r. præparat. gr. xv.
cinamomi gr. vj.
ſacchari ∋ j.

mſ. fiat pulvis pro doſi ſæpius reiteranda.

In hoc caſu etiam maximè conveniunt intermediata *purgantia*, qualia ſupra *ex jalappa, gummi gutta* & ſimilibus dedimus.

Si lympha ſit craſſior, & tenax, tumorem, ſcyrrhum & ſimilia inducens, tum magis liquida in uſum veniant, v. g. ſeq. exhibeatur.

Vinum hydropicum.

℞. *Radic. urtic.*
ebuli.
ireos ana. ʒ ß.
liquirit. ʒ j.

cinerum

cinerum geniſtæ.
juniper.
fabarum ſtraminis ana. ʒij.
baccar. ebuli. ℥j.
rhabarb. el. ʒij.
croci Martis ſolubilis ʒiij.

Inciſa & contuſa d. ad nodulum menſuræ *vini* infundendum, cujus doſis mane ℥iij. ad ℥iiij. cum ſpir. ſalis arm. gutt. xx.

Vel ℞. *Cortic. fraxini.*
ligni tamariſci ana. ℥ ß.
ſaſſafras ℥iij.
radic. helleb. nigr. ℥ij.
cucumeris aſinini ante plenam maturitatem vel lignoſitatem collect. ʒij.
polypod. ʒvj.
caryophyllat.
ſalis geniſt. ana. ʒß.
croci Martis ſolubilis ℥j.

conciſa & contuſa dentur ad nodulum pro duabus vini menſuris. Doſis ℥iij. hæc ſenſim incidunt, corrigunt & evacuant, per tempus exhibita, & pro tolerantia ægri propinata.

Plura ſerum copioſum ſalinum corrigentia, & ſimul diuretica intermediatis vel præmiſſis purgantibus, quærere ſupra, quæ cum ſimul item Diaphoretica ſint, maximæ convenient lymphæ attenuandæ, corrigendæ, & vario modo expellendæ.

Reliqua lymphæ vitia, quando vel magis vel minus eſt acida, vel copioſa vel deficiens, vel viſcoſa aut liquidior, vel impura, dictis medicaminibus ſimiliter parent.

CAPUT XV.

Splenetica exhibet.

Lienem perpendentes, viſceris hujus naturam nondum verè perſpectam ſanè lugemus cum aliis infinitis; etſi enim conſpiciamus

ſpiciamus inſignia ejusdem vaſa, inprimis arterias, & copioſos nervos, uſus attamen teſte *AMMANNO* latet maximam partem.

Credibile interim, imò, quodammodo demonſtrabile, fieri in hoc viſcere & *dulcificationem*, *& ſanguinis plusquam perfectionem*: *exhauſti* enim animales *ſpiritus* ſanguinem dulcificantes, hic *ſuas crudiores acidas particulas ſecernere videntur*, pancreate excipiendas, quo tum ſpirituoſioribus acidi dulcificatis ſpiculis arterioſo ſanguine advectis ſimul reſarciri queant rurſus, ſecretæ verò pro initianda chyli attenuatione in inteſtinis, & puri ab impuro ſeparatione inſerviant. Huic particularum ſeparandarum uſui, lympha inſervit, quâ vitiatâ, ſeparatio item dicta depravatur, unde infinita mala; Si enim acidæ illæ particulæ ſubtiliſſimis ſpiculis dulcificatis deſtitutæ, coacervantur in ſanguine, vel viſceris male conſtituti, vel lymphæ depravatæ cauſa, cachexia præſto eſt; Vel ſi concepta, in mente, idea ſpiritus animales afficit, & hiſce tum afficiatur ſanguis & in motu retardetur, acriores redduntur humores cum ſpiritibus, quibus ſi legitima denegetur ſeparatio, dicta mala Scorbutica, Hypochondriaca, Arthritica & innumera ſimilia exſurgunt. Pro Exemplo *Melancholica* ancillatur, *cujus cauſæ etſi omnes ferè externæ, vel ex cogitationum perturbatione*, paupertate, amore, & ſimilibus ſint enatæ, attamen *ſpiritus animales inficiunt*, ut in motu & actione ſua veloci, perturbati, totam, inficiant ſpirituum Oeconomiam, & corporis debitam conſtitutionem ſanam invertant.

Si paulò apertius declaratum velis opus, en aſſertionis progreſſum:

Quemadmodum *bilis*, *univerſalis* in ſanguine *motus*, *Author primarius*, per Hepar ſuum perficiens circulum, ibidem concentratiores, ſed crudiores ſuperfluas particulas ſulfureas relinquit, ita in hoc viſcere ſpirituum animalium crudiores & rudiores particulæ ſalinæ dulcificationi ineptæ & arterioſo ſanguine adductæ, ſeparantur & remanent, ſubtiliſſimæ verò & exaltatæ volatiliſſimæ particulæ nervorum fibrillas ſeparatæ ſubeunt; non ſecus, ac ſi filamenta, plantam quandam, humectatura, à vaſis fundo aquâ pleno ad radicem

plantæ

plantæ apponas, videbis tenuiorem aquam ſecundum filamentorum ductum tranſcendere, exaltationi verò ineptam remanere.

Hic verò remanentes & iſti plusquam perfectioni ineptæ particulæ, partim Lienis cavernis implicantur, unà ſubnigricans ejus parenchyma componentes; partim ad pancreas amandantur, per appoſita lymphæ vehicula, vaſa nimirum lymphatica, neceſſariò tum uſui, diſſolutorio ſcil. inſerviens, in prima chyli, crudiori depuratione & defæcatione.

In hac illibata & ſanguinis, lymphæ, & ſpirituum circulatione, integra conſiſtit ſanitas: per innumeros enim gyros circulari ſpiritus oportet, quo ſua mixtione dulcificationem perficiant, & nutriendas partes penitiſſimè tingant, quia ſubtili ſanguine vecti carnis penetralia ſubeunt, & tenuiſſimis fibrillarum latebris ſeſe inſinuant. *Dulces ſint circulati ſpiritus, ne ſuis aculeis carnem depaſcantur crudiores, ac atrophiam pro nutritione inducant*; humores namque crudiores quando ſpiritibus orbi magis, potius fatigant quam nutriunt.

En ſpirituum animalium primariam fabricam, qui tum ad cerebrum delati, & ab ejuſdem unctuoſa ſubſtantia poſt tantam circulationem derivati, nulla poſtmodum aculeorum rudimenta in ſenſiliſſimis etiam nervis exuerunt. Hinc *volatiles ſpiritus, ſpirituum reſtaurationi expeditiſſimi ſunt*, multorum gravium morborum tuti & præſervatrices & depultrices. Nec bona alimonia ac nutritio, tam à plurimorum ingurgitatione quam ſpirituoſorum moderato & legitimo interventu dependet.

Jam circa viſceris ſplenetici uſum occupatis, multa obveniunt impedimenta, quæ dictam ſpirituum fabricam invertunt, & infinita mala corpori humano contrahunt, & ſunt vel externa vel interna.

Inter externa adſtant varia animi pathemata, inter interna diæta variè depravata, ſed hæc remota, proximioribus & immediatis ſtruunt vias, quando ſpiritus, remotioribus illis, in ſua actione perturbari, ſenſim depravari incipiunt, ac tum neglecto principio mali, cruditatibus magis magisque obruuntur vel delaſſantur & hebeteſcunt, unde laſſitudo, melancholia, triſtitia, & tandem

malo ingraveſcente, lienis parenchymate cruditatibus præſertim acidis repleto, ac lympha depravata, incraſſata, infinita majora mala, ſcorbutica, cachectica, hydropica, arthritica, & ſimilia emergunt.

Principaliora ergò Medicamina quæ huc ſpectant ſint *alcalina, volatilia, ſpirituoſa, reſolventia, tenacitatem lymphæ temperantia, Diuretica, Diaphoretica, abſorbentia*, & ſimilia, qualia ſupra de Hepaticis, (utpote cujus affectus cum hujus viſceris, admodum concordant:) & alibi tradita ſunt; niſi quod validiora requirat Lien aperientia quam Hepar, inprimis ſi limoſitates & lymphæ tenacitas jam fixas egêre radices. Hæc tamen in genere intelligantur, ubi lien acidis, auſteris humoribus circumfluxus exiſtit.

Ubi verò alcalina prævalet conſtitutio, conveniunt ea de hepaticis, & bile infringenda communicata.

In genere hic *pro panacea habentur martialia*, quæ ob ſingularem alcalinam energiam errans in corpore acidum, ſibi aſſociant, *Cl.* „ *Thomſone* etiam teſte: Ferrea inquit, remedia exquiſitè inſtructa, „ ſuccorum coagulantium texturam invertunt: proinde coagulata „ tandem, à naturæ robore reſolvuntur, & obſtructiones ſplenis „ uteri, per accidens aperiuntur: eadem etiam medicamenta ma„ teriæ impetuoſæ, liquores vitales colliquantis atque in exorbitan„ tem balſami animalis profuſionem Archeum irritantis refrænatio„ nem faciunt; profectò ita ut menſtrua etiam defectuoſa vel ſuper„ flua, ab eadem Medicina emendari queant, cauſæ ſcil. ſpinoſæ „ tabeſcentis, nec non congelantis amotione.

Ex hoc item fundamento *Acidulæ admodum conducunt*, quia præter accidentalem aperientem vim, calorem temperant, *& lymphæ tenacitatem diluunt*, ſolutum vero acidum rude ſalinum per urinas educunt. Vires illarum admodum deprædicat *Cl. dictus Thomſon*; „ Vitæ, inquit, commoda plurima emergunt è fontibus acidis ſper„ ma ſulfuris primigenium ſapientibus, nec non metallica Martis „ vena imprægnatis, unde ventriculi & inteſtinorum tunicis adhæ„ rentes ſordes abſtergunt, & abluunt, ſtomachi robur ſi juſta pro„ portio ſumatur, conſervant, craſſa, viſcoſa excrementa everrunt, „ aciditates quadantenus retundant tartareas, coagulationes, ob-

ſtru-

„ ſtructiones cauſantes, (unde febres pertinaces, ſcorbutus, flatus
„ hypochondriaci, icteritia, hydrops &c. oriuntur:) referant, eli-
„ minantque, menſtrua provocant, urinæ exacerbationem leniunt,
„ ductech fabricam pro tempore impediunt, imò ſynagma ſabu-
„ loſum initians disjungunt, inſuper membranarum laxitati, atque
„ villorum toni remiſſioni auxiliantur: quapropter ad diarrhæam,
„ lienteriam, & cæliacam conducunt, per accidens porro cephalal-
„ gicis, aſthmaticis, vertiginoſis opitulantur.

Sed eandem hic obſervari volumus & conſiderari ſententiam, quam de Hepaticis ſupra poſuimus, nimirum, ubi humiditas copioſa lymphatica exſuperat, in forma ſicca martialia propinanda, ſecus ubi lymphæ tenacitas magis liquidis diluenda.

Præter martialia de Marte ſupra tradita, ſequentia non infimæ ſunt ſortis, vegetabilibus aromaticis, aperientibus maritata: inter hæc maximè laudat *D. Timæus* ſuam

Eſſentiam Hypochondriacam.

℞. *Limatur. Martis ſubtiliſſ.* ʒij.
irroretur ſpir. vitrioli q. ſ.

mixta ſtent in vaſe vitreo per triduum, poſtea affunde *vini albi generoſi* ℔. ij. ſtent in digeſtione per 7. dies, agitentur quotidie aliquoties, in colatura infunde

Trochiſc. de cappar. ʒvj.
rhabarb. ʒß.
ſpec. diarrhod. abb. ʒij.
diatrion. ſantal. ʒj.
aromat. roſat. ʒj. ß.
crem. tartari ʒij.
fæcul. bryon.
aron. ana. ℈ij.
ſal fraxini.
cichor.
abſynth. ana. ℈j.
croci. ʒj.

Mixta digerantur in M. B. per triduum, poſtea colentur, colatura ad mediætatem abſtrahatur per deſtillationem, reſiduum ſervetur in vitro.

Doſis eſt à ℈ ß. ad ʒ ß. ex carnis juſculo, vel alio liquore.

Multò præſtantius hæc ſit Eſſentia ſi loco Martis, vitriolo irrorati, addas *croci Martis ſolubilis*, hic etenim expeditius ſal nocuum oberrans abſorbet, quam acido jam ſaturatus & ſolutus Mars.

Poterit etiam fieri tale VINUM MEDICATUM, v. g.

℞. *Cortic. fraxin.*
radic. cappar.
tamariſci.
radic. fœniculi.
petroſel. ana. ℥ ß.
herb. cuſcut.
capill. vener. ana. m. ß.
cinamomi.
macis ana. ʒ j.
ſem. aniſi.
agni caſti ana. p. iij.
fl. borrag.
bugloſſ. ana. ʒ iij.
croci Martis ſolubilis ℥ ij.

mixta, & in tribus vini menſuris infuſa, propinentur bis de die ad ℥ v.

Vel fiat tale VINUM SPLENETICO-HYSTERICUM.

℞. *Radic. enul. camp.*
ſcorzoner.
byroniæ.
bugloſſ. ana. ʒ v.
polypod. q. ℥ ij.
Fol. meliſſ.
ſcolopendr.
ceterrach.

Fol.

Fol. puleg.
arthemis.
thymi.
epithimi.
Flor. borrag.
bugloss.
hyperici.
thiliæ.
anthos.
acaciar. ana. m. ß.
sem. anisi. ʒ jij.
sileris mont.
dauci.
angelic.
pastinac. hortens. ana. ʒj. ß.
Fol. senn. or. ℥ iij.
Rhapont. ℥ j.
cinamomi. ℥ ß.
zedoar. ʒ ij.
cortic. arant. rec. ʒ j.

Incisa & contusa dentur ad nodulum.

Hunc ad fundum dolioli, sex mensuras continentis affige, ac affunde ab initio sequentis lixivii mensuram unam semis, v. g.

Recipe mensuras quatuor *aquæ fontanæ, in hac sæpius extingue chalybem*, ignitum, cum hac aqua chalybeata & *cineribus juniperi puris*, fac lixivium; In hujus lixivii mensuris tribus coque *passular. minor.* ℥ vj. *major.* ℥ ij. demptis acinis concisis, & contusis minoribus, donec dimidia pars decocta sit; hoc lixivium colatum, fervens ut dictum superfunde nodulo, quatuor verò horis elapsis reple dolioIum vino veteri, & relinquantur per dies aliquot; Postea veniat in usum, nimirum bibatur de eo mane & vesperi haustus, præmissis mane aliquot cochlearibus jusculi.

Sic admodum etiam conducunt tales mixturæ, quæ acidum vapo-

rationibus nocivum & ſuffocans expeditè peſſundant, & aculeos atterunt, & edulcorant, v. g.

℞. *Aquæ fœnic.*
meliſſ.
menth.
bugloſſ.
fl. papav. err.
fumar.
loch. ſani.
cinamomi.
aſthmatic. ana ℥j.
elix. vitæ Matthiol. ℥iij.
ſyr. papav. errat.
rubi idæi ana. ℥ß.
ſucci kermes ℥ij.
confect alkermes ℥j.
l. opiat. gr. viij.
ſpir. ſalis armon. ℥ß.
ſalis ſuccini vol. ℈ij.
tinct. hyperici.
ſuccini tartariſat ana. ℥ij.

Mſ. de hac mixtura detur ſæpius, vel ſingulis dimidiis horis j. vel ij. cochlearia, inſtante paroxyſmo.

Excell. Wedelius commendat ex *Helmonte* decoctum vel *infuſum oculorum cancri,* cum vino factum, acquirere enim ſaporem alcalicum, & egregiam medelam dolorum hypochondriacorum, nephriticorum & aliorum plurimorum morborum eſſe, aſſerit.

Si præter peccans rude acidum, copia humoris ſeroſi exſuperare videtur, magis ſolida forma coducunt adhibita medicamina intermediatis purgante vi leviter præditis, quæ ſimul acidum ſero contentum corrigendo evacuant, tale eſt Electuarium Eq. *D' Obon. D. Majerne.*

℞. *Radic. liquirit. raſ.* ℥iij.
polypod. *ſem.*

ſem. aniſi.
folliculor. ſenn ana. ℥j.
ficuumping. num. 9.
ſem. cartham. conquaſſ.
Fol. ſenn. el. ana. ℥ ß.

Coque cum ſ. q. aquæ ad dimidias, cum colatura extrahe ſequentia.

℞. *Pulpæ paſſular. min.* ℥ij.
caſſiæ fiſtulæ.
prunorum ana. ℥j. probè mixtis adde
Rhabarb. fin. pulv. cum ol. cinam. irrorat. ℥ iij.
lapid. lazuli præp. ʒ ij.
ſyr. de pomis ℥j. ʒ ij.
ambræ gris gr. v.

miſce fiat ſ. a. Electuarium.

Vel fiat talis Confectio Splenetica.

J. H. J.

℞. *Conſerv. Flor. Tunicæ* ℔ j.
nitri tartariſat. ℥j.
ſalis meliſſ.
urtic. ana. ʒ ij.
ſuccini volat. ʒ j.
balſami antimonial. ſuccinati.
olei fœniculi ſuper corallia. r. infuſi & tincti ana. ℥j. ß.
cinamomi ϑ ß.
cinamomi opt. pulv. ℥ ß.
garyophyll. ʒ ij.
nucis Indic. condit. ʒ iij.
ambræ griſ. ſpir. roſar. ſolut. ϑ j.

miſce exactè & ſerva curioſe.

Doſis ʒ j. ſæpius exhibita

Fit

Fit item Syrupus Spleneticus hoc modo.

℞. *Paſſular. minor* ℔ j.
radic. rubiæ tinct. ʒ j.
eringii.
polypod. ana. ʒ ß.
naſturt. aquat.
fl. bugloſſ. ana m. j.
ſem. aniſi ʒ ß.

Coque cum ſ. q. aquæ, colaturæ ℞. ℔ j. ß.
ſucci pomor. ʒ viij.
In hiſce per tres dies infunde
Croci Martis ſolubilis ʒ ij.

Poſtea colaturæ adde ſacchari albi q. ſ. & ad ſyrupi conſiſtentiam coque.

Cl. Sylvius hiſce ſuis Pillulis Spleneticis multum tribuit.

℞. *Gummi Galbani* aceto ſquillit. ſolut. ϑ ij.
vitrioli Martis ad albed. calcinat.
maſtich. el. ana. ϑ j.
caſtor. opt. ϑ ß.
myrrh. rubr. gr. xv.
croci opt. ϑ ß.
troch. alhand. ʒ j.
reſin. ſcammon.
jalapp. ana ϑ j.
olei citri. gutt. ij.

miſce, fiant pillulæ num. 50. de eis capiat lectum ingreſſurus num. v. vel vij.

Vel ℞. *Extract. cathol.*
Martis ſucco pomor. borsdorf. fact. ana. ϑ j. ß.
diagrid. ſulf. gr. viij.
reſin. jalapp.
croci Martis ſolub. ana. ʒ j.

cum

cum balſamo antimoniali fiant. ſ. a. Pillulæ.

Si externa ex uſu eſſe videantur, fiat tale Emplaſtrum.

℞. *Empl. de meliot.* ℥ ij.
gummi ammon. aceto ſolut. ʒ ij.
trochiſc. de cappar. ʒ j. ß.
olei abſynth. deſt. ʒ j.
ceræ, therebint. ana. q. ſ. ut fiat Empl.

Vel ℞. *Olei deſt. abſynth.*
rutæ.
ſpir. ſalis arm. ana. ʒ ß.

mſ. hoc inungatur regio lienis,

Circa martialium adhibitionem nota quæ ſupra de Marte notari voluimus, *an excrementa tingantur* vel non: ſiç & *motus imperandus*, quo humores torpidi excitentur, & medicamentum actuetur magis, præprimis ſi in forma ſicca ſive ſolida propinata fuerint martialia.

Si tenacitas pituitæ coagulatæ eò proceſſit, ut mox concreſcere, & lapideſcere velle videatur, tunc acida volatilia exhibenda, quæ coagulationem deſtruunt, acido inductam: in hoc omnibus præſtat ſpir. nitri volatilis, quem ſuo loco quære.

Obſervandum etiam, ut dulcia juſtè propinentur, ne excedente eorum uſu cruditatibus acidis materia ſubminiſtretur, & malum augeatur.

CAPUT VI.

Anticolica tradit.

ATroces hæ dolorum furiæ, diverſis acidi depravatis mixturis ortum debent, ex bilis enim pinguioris mixtura, ubi bilis inflammata ſubigitur, ardoris inducitur ſenſus, ad gangrænam accedens: *Si* verò ſubacta bile, vel pauca, vel minus pingui, *pituita tenax* accedat, tum ſublata efferveſcentia, *algidi ſenſus adeſt* in remotis

partibus, *cum æstu hypochondriorum, dolore perterebante, distendente, gravante, lancinante*, &c. pro varia itaque mixtura dolor item variat, exsurgentibus simul flatibus plurimorum anxietatum causis, ex depravata, corruptarum particularum fermentatione.

In genere ergò medicamina acidum respiciant variè depravatum; Si verò bilis exsuperet copiâ, necessariò *præmittatur vomitorium*, etiam aliquoties repetendum, si opus esse duxeris. Postea *absorbentia* & *temperantia* exhibeantur, quæ rarefactam bilem acido exagitatam domant & infringunt, ac fermentescens gas sylvestre coercent; talia sunt *antim. diaphoret. oculi cancri, conchæ præparat.* ac alcalina similia, opiatis combinata, & *oleo cortic. arant.* vel simili carminativo irrigata, v. g.

℞. *Oculi cancri.*
antim. diaphor.
margar. præp. ana. ℈ß.
Opii laudat. gr. ij.
olei caryoph. gutt.

misce, fiat pulvis pro dosi sæpius repetenda.

Si verò pituita simul viscida acriori bili jungatur, *aromatica, incidentia, resolventia, carminantia* & similia demulcentia & dulcificantia nervina exhibeantur, inter quæ non infimum sibi vindicat locum sequens.

Tinctura Carminativa.

℞. *Radic. calam. arom.*
helen.
zedoar.
galang. minor.
cinamom. opt. ana. ℥ ij.
cardamom.
bacc. lauri.
juniperi. ana. ʒ iij.
sem. anisi.

fæniculi.

fœniculi.
carvi.
cumini.
anethi ana. ℥j.
flaved. cortic. arant. ℥ ß.
flor. chamom. rom. exſiccat. ℥ j. ß.

Conciſa & contuſa miſce, & infunde in *Vini Malvatici* ℔. viij. *ſpir. vini* ℔. ij. ſtent in infuſione loco calido per 14. dies, tum deſtilla ex M. B. excipiendo ſeorſim liquorem ſpirituoſiorem primò egredientem, qui ſervetur pro menſtruo ad extrahendam tincturam. Deinde porro excipe benigniorem aquam ad ℔. ij. quam ſerva pro aqua carminativa.

Jam Recipe *Radic. calam. arom.*
helen.
zedoar.
galang. min.
cinamomi.
cardamomi ana. ℥ ij.
flav. cortic. arant. ℥ ß.
ſem. aniſi.
carvi ana. ℥ iij.
croci ℥ ij.
baccar. lauri. ℥ ß.

Inciſis & contuſis ſuperfunde
ſpiritus prioris ſpirituoſi ℔ iij.

Digerantur per tempus ſæpius movendo, poſtea filtra & adde
Olei aniſi.
fœnic.
carvi.
arant. rec. ana. ℥ ß.
caryophyll. ℈ ß.
ſpiritus ſalis armon. ℥ iiij.

miſce & digere donec unita probe conſpicias, tunc ſerva pro efficaci

medicina, in quamplurimis affectibus, colica, torminibus hysterici, flatibus uterinis, vertigine & similibus, non satis prædicanda.

Jam ℞. *Aquæ fœnic.*
papav. errat. ana. ℥ iij.
tinctur. jam dictæ ℥ ij.
conf. alkerm. ʒ j.
laud. opiat. gr. v.
syr. fœniculi. ℥ ß.

mf. de hac mixtura singulis horarum quadraturis exhibeantur cochlearia ij. vel iij. donec dolor cesset.

Vel ℞. *Aquæ fœnic.*
menth. ana. ℥ iij.
cinamom. ℥ j. *essent. Zedoar.* ʒ ij.
conf. alkerm. ʒ j.
spir. salis armon. ʒ j. ß.
laud. opiat. gr. v.
syr. fœnic. ℥ ß.

fiat mixtura.

Externè umbilico inungatur sequens.

℞. *Olei N. Mosch. express.* ʒ j.
carvi.
absynth. ana. ♃ j.
Zibethi. gr. v. misce.

Si dolor contumax perstet sub horam somni adhibe seq.

℞. *laud. opiat.* gr. ij.
extract. zedoar. gr. iij.
olei caryophyll. gutt. j.

misce fiant pillulæ.

Sic & hæc viliora sæpius dolorem abstulerunt, v. g.

℞. *Theriacæ* ʒ ß.
cortic. arant. pulv. ʒ j.

detur cum vino generoso calido supposito umbilico crusta panis assata, spiritu vini humectata, ac caryophyllorum pulvere conspersa.

Vel

Vel ℞. *Cortic arant. pulv.*
ſemin. cumini ana. ℈ ij.
caſtor. electi ℈ j.

mſ. fiat pulvis pro doſi, cum vino ſumendus.

Quoniam noſtri *Galenici* hic *clyſteribus multum tribuunt*, & ad illos tanquam ad ſacram anchoram confugiunt, ut eorum benevolentiam captemus, unum vel alterum apponamus, ad cujus normam, infinitos alios poterunt fabricare: nos nullum adhibere præcipimus, docti, conſtringentes acido auſteras particulas, alvum obſerantes, longè aliis demulcentibus indigere remediis, quibus deſtructis vel dulcefactis, obſtructio alvi per ſe remittit, levi ſaltem adhibito purgante. Si tamen cui lubeat, ſibi paret enema hoc vel ſimile, v. g.

℞. *Radic. alth.*
fœnic. ana. ℥ j.
Fol. malv.
parietar.
Flor. chamomill.
meliloti ana. m. j.
ſem. aniſi.
fœnic. ana. ʒ j.
cumini.
bacc. laur. ana. ℥ ß.
colocynth. in pet. ʒ ß.

Coque in ſ. q. aquæ colaturæ ℔ j. adde
olei lini ℥ j.
balſami ſulfur. ſuccinat. ℈ j.
camphor. ℈ ß.

miſce, fiat clyſter, qui, ſi flatus adſint copioſi, repetitis vicibus injiciendus, brevi tamen interjectâ morâ.

Hic *Cl. Wedelius* notari vult, ut clyſteribus carminativis *olea deſtillata parcè indamus*, ne acredine eorum dolor augeatur, cui facile adſtipulamur, quia in ſua reſolutione ſenſiliſſimis acidis ſpiculis prædita

ſunt, quæ ſi humorem non inveniunt, inteſtinorum membranas adoriuntur & rodunt.

Ego ſanè nullum colicum clyſteribus vidi reſtitutum, quia hi mali aream nunquam attingunt, inprimis inteſtinorum viis fixam, & ibi ex maligna fermentatione exortam, nec tam à prava materiæ copia, quam inordinata fermentatione ex ſubtiliſſimis & acutiſſimis ſæpè particulis inductam.

Interim à nonnullis pro experto audivi exhibitum hoc, v. g.

℞. *Pulv. colocynth.* ʒ j.

Ebulliat in petia *cum brodii prunor. damaſcen* ℔ j. Hoc detur pro enemate absque ulla additione, quod tamen haud diu retinetur, tunc verò ſubito injiciatur *lac calidum ſevo cervino quam pinguefactum.* Detur etiam ægro de lacte iſto bonus hauſtus.

Si tandem acidum rude rodens eò ægrotantem perduxerit, ut aucta bilis inflammatione, & ejusdem tandem ſubactione etiam membrorum contractura ſuccedat, poſt ſudorifera nobiliora, volatilia, confortantia, dulcificantia, tandem ad topica deveniatur, hoc modo:

Membra contracta linteis aſperioribus ad calorem confricentur, tum *ſpiritus tartari rectificatus alcaliſatus* probè infricetur, & poſt hæc *oleum galbanetum* illinatur, ſuperpoſita *radice ſymphyti majoris*, in aqua ad pultem decocta, atque ita nulla contractura ex colica reſiſtet, ſed intra 14. dies utplurimum ceſſabit.

Vel infricetur optimè juncturis membrorum contractorum *alumen plumeum*, & ſuperillinatur *oleum ſpicæ juniperi & therebinthinæ*, hoc extrahet rude in articulis contentum acidum, ut ſalis inſtar adhæreat, hoc verò ita continuetur per 14. dies, donec contractura ablata notetur.

CAPUT

CAPUT XVII.

Alvi fluxus & ſanguinis profluvii remedia conſiderat.

LUgenda ſanè corporis humani conditio, innumeris ærumnis ſtabilita, & hactenus intricata, ut etiam in minimis vix fides haberi certè queat, inprimis ſi affectibus *Galenico* more traditis, & falsè explicatis, inſiſtamus; & mirandum, in re adeò neceſſaria & ardua, hucuſque à tempore *Hippocratis* ſubſtitiſſe Medicorum, inprimis *Galenicorum* ſubtilitatem, cum tamen *Hippocrates* per acidum, amarum, & infinita ſimilia, ſufficientem ſubminiſtrarit anſam, in hac certiora inquirendi fundamenta, ex quibus tandem certior partium activarum ſchematum doctrina, emergat, quæ ſanè corporis humani affectiones verius demonſtrat, ex ipſis humoribus ſeceſſum paſſis delatas, quam humotes Galenico more conſiderati.

Quantum intra non multos annos emolumenti Medicinæ accreverit, ex hiſce fundamentis, ſchematum ſcil. perveſtigatione, commonſtrant ex Neotericis Clariſſimi Viri, qui, etſi nondum perfectam aſſecuti fuerint hujus doctrinæ ſcientiam; attamen, ſtimulum addiderunt ne in difficillimis hiſce animum deſpondeamus, credentes ad exemplar *Hippocratis* per Dædalæam dextram omnes noſtri corporis affectus facilè demonſtrabiles fore. Cautior enim *Hippocrates ad guſtus organon ſua detulit qualia*, ac varias, & intra & extra corpus, figuratum ſpecies eſſe docuit, quibus affectiones corporis ſadvenire conſueverint; ſi in eis partium activarum ſchemata acutiori lance trutinaremus, facilè affectuum differentias metiri deberemus.

Principalis hic locus datur mixtioni, quæ temperie ſocia & figuris adverſaria: hac ſuavi, hac juſtâ hominis innititur ſanitas, dulcinamque mixtione nutritur corpus, ſive ſit ſanguis, ſivè lymphaticus, vel nerveus ſuccus, hic enim per mille capillarium vaſorum

anfractus

anfractus ita ſubtiliſari & volatiliſari debet, ut ejus, quem continet, ſalium ſpiritus, omnem conſpicuitatem, ac ſchematiſmi certitudinem fugiat, & fuget: Jam ſi hic contraria particularum ſeparatarum acie diſſideat, inteſtinus exſurgit motus ſimul dolorificus, & licet *in dulci ſanguine omnes latitent humores, illorum tamen quilibet ab hoc ſecretus, propria facultate proſtat, & quantum de acido poſſidet, tandundem conſpicuæ ſcheſis exſerit*; Illud tunc eſt quod diverſas in corpore noſtro excitat tragœdias, pro diverſa ſchematis conſtitutione, *illud decidente de vertice catarrho nares excoriat*, illud partes arthritide vexatas compungit, ac caloris ſenſum mentitur, mediante illo melancholicus ſuccus lancinat colica prenſos & diſtortos, bilioſus verò dilacerat. Et annon hoc eſt, quo ita dictum fermentum ſtomachi, famem excitat; annon mediante hoc bilis cum lympha amicam vitæ ciet pugnam?

Sed hic lædentium ſaltem conſideremus vitia, ſic quænam ſpicula in propoſitis noſtris alvi fluxibus ſe exſerant, hic inquirendum jam eſſet: hic verò ejus, ſcil. *acidi ſcheſin variat vel admixta bilis, vel aliæ alcalinæ terreſtres particulæ*, diverſis cibis implicatæ, quæ pro diverſa mixtura & textura affectum variant, ſi ſeparato occurrunt acido.

Congeritur verò vitioſorum humorum contrariantium colluvies ſenſim in prima corporis regione, vel illuc ad inteſtina ex arteriis vel criticè vel ſymptomaticè effunditur, ac inteſtina ad continuam ſtimulat excretionem: quandoque etiam accedens corroſivum fellis alcali ita corrodit inteſtina, ut gangrænam inducat, ubi tum ſanguinem inficiens, & cor appellans, febremque accedens, mortem accelerat.

Sunt verò hic alvi fluxus pro diverſis humoribus varii, *vel benigni* aliis, *vel maligni.*

In aliis etiam vel *plus vel minus* unà *cum fæcibus alvi materiæ corruptæ excernitur*, prout per venas lacteas plus vel minus transcolatur chyloſæ maſſæ.

In aliis *copioſa ejicitur ſeroſa colluvies*, lympha copioſa, & vitioſa exiſtente

In

In aliis bilis aeris corrodens, ſpumansque accedit.

Alios alvi fluxuum humores, copioſum tingit acidum, quod ſimul dolores intenſos addit.

Sæpius item ipſe excernitur ſanguis ex ruptis, eroſis, vel alio modo apertis venulis inteſtinorum minimis.

Atque ita variat alvi fluxus, pro diverſa acidi ſcheſi, ratione cujus varia ſcorbuti alia inducuntur mala, de quibus integri tractatuli proſtant: ſed cum omnis affectus acido corrupto ortus, ſcorbuticus nobis ſit, ſingularia ejus medicamina ſubminiſtrare noluimus, comprehendentes omnia ea medicamina quæ ſcorbuticis medentur affectibus, ſub aliis quæ ex acido ortis ſpecifica ſunt, ſive enim vocetur affectus ſcorbuticus, ſive affectus acido variè corrupto & alterato enatus, idem eſt.

In primo jam caſu ubi chylus excernitur depravatus, vel propter viſciditatem, aut cruditatem à lacteis non receptus, tum præmiſſis *chalybeatis*, aromatiſatis, *antiacidis*, evacuantia exhibeantur.

Si fluxus alvi eſt ſeroſus, tunc exhibitis prius evacuantibus leniter *hydragogis*, *Jalappeis* ſeri copia extrahatur: poſtea *abſorbentia*, corroborantia, *antiacida* & leviter adſtringentia propinentur, inter quæ ſequentia conducunt:

℞. *Rhabarb. toſt.* ℈ij.
nuc. moſchat. ℈ß.
laud. opiat. gr. j. miſce.
Vel ℞. *Nucis moſchat.* num. j.
tormentill. pulv. ʒij.
ſacchari albi ℥ß. miſce.

& cum pane butyro non ſalito illito, exhibe.

Vel in ſequenti aqua propina, v. g.

℞. *Aq. menth.*
cord. temperat.
perlar. ana. ℥j.
ſyr. cydon. ℥j.
extr. tormentill. ℈j.
conf. alkermes ʒj. miſce.

Optimè etiam conducit hic Pulvis Dysentericus D. F. H.

℞. *Croci Martis adstring.* ℥ j.
C. C. usti præparat. ℥ ß.
rad. bistort.
tormentill. ana. ʒ ij.
cinam. el. ℈ j.
sacchar. Saturni. ℈ ij.

mſ. fiat Pulvis, cujus Dosis à ℈ j. ad ʒ ß.

Sic & ex re erunt externa, quale v. g. est seq.

Oleum adstringens.

℞. *Radic. tormentill.* ℥ ij.
cortic. granat. ℥ j. ß.
fl. rosar. r.
balaust.
hyperic. ana. ʒ vj.
mastic. in gran. elect. ℥ j.
Radic. Anchus.
sang. dracon. ana. ℥ ß.
olei oliv. recent. ℔. j.
vini rubri. ℔. ß.

In pulverem grosse concisa, coque ad vini consumptionem, colatur tum, & servetur ad usum.

Vel ℞. *Olei Nuciſtæ.*
mastich.
cydon. ana. ʒ j.
absynth. dest. ℈ ß.

misce, hoc ventriculum roborando adstringit illitum sæpius.

Vel ℞. *Theriac.* q. v.
olei carminat. q. s.

misce, pro Emplastro quod *Cl. VVedel.* admodum laudatur in alvi fluxu etiam dysenterico, torminibus, &c.

Si bilioſus furor alvi induxerit fluxum, ea obtundendo, concentrando, poſtea evacuando firmanda & reſtinguenda, talibus, quibus ineſt facultas bilioſum humorem tam fluiditate, quam acredine & acido hauſtâ, tumultuantem, ſtimulantem, contemperandi & demulcendi. Talia ſunt infrigidante vi prædita, inter quæ hic *martialia alcalina* præſtant, qualia modo ſupra de ſplenecticis tradidimus, ubi *ſyrupus chalybeatus*, *crocus Martis ritè alcaliſatus*, & ſimilia ſeligenda.

Si nulla ſingulari venenata acredine adhuc dum bilis infecta extet, ſequentia etiam conducunt ſtiptica, v. g.

Emulſio attemperans.

℞. *Sem. quatuor frig. major.* ana. ʒij.
papav. alb. ʒiij.
amygd. d. ℥j.
aquæ è ſucco cydon.
folior. quercus.
plantag. ana. ℥iij.

fiat emulſio, cui adde

aquæ cinamomi cum vino cydon. ℥j. ß.
myræ cydon. ℥ß.

miſce pro 4. vel 5. doſibus.

Externe Hepatis regioni poteſt applicari hoc vel ſimile.

℞. *Farin. hord.*
carnis cucurbit. ana. ℥j. ß.
ſantali rubri pulv.
fl. nymph. ana. ʒij.
aq. ſemperviv.
plantag.
violar. ana. ℥ß.

fiat cataplaſma quod applicetur.

Si tandem acidi progreſſu bilis ſubacta, ac ipſa Dyſenteria inducatur, & cruentus alvi fluxus, vel etiam bilis nondum ſubacta, ſed ab

acido furioſe agitata & ſpiculata malum augeat; ſequentia abſorbentia, demulcentia, confortantia, bezoardica & ſimilia convenient.

In hoc caſu *D. Hagendorn* plures Dyſentericos reſtituiſſe aſſerit per generoſa Bezoardica, v. g. *tincturam Bezoardicam cum tinctura anodyna* remixtam, ſudore quoad poſſibile prolecto, poſt ſudorem verò pulverem ſtypticum internum ſingulis 4. vel 6. horis, in potu verò ordinario cereviſia tenui, *tincturam terræ Catechu cum anodyna remixtam* ad 60. guttas quotidie exhibitam, maximi deprehendiſſe effectus, refert. Sic v. g.

℞. *Aq. menth.* ℥ iij.
Tinct. bezoard. gutt. 40.
anodyn. gutt. xij.
lap. hæmat. gutt. xv.
balſam. ♀ gutt. vij.

miſce pro unâ vice ſingulis 3. horis repetendo.

Pulvis ſtypticus internus hic eſt.

℞. *Pulvis Bezoard. veri* ʒ ß.
Catechu præpar. ϑ iiij.
pulv. anodyni ʒ ß.
olei cinamom. gutt. j. miſce.

Doſis ϑ. ad ʒ ß.

Sic etiam has Pillulas anodynas dictus D. *Hagendorn* admodum commendat, v. g.

℞. *Catechu extract.* & ad dimidias vel ultra evaporat. ʒ ij.
pulv. anodyn. ʒ j. miſce, hiſce addi quandoque poterit
lapid. bezoar. orient. gr. j. vel ij.

Doſis Pillularum ϑ j. ʒ ß.

Tinctura terræ Catechu fit, ſi *pulveriſatæ* terræ affundas *ſpir. vini tartariſati* q. ſ. ac more ſolito extrahas & filtres. Si tincturam evaporas ad ſiccitatem, habes *terram Catechu* optimè paratam, cujus pauca grana pro doſi ſufficiunt, in omnibus alvi fluxibus, fluxu item menſium immodico, fluore albo, urina cruenta, gonorrhœa & ſimilibus.

D. G.

D. G. *Mœbius* hunc ſuum *Pulverem Dyſentericum* admodum commendat, qui

℞. *Pulv. lapid. hæmatit.* ℥ j.
C. C. cum antimonio uſti.
croci Martis ℥ ß.
magiſter. corallor. cum ſucco citri facti. ʒ j.
medullæ lapidum ʒ j. ß.

miſce, fiat pulv. cujus Doſis ℈ j. ʒ ß.

In dyſenteria maligna addit ſpolia ſerpentum.

Dicti pulveres optimè cum ſeq. Syrupo propinari poſſunt, v. g. ſi fit

Syrupus Dyſentericus è N. Moſch.

℞. *Nucis moſchat. condit.* num. ij.
Vini Malvatici ℥ iiij.

Contunde in mortario lapideo in pultis formam, poſtea expreſſum coque ad conſiſtentiam ſyrupi.

Maximè item alii commendant *liquorem terræ ſigillatæ*, qui fit ex terrâ ſigillata minutiſſimè trita, *affuſo ſpiritu vitrioli* correcto, quæ coagulata in lapidem quaſi, *in loco humido ſolvuntur in liquorem dulcem* adſtringentem, ſummum *Dyſenteriæ* & fluxuum alvi remedium.

Tandem omnibus irritis, nihilque proficientibus, vel parum ſaltem, *D. Scharleton ad acidulas*, tanquam ad ſacram anchoram, confugere præcipit.

Si *fluxus colliquativus Atrophiæ* vel *Hecticæ comes infeſtet*, humectantia, infrigidantia & ſimul adſtringentia, acrimoniamque ſalinam dulcificantia præſto ſint, qualis eſt ſupra poſita Emulſio.

Sic & hoc non poteſt non conducere, ad quod

℞. *Lactis recentis* menſ. j.
Nucis moſch. inciſ. num. ij.
gran. piper. num. xviij.
caryophyllor. num. xv.

cinamomi ℥j.
cortic. quercus ánnosæ interior. ℥iij.

Inciſa & contuſa, coquantur donec una quarta pars decocta ſit, tunc colentur, colaturam in quatuor divide partes, unam propina mane, alteram hora decima, tertiam à Meridie hora quarta, quartam hora ſomni, & ſi hoc per aliquot dies recenti confecto lacte reiteretur, nulla nec diarrhœa nec dyſenteria perſtabit, *ſi dolor maximam partem ablatus eſt, non admodum calidè hoc lac propinandum.*

Quod clyſteres attinet, quos hic *Galenici* magni faciunt, de eis *CL. WEDELIUS* notat, *non dari clyſteres adſtringentes*, cum humiditate ſua blanda, magis emolliant, ac præterea *omnis humor inteſtino recto infuſus, ceu ipſi peregrinus, irritet & ad excretionem ſtimulet.* Niſi illi potius acredinis temperandæ, & corroſæ membranoſæ inteſtinorum ſubſtantiæ demulcendæ & conſolidandæ cauſa exhibiti, per accidens adſtringant. Caveas verò ne oleoſa acria, ſalina indantur, quoniam hæc conſolidationem impediunt; Ex omnibus verò conducit *lac cum ſebo cervino calidè injectum*, vel *oleo amygd. d.* commixtum, additis *paucis balſami ſulfuris* guttulis, quale de colicis dedimus.

Inſuper notandum circa *adſtringentium* exhibitionem, *ea ſingulis* 5. vel 6. *horis repetenda*, quia eorum efficacia intra id tempus remittit, hinc *non deſiſtendum ſubitò*: Ac hæc nota omnibus alterantibus etiam adhibenda, ac per tempus inſiſtendum medicamini, legitimè & ratione effectus adhibito, & juſtè parato, non pro more *Pſeudo-Medicorum, qui hoc non ſtatim juvante, ſubitò ad aliud tranſiliunt*, unde non minimùm *produnt ſuam ignorantiam*, neſcientes quid præſcribant, aut quid ordinare modo debeant.

Cum etiam ſola adſtringentia nimium inviſcent, & ſola *opiata nimium figant*, hinc ea mediantibus aromaticis, abſorbentibus, combinavimus, quæ ſimul dulcificando reſolvunt, ac tum omne intentum exſatiant.

Alios ſanguinis fluxus, puto *Hæmorrhagiam narium, uteri, Hæmorrhoidum* &c. ruſpaturis, eadem obveniunt acidi ſpicula, quæ ſupra alvi fluxus fabricare audivimus, ſed diverſo agendi modo, & actionis loco.

loco. *Ortus est ex acido acri, oleosæ & volatili* admodum alcalisatæ *bili occurrens*, & quo inculpata magis & sincera hæc sunt, tantò magis ad fervorem nata eundem excitant; ubi si bilis rennit, tam profundos ei infigit acidum aculeos, ut etiam sponte ad pugnam excitetur. Accedit sæpius lymphæ copia & exsuperantia, quæ dictam contrariantium pugnam optimè promovet, quo eò facilius & levius in se invicem impingant.

Huc itaque spectant remedia quæ ferum redundans exhauriendo, & bilis ferociam ab acidis spiculis impressam, infringendo, Archeum turbatum pacant, & quietem sanguini imperant: talia sunt incrassantia, spiritus exorbitantes concentrantia, adstringentia opiata, & similia absorbentia, & imbibentia.

Si serum copia peccet plus solida, quam liquida conducunt, v. g.

℞. *Oculor. cancri.*
corall. r. ana. ℈ ß.
croci Martis legitimè parati solubilis gr. viij.
terræ catechu præparat. gr. v.
laud. opiat. gr. j.

misce pro dosi sæpius reiteranda.

Quæ tamen ut eo citius opem ferant, cum liquidis propinari possunt, v. g.

℞. *Decoct. hord.* ʒ iiij.
aquæ plantag.
sperm. ranar. ana. ʒ iij.
sem. melon.
cucumer.
papav. alb. ana. ʒ iij.
glandium immatur. num. ij.
amygd. d. excort. ℥ j.

fiat emulsio, cui adde si lubet.

tinctur. lapid. hæmatic. gutt. xx.
anodynæ gutt. viij.
manus Christ. perlat. ʒ ß.

mf. pro 2. dosibus, sæpe reiterandis.

Externè

Externè Hepatis regioni, & teſtibus applicetur hoc epithema, v.g.

℞. *Aquæ nymph.*
plantag.
ſperm. ranar.
cichor. ana. ℥ij.
camphor.
ſacchari Saturni. ana. ʒ ij.
aceti bezoardici ℥j.

miſce, hoc tepidè linteis triplicatis, quadruplicatis, dictis locis, pulſibus item, nuchæ &c. adhibetur.

Vel ℞. *Boli armenæ.*
terræ ſigillat.
ſang. dracon ana ℥j.
album. ovi.
ſucci plantag.
aceti bezoardici ana q. ſ.

fiat cataplaſma fronti applicandum, vel vertici.

HOEFERUS in *ſuo Hercule Med.* certius remedium non inveniri poſſe refert quam *aquæ frigidiſſimæ*, vel *aceti*, *ſubitaneam ad nucham applicationem* vel affuſionem.

Vel ℞. *Pulveris ſpernioli* ex oculis nigri facti. ℥ ß.
aluminis crudi.
vitrioli ad rubed. calcinat. ana ʒ iij.
gallarum immatur. pulv. ʒj. ß.

miſce, hoc goſſipio exceptum applicetur oſculis venarum ſanguinem ſtillantium, in hæmorrhoidum, uteri, & aliis ſanguinis fluxibus.

cum ſpermate ranarum, alumine conſervato, fiat cataplaſma fronti & Hepatis regioni applicandum.

Vel in hæmorrhoidum fluxu nimio, ſpongiâ, *atramento ex gallis, & vitriolo* parato, intincta, applicetur ano & intrudatur.

Aut axillis ſupponatur *Emplaſtrum ex bufone ſupra de Bezoardicis* deſcriptum, vel *bufo integer* exſiccatus, & ceſſabit ac remittet narium hæmorrhagia.

Plura,

Plura, si immoderatus calor ex nimia bilis volatilitate, vel febri ardenti accedat, supra quære de Hepaticis vel infra de malignis febribus. *Ubi tamen hæmorrhagia est critica, & nisi copioso effluxu vires prosternat, non impedienda.* Econtra si est morbosa de qua egimus, statim in principio succurratur, & si circumstantiæ ferant etiam vena secetur brachii reiteratis vicibus intra aliquot horas, moderatè tamen, ut si opus requirat, reiterari queat.

Tandem omnibus parum proficientibus, *martialia* vel *acidulæ rem expedire*, supra citatus *D. Scharleton* asserit, non dissentiente *Lovvero* vindicat. pyretol. *VVillis.* pag. 18. ubi exemplum producit puellæ per sex annos hæmorrhagia afflictæ, sed martialibus tandem curatæ.

Interim *Rulandus* mirum quantum commendat *stercus porcinum recens calidum odoratum*, quod in momento sanguinem è nare stillantem coagulare asserit.

Riverius oxycratum per nares frequenter attractum commendat. *Mindererus* verò *aquam sperm. ranar. cum alumne mistam*, & errhini instar usurpatam laudat.

CAPUT XVIII.

NEPHRITICA PERTRACTAT.

HActenus stat Neotericorum sententia, calculosæ concretionis causam *spiritui lapidifico debere ortum*, in quo verò hujus spiritus formalis consistat essentia, huc usque ignoratum mansisse & intricatum, testatur *Ammannus*, cum nemo ferè dispositionem lapidificam eradicare valeat; modumque igitur fiendi demonstrari facilius, quam ipsum calculum removeri, & *vanam omnem esse* hujus confectionis vel fabricationis *scientiam*, *sine experto remedio* exclamat.

Verum est & dolendum sanè, quod rudis admodum sit plurimorum ferè & magnorum affectuum notitia, ac verus, & fiendi, &

curandi methodus. Interim non desponendum animo, in difficillimis, modo liberet *particularum activarum* pervestigare *figuras*, sanè illustre cognoscendis morbis conferretur emolumentum. Hic verò *acidus consulendus est spiritus*, cui perpetua inest & agendi, figurandi, & coagulandi aptitudo; modum & rationem concretionis calculosæ in Macrocosmo, intelleximus *acidum volatile* expeditioris *coagulationis esse causam:* hujus etenim celeritas, angustos expeditius pervadit meatus atque ipsis interceptus firmius hæret, & durius efficit corpus, non secus ac si in fodinis nonnullis reperti lapides sciscsiles, aëri expositi, & mollia è fundo maris extracta corallia, aëris acido volatili indurescunt & lapidescunt.

Talis volatilis acidus spiritus conveniens est calculosæ concretionis efficiens, si oleo jungatur, quia hoc aquæ dissolutionem repudiat. *Oleum* verò; *bilis suppeditat*, alcalinum volatile, quid diversis in locis acido volatili occursans, cum eo copulatur, in maximum sanitatis humanæ detrimentum, atque hinc corpus humanum non uno in loco calculis infarcitur. *Si in folliculum fellis dictus irruat spiritus, inibi calculus procuditur.* Si verò cum lympha ad renes deferatur secretus, vel ibi saltem secedat, & particulis alcalisatis oleosis è bile adductis occurrat, arenas fabricat; ubi tum vitiata renum textura calculi coercet semina, quorum tamen prima rudera non ita cohærent, quin facile dissolvantur, ubi tamen crudiores particulæ adhuc sunt magis rubicundæ & immaturiores, quam coguli albi.

Si oleosorum alcalinorum facilem cum acido volatili concretionem percipere haud possis, perpende *succini* & *aliorum resinosorum qualia*, tibi dabit expedita analysis, ubi *spiritum, sal volatile*, & *oleum* simul obtines.

Nullum verò *adæquatius habitaculum, oleosis*, volatilibusque designari posse, *bile, in bobus* demonstrat fellis cystis, *hyeme calculis frequentius turgida*, nunquam vero illorum vesica eis repleta, *qui tum tempore verno esu graminis curantur rursus*, quia ex eo in proprio domicilio medelam inveniunt: quod verò in homine remotiores etiam infestentur partes, secus ut jam de bobus dictum, calculosa concretione,

tione, rectificatioribus, volatilioribusque adſcribendum eſt humoribus & ſpiritibus.

Atque hinc ſtat aſſertio, *Bilioſos, calculoſæ concretioni admodum eſſe obnoxios*, aſſentiente *Cl. VVilh. ten Rhyne* qui aſſerit, ſe *plurimos in icterum pronos, calculo obnoxios*, eoſque jam ab eodem vel in urinæ aut in fellis veſica infeſtatos advertiſſe: atque hæc eſt calculi geneſis, ſpirituoſis inducta; ab hoc ſi acidulum & volatilem ſpiritum deſtillatione extrahas, & rurſus reſtanti materiæ calculi adhuc formam, non verò firmitatem referenti, reaffundas, priſtinum reſarcire duritiem *Tackenius* refert.

Hiſce jam ex cauſis enatus & concretus calculus, ſimili indiget ſolvente, quia ſolvens cum ſolvente ejuſdem eſſe debet naturæ, exemplo à gummatibus, reſinoſis & ſimilibus, etiam ex minerali regno deſumpto, ubi nulla contraria contrariis, ſed ſimilibus ſemper ſolubilia vidimus; Cum itaque hic *primarius petrificationis Author fuerit acido-volatilis*, ſimili iterum volatili acido ſolvente deſtruendus erit. Talis eſt *ſpiritus Nitri volatilis*, qui *omnem ferè in deſtruendo calculo abſolvet paginam*, ſicuti jam ſupra de diureticis pluribus hæc pertractavimus.

Interim ſequentia hactenus laudata fuere, quæ ſæpius opem tulerunt in leviori nec dum coagulato & fixo malo.

Reſpiciunt verò in genere Medicamina hæc, coaguli reſolutionem, & coagulatoris deſtructionem, vel jam factam, vel in fieri, & vel copia, vel acrimonia membraneum ſenſile genus pungendo, rodendo, inflammando vel irritando & ad continuam excretionem ſtimulando, nec tamen quid excernendo.

Si concretio ſabuloſa ſit in fieri, & renes ob depravatam inibi contrariantium pugnam infeſtentur, pungantur, inflammentur ſerumque detineatur à coagulatore, quod nos vulgo *Nephritidem* vocare conſuevimus, tum conveniunt diluentia, ſimul reſolventia, demulcentia, dulcificantia & ſimilia, quæ ſequentibus formulis comprehendimus.

Inter quæ liquida expeditius rem perficiunt, v. g. fiat tale vel ſimile Decoctum.

℞. *Cicer. rubr.* ℥ ij.
ſem. violar.
papav. alb.
dauci.
malvæ ana. ℥ ß.
baccar. juniperi. ℥ j.
fruct. alkekeng. num. vj.
glycyrrhiz. raſæ. ℥ ß.
Coque in ſ. q. *aquæ petroſel. & fontan.* ana. p. q.
Colaturæ ℔. ij adde
ſyr. de quinque radicibus.
miſce, bibat de hoc Decocto æger ter de die, inſtillatis ſemper *ſpirit. nitri volat. dulcis* gutt. vj.

Vel fiat talis mixtura omni inſerviens ſcopo.

℞. *Aquæ petroſel.*
fragar.
ſaxifrag. ana. ℥ j. ß.
fœnicul.
cinamom. ana. ℥ ß.
ſpir. alkekeng. ℥ ij.
confect. alkerm. ℥ j.
laud. opiat. gr. v.
ſyr. de althæa Fernel. ℥ ß.
ſpir. nitri volatil. ℈ j. *vel ſalis ſuccini vol.* ℈ ij.
miſce, de hac mixtura dentur ſingulis horis 2. vel 3. cochlearia.

Vel ℞. *ol. amygd. d.* ℥ ij.
aq. raphan. maj. ℥ iiij.
petroſel.
gener. vini albi ana. ℥ iij.
ſpir. ſalis volat.
thereb. ana. gutt. v.
ſucci limon. num. v.

miſce

miſce pro 2. doſibus, ſi enim prima doſi non ceſſet dolor, poſt tres horas altera doſis exhibeatur, & dolorem veriſſime ceſſare *Lemeri* teſtatur.

Vel fiant ſequentes Aquæ, v.g.

℞. *Fragor. rec. menſ.* 4.
baccar. alkekeng. ℔ j. ß.
rad. raphan. maj. raſ. ℔ ij.
ſemin. Dauci vulgar. ℔ ß.
ſucci betulæ menſe Martio collect. ℔. xxiiij.

mixta deſtillentur per M.B. Hujus aquæ doſis eſt ab ʒ j. ʒ iij. cum ſyr. de althæa, *ſpir. nitri dulci* &c.

Vel fiat talis D. G. R.

℞. *Fragor. matur.* ℔ iiij.
Vini Malvatici ℔ ij.
aq. juniperi ℔ j. ß.
petroſel. ex radicibus ℔ ij.
Heder. terreſtr.
radic. ſaxifrag. alb. ʒ j.
nuc. perſic.
ceraſor. contuſ. ana. ʒ vj.

Stent in infuſione vaſe clauſo per menſem, poſtea deſtilla & ſerva.

Doſis eſt à cochleari uno ad iij. vel iiij. tempore matutino, tam ad præſervationem quam curationem.

Si fortior inflammatio ſimul febri ſimiles inducat paroxyſmos, & ſitis excruciet, fiant, v.g. tales.

Emulſiones.

℞. *Sem.* 4. *frig. Major. rec.* ana. ʒ ij.
papav. ʒ j.
nucleor. perſic. ʒ j. ß.
Decocti hordei cum ſemine dauci facti ʒ vj.

Aquæ petroſel.
liquoris betulæ deſtill. ana ℥j.

Fiat Emulſio, cui adde

ſyr. de althea Fernel. ℥j.
ſpir. Nitri dulcis. gutt. aliquot

mſ. pro 2. doſibus.

Vel ℞. *Nuc. perſic.* ℥j.
ſem. violar. purp.
dauci.
ſaxifrag.
geniſtæ. ana. ℥ ij.
Aq. petroſel.
ſaxifrag.
ononid. ana. ℥iijj.

fiat emulſio, cui adde.

ſyr. violarum.
de alth. Fernel. ana. ℥vj.
ſpir. Nitri dulcis volat. ℈j. ß.

miſce pro 5. doſibus.

HELMONT admodum commendat *liquorem betulæ, extractum è betulâ vulneratâ, menſe Martio*, circa tempus, quo ſolet vulnerata vitex plorare novellum liquorem; eum verò colligere jubet *ex ramo craſſiori*, ad ſemidiametrum vulnerato, indita vulneri lana, quo ſervetur apertum vulnus, atque ex hoc ſtillantem ſuccum ſubacidulum non ingratum excipere, lithiaſeos inſigne ſolamen. Meraciorem verò è ſuperioribus ramis, quam propè truncum, effluere teſtatur.

Hunc ſuccum etiam laudat *Cl. F. Hoffm.* unius aut alterius cyathi portione poculo cereviſiæ, benè lupulatæ aſſociatum, & mane propinatum, ac affectus ad calculi præſervationem adeò optabiles & generoſos eſſe aſſerit, ut vix ulli antinephritico palmam cedat, & dyſuriis etiam & ſtranguriis ſenum medeatur. *Calorem* item jecoris *è bile nimis volatili acri mitiget*, ac incantamenta etiam ſolvat.

Semen

Semen Dauci etiam *Cereviſiæ incoctum*, & pro potu ordinario bibitum à lithiaſi præſervare dictus *van HELMONT* habet.

Huic & optimè referuntur *abſorbentia*, *alcalina*, quæ coagulatorem in ſua actione interturbant, & ita coagulum deſtruunt: talia ſunt ſequentia.

℞. *Oculor. cancri.*
ſperm. ceti ana. ʒß.
ſalis volat. ſuccini gr. v.

miſce pro doſi ſæpius repetenda.

Vel ℞. *Sem. cinosbati* ʒß.
oculor. cancri.
nitri puriſſimi ana. ʒj.

miſce, doſis ʒj.

Vel ℞. *Oculor. cancri* ʒj.
ſalis volat. ſuccini gr. vj.
opii laudati gr. j.

miſ. pro doſi.

Si enim dolor ſit intolerabilis, & bilis acri volatilitate excedat, adde dictis pulveribus unum vel alterum *opii laudati* granum, quo Archeus iratus quieſcat.

Vel fiat tale *Malvaticum Nephriticum*, quod dolores expeditiſſimè ſolvit, & urinam retentam ciet.

℞. *Opii calcinatione levi correct.* ʒ ij.
ſalis tartari ʒ ij.

optimè tritis ſuperfunde menſuram *Vini Malvatici*, poſt 2. dies macerata filtrentur, cujus doſis cochlear. j.

Externè ad mitigandam inflammationem ſequens conducit.

Oleum infrigidans.

℞. *Sperm. ranar.* q. v.

coque cum ſ. q. *olei olivarum*: expreſſo oleo infunde.

Flor.

Flor. violar. martial.
nymphæ.
flor. ſambuci.
ſolani.
hyoſciami ana. pro lubitu.

ſtent per æſtatem in Sole. Poſtea decoque & exprime; & ad uſum ſerva.

Vel ℞. *Sperm. ranar. ſiccat. & pulv.* ʒij.
axung. ſerpent. ʒj.
olei ſcorpion. ʒß.
ſacchari Saturni ʒj. ß.
camphor. ʒj.
ol. caryophyll. gutt. viij.

miſce pro linimento.

Vel *camphoram ſpiritu acido* ſolutam, & reductam, cumque *axung. humana* in linimentum redactam illine.

Interea etiam coagulatoris impetu fracto, intermedientur leviter abſtergentia & expellentia qualia ſunt therebintinata, v. g.

Recipe *therebinth. cypriæ* ad ſiccitatem inſpiſſat. ʒj.
pulv. radic. ireos flor.
oculor. cancri ana. ʒj. ß.
extract. liquirit.
ſymphyt. ana. ʒß.
balſami Peruviani ℈j.
ſalis volat. ſuccini ℈j. ß.

miſce fiant Pillulæ Doſi ℈j. vel ʒß. exhibendæ.

Vel *therebinthinam cum manna vel oleo amygd. dulc.* propina, & res facta erit ſicut *Walæus* habet.

Tandem etiam *martialia*, *acidulæque* admodum convenient *Heurnio* teſte, de quibus vide Diuretica.

Si Renes copioſo crudo pituitoſo humore infarciantur, externa etiam conveniunt lenientia, ut ſunt *balnea*, *cataplaſmata*, & ſimilia, calore ſuo moventia, & torpidum Archeum excitantia: atque

his

his sæpius tanta ineſt efficacia, ut per accidens etiam calculos excernant. Tale poteſt eſſe ſequens vel ſimile.

℞. *Radic. alth.* ℥ iij.
Fol. malv.
parietar. ana. m. ij.
origani.
calaminth.
artemis.
petroſelin.
rorismarin. ana. m. ß.
ſem. lini.
fœnugr. ana. ℥ iij.
furfur. hordei. m. ij.

Inciſa & ſacculo incluſa coquantur in aquâ pro Balneo.

Poſt Balneum *oleum therebinth. ſuccini*, vel ſimile probè infricetur.

Si verò in Veſica hæc calculoſa hæreat concretio copioſa, ac urinam præcludat, imponatur abdomini ſimul *cataplaſma ex allio vel cæpis cum baccis juniperi rec. contuſis.*

Vel in hoc caſu Recipe *cæpar. allii* num. x.
raphani armorac. ℥ ij.
baccar. juniper. ℥ j.

contuſis affunde *Vini Malvatici* ℔. j. ſtent per aliquot dies, poſtea de eo ſæpius exhibeantur aliquot cochlearia.

Si denique eò malum progrediatur, ut calculus concretus extet, tunc *ſpiritum Nitri volatilem conſule*, ſi hic nil ſolvit, debita & repetita exhibitione propinatus, lithotomia in auxilium vocanda. *In hoc etenim caſu cavendum ne pellentibus utaris*, quia ea calculum in ureterum anguſtias pellunt, ac ita malum augent, inprimis ſi tantam jam habet calculus magnitudinem, ut expelli amplius nequeat.

Notetur item, ubi calculoſa concretio in veſica hæret, ut, ſi *topica* exhiberi debeant, ea *umbilico applicentur*, quia tum ob conſenſum vaſorum umbilicalium optimè ſtimulaſſe olea deſtillata urinam, expertum eſt.

CAPUT XIX.

ARTHRITICA MINISTRAT.

SI in aliquo, certè in hoc corporis actu *maximoperè datur locus quærimoniæ de varia & depravata mixtione contrariantium activorum*, & admirandum sanè naturæ arcanum, quæ unico instrumento efficit contrarias, & diversas operationes, solvit & coagulat, generat & corrumpit, nec solùm in animali, sed in omni regno.

Idem fumo similis sive volatilis spiritus acidus, qui alibi humores solvit, eos hic ligat, idem qui in nephritide & conficiendo calculo vesicæ, reliquarum quodammodo partium considerationem habebat, hic eo insolentiæ procedit, ut nec unicæ vix corporis partis respectum habeat, sed hoc simul & illud impugnet. Hinc tanta ejusdem, licet in diversis partibus, cognatio; ex hinc *Hypochondriaci, Nephritici, Arthritici, ferè fraterno semper sodalitio junguntur.*

Horum affectuum causam GALENICI fabulose, *humoribus adscribunt*, alii ab Hepate, alii à Liene eam deducunt, alii intra, alii extra venas eam quærunt, alii alia somniant: hinc Podagricorum infelicitas, qui ignorata sui doloris causa & fiendi modo, frustra medelam quærunt.

Nos eam brevibus declaramus. *Causa principalis est acidum volatile, secretum à suo corpore, figurata sua schesi lædens, & partem quam secretum irruit, dolore & calore vexans*, & tandem accedente idonea materia, tophos producens & calculos. Causa secundaria est oleosa alcalina sanguinis pars, vel magis vel minus volatilis, acido occurrens & ei materiam ministrans. Horum ortus in prima digestione inquirendus, quæ si depravata, cruditates continuas transmittit, dulci mixtioni ineptas, & spirituum subtilium & volatilium confectioni inidoneas, hisce ærumnis pabulum præbet, & conficit.

Nutritius enim succus per mille capillarium vasorum anfractus ita subtilisari & volatilisari debet, ut ejus salis spiritus omnem conspicuita-

cuitatem & fugiat & fuget. Si verò in hac ſua perficiendi actione turbatur, & vel non perficitur, vel perfectus heterogeneorum acceſſione ſecernitur, dulcis ſubitò perit mixtura.

Tripliçem verò hunc cum *Cl. VVilh. ten Rhyne* concipimus ſeceſſum ſpirituum, & dulcis mixturæ diſceſſum. Primò, *cum heterogeneum corpus, propter miſcentis ſpirituoſi abſentiam in partes ſui integrantes ſecernitur.* Sic ſi ſpiritus ex ſanguinis maſſa diſcedunt, tum vel bilis in lympha exſurgens pulſatilem incendit inflammationem, vel ſecedens lympha aut tranſudans ſerum articulorum juncturas lancinat, vel oleoſa bilis continuum ardorem per ſanguineam ſpargit maſſam, &c.

Secunda ſecretionis ſpecies eſt particularum magis ſimplicium & ſubtilium, quando eædem, ex dulcificantium diſceſſu in ſui prima conſpicua & lædentia; ut ſi bilis in deflagrans oleum, & aduſtivum alcali &c. ſecedunt, & hæc ſecretio priori ſimilis eſt. *Tertium ſecretionis membrum* his binis contrarium, ſanis accidit, & minima concernit ſpicula, quæ, quo majorem ſui patiuntur diſceſſum, eo minus conſpicua fiunt, ſed ſubtiliſata magis, mixtionem & temperiem inducunt, & omnis motus cauſa fiunt. Hæc ſecretionis ſpecies in corpore naturaliter conſtituto, ſi interrumpitur, prioribus anſam dat, & mixtionem perficiendam deſerit, ut tum cruditatibus inductis ſpiritus ad ſeceſſum diſponantur.

Si hæc planè à primo ortu inducta velimus ruſpari, *Ventriculus* præſto eſt, qui *primam ſuppeditat hujus actionis aream*: Hic ſi obruatur ſenſim nimiis quam par eſt, pro cujusque ventriculi conſtitutione & ſolventis fortitudine, cibis, vel quanto, vel quali, peccantibus, tum ſtomachalis vitiatur fermentatio, & ſi tum ſtomachus non ſufficit digeſtioni, hujus oneri ſublevando inhiant ſpiritus animales, qui verò tunc ipſi delaſſantur, & diſſipantur, *& fit ſenſim depravatus chylus, & ex hoc ſanguis, animalium ſpirituum elaborationi ineptior*, hinc corporis, mentisque ſegnities inducitur.

Vegetiores enim eſſe debent ſpiritus, qui Ventriculi menſtruum temperant, ne in Auſterum degeneret, & præſentem morbi figat

radicem, *cujus præambulo, Universalis lassitudo est, & extremorum pondus.* Inspissat enim Austerum, quia crassæ ejus particulæ superficiem lambunt, nec tamen penetrant, quia in iis à circumferentia ad centrum movetur subtilis aër sive tenuissimæ particulæ, cujus comes tunc frigidi sensus est, non à frigore tanquam causa ficta, sed à dicto motu inductus, quo relinquuntur externè crudiores particulæ, & subtiliores introrsum migrant.

Austerum hoc, quod *ab immaturo prodiit acido*, si cum sulfure combinetur, prodit sapor acerbus; Sicuti fit in corpore, *si inconcocta crudior bilis, crudo acido, oleum crassum involvit*; Et si tunc hæc sanguini miscentur, inde tum tales resultant spiritus, qui in cerebro rabiem, in thorace morsus & anxietatem, in extremis partibus Podagram frigidam, si ita vocare lubet, inducunt.

Vel *affectioni Hypochondriacæ* cum suis symptomatibus *ancillantur*, ac *tormina, flatusque ventris, strangulationes uteri, faucium & similia contrahunt*: Et si tales semper producuntur animales spiritus, quales humores sunt, oritur tandem inordinata effervescentia, internorum sensuum perturbatio, & ex eorundem defectu languor totius, sequente totius Oeconomiæ quiete & immobilitate, contractura, & morte.

Hæc est Podagræ vel Arthritidis fabricatio, à crassioribus inducta particulis, cui non absimilis est altera species, nisi partium subtilitate, quando bilis copiosa volatilis aliàs sincera, ab acido inquinato volatili in fervorem adigitur, & secessum facere cogitur, ubi tum locus in quo talis instituitur actio conflagrare videtur, & tandem *tophis repletur, exsiccata simul sinovia*, ex lymphæ in extremis partibus defectu: hâc ut plurimum *biliosi & vino generoso assueti, notantur, & infestantur Podagrâ*; tales semper iracundos observes, nulla etiam datâ causâ, quia jam bilis acredine, ex acido volatili haustâ, & dispositа, semper est & manet in motu.

Tales item Nephriticos observavi & calculo notatos, simili ex causa semper iracundos: Non enim hi affectus multum differunt nisi loci ratione.

Ex

Ex præmiſſis cauſis inducta Arthritis, Podagra, Nephritis, ſequentibus indiget remediis, ſcil. *primo* ſ*evacuantibus per alvum*, poſtea *Diureticis*. *Diaphoreticis*, quæ nobiliſſimos præſtant uſus, item *aperientia martialia* anti-acida, *abſorbentia*, *dulcificantia* & ſimilia.

Ante omnia verò diæta imperanda, ne dicto igneo, ſpirituali volatili acido pabulum præbeatur, vel crudiores acidi particulæ augmententur, promoveanturque.

Acidi igitur *cibi*, citra delectum, ac inconſideratè *minimè ſumantur*. Ex omnibus verò ratione potus, *vina vitentur*, præſertim quorum ſpirituoſa aciditas, qua in acidum tendunt alcali, ſuperat, prævaletque; idem judicium eſto de cereviſia veteri ſpirituoſa, vel acidula aut vinoſa.

Horum loco bibat Podagricus Aquam ſimplicem *ſpiritu Nitri volatili dulci*, vel *ſucco limonum* & *pauco ſacchari* alteratam ad gratiam. Hæc namque acida plus coagulatoris deſtructioni, quam promotioni apta ſunt, ſecus, quam ea quæ fermentando ſaltem aciditatem promunt, ut ſunt *omnes fructus horarii*, *diverſique cibi*, *hæc enim naturali labore in acetum tendentia*, *differunt ab eis quæ jam perfectionis metam attigerunt*: nam illud quod in via eſt, & tacite ad aciditatem ſeu finem tendit, loca illa quæ fermentabilis ille acor penetrat, inquinat ac inficit. Hoc verò perfectum volatile dulce acidum non, ſed hoc ſubtiliſſimis ſuis ſpiculis obſtructiones reſerat, tenacem hoſtem incidit, volatile naturale acidum confortat, coagulum dirimit, & putrefactivum acidum deſtruit, quod aliàs longa dierum ſerie naturali cum ſolvente mutuas conformaſſet ſcheſes.

Jam medicamina conſideraturis *primò ſe offert evacuatio*, inprimis ubi acido-auſteri, æruginoſi, acerbi humores malum adduxerunt, quoniam verò hi purgantibus minimè auſcultant humores, acido nondum infracto & debilitato, hinc *prius abſorbentia*, ut ſunt *oculi cancri*, propinentur, horum enim pulvis magnetis inſtar acre iſtud æruginoſum attrahere. *Cl. Tackenius* refert, quod tunc poſt horam *exhibito vomitorio* etiam leni ejectum, ægrum aliquando plane, vel ad tempus ſaltem liberaſſe aſſerit.

Hoc enim medio, acidum adulterinum peregrinum æruginoſum, acerbum, vel vario alio modo alteratum & vitiatum liberatur, ut tum facilè auſcultet vomitorio; hoc præmiſſo; ſi attamen dolor Podagricus irruat & excruciet, *ſtatim ad compeſcendos cruciatus animus eſt applicandus*, relictis aliis intentionibus, donec carnificina ceſſet, duplici tamen obſervata intentione, ſcil. reſpectu igneæ bilioſæ, vel Frigidioris Podagræ, vel arthritici doloris cauſæ.

Si enim à crudiori, acerbo, auſtero acido, dolores hi arthritici, Podagrici, catarrhales convehantur, ſequentia conveniunt topica alcalica, abſorbentia, dulcificantia, ſulfurea, oleoſa, & ſimilia quodammodo ſiccantia & roborantia. Inter quæ primum locum obtinent ſpirituoſa volatilia, qualis eſt, v. g. ſeq.

Spiritus Arthriticus.

℞. *Spir. lumbric. terreſtr.* ℥ vj.
cochlear. ℥ iij.
Formicar. ℥ ij. ß.
ſalis armoniaci ℥ ß.
caſtorei. ℥ ß.
croci or. ʒ ß.
camphor. ʒ ij.
Opii. ʒ ß.

miſce, digere per aliquot dies, poſtea filtretur & ſervetur.

Vel ℞. *Aquæ Anhaltin.*
ſpir. lumbric. terreſtr. ana. ʒ vj.
ſalis armon. ʒ iij.
Eſſent. ſuccini. ʒ ij.
caſtor. ʒ ß.
pini. ʒ j. ß.

miſce.

Vel ℞. *Spir. lumbric. terr.* ℥ ij. ß.
ſalis armon. ʒ ij.
cochlear. ʒ j.

ſapon.

ſapon. venet. ℥ ß
camphor. ʒ iij.
Opii ϑ ß.
croci ϑ ß.

miſta digere per aliquot dies, poſtea filtra & ſerva.

Vel ℞. *ſalis ſuccini volat.*
ſpir. ſalis armon.
olei macis. deſtill. ana. ʒ j.
ſpir. vini rectificatiſſ. ℥ ij.

digeſta per aliquot dies ſerva.

Uſus harum mixturarum inſignis admodum eſt, ſi probè dolenti infricentur parti.

Sic & ſequenti modo acquiritur inſignis.

Spiritus Antipodagricus.

℞. *Salis tartari* aceto deſtill. imprægnati.
calcis vivæ ana. ℔ j.

Ab his ſpiritum vini q. ſ. aliquoties abſtrahe, tunc adde

Silicum cum ſale tartari calcinatorum. ℔j.
ſalis urinæ volat. ℥ iiij.
camphoræ ℥ iij.

miſce omnia, ut fiat maſſa ſicca, ſi non ſufficiat calx viva, adde tantum *ſilicum pulv.* q. ſ. tum retortæ immiſſa deſtilla per gradus, ultimo forti igne, maximo adhibito recipiente, & prodit liquor in dolore Podagrico ſummæ efficaciæ.

Convenit item optimè *ſpir. vini camphoratus*, præſertim *à rore marino rectificatus* & *cum ſpir. ſalis armoniaci remixtus.*

Sic & multi commendant applicata *Veſicatoria*, quale eſt illud *B. Clodii*, quod

℞. *Cantharid.*
piperis.
caryophyll. ana. q. v.
fermenti acerrimi q. ſ.

cum

cum ſpir. vini fiat pulmentum quod dolenti *loco prius ſpiritu vini humectato* impoſitum, & per tempus relictum, veſicam excitando, attrahit acidam doloris cauſam.

Si dolor Podagricus igneum fellis alcali, & reſolutum ejus acidum pro cauſa habeat, plus temperata alcalica conducunt, qualia ſunt ſequentia, inter quæ excellit hoc.

Sperniolum.

℞. *Sperm. ranar. ſponte* reſoluti & *beneficio ſalis armoniaci aſſervati* ℔ iij.
ſperm. ceti. ℥ iiij.
camphor. ℥ j.
thuris.
maſtich. ana. ℥ ij.
croci ℥ ß.

Mixta ſerventur in lagenis vitreis loco frigido, hæc externè applicata mirificè igneum ardorem mitigant, & in hæmorrhagiis etiam quibusvis inſignes præſtant uſus.

Aliàs *ſpermaranarum* Luna decreſcente & brevi ante novilunium collectum, & ex balneo ad ſiccitatem deſtillatum, *aquam* ſuppeditare alcali inſipidi ditiſſimam, *Cl. Tackenius in ſuo Hippocr. chym.* mechanicè docet. Hancque tepidam cum lineis pannis applicatam, igneæ podagræ optimum eſſe refigerium. Hoc tamen *notandum, ne*, ut multi ſuadent, *aquæ addatur alumen*, quia hoc adſtringendo poros cutis claudit, & tum impedita diaphoreſi dolores augmentat, quod etiam *Hildanus* confirmat, ubi *alumen podagricis inimicum monet*: At multo melius poadgrico conſules ſi *aquæ prædictæ alcali*, acuaveris *urinæ alcali*, ea proportione, ut inflammatam dolentemque partem applicata aqua, non pungat, quod lingua explorari poteſt; hoc modo alcali urinæ, hujus aquæ alcali aſſociatum, & tepidè triplicatis linteis fomenti loco applicatum, attrahit aciditatem ebullientem, & dolorem maximè lenit.

Ex hoc fundamento paratur ex tempore aqua abſorptiva, absque deſtil-

deſtillatione, ſed ſimplici ſaltem *ſalis armoniaci & ſalis tartari mixtione*, & *aquæ commun. affuſione*, quantum pro ſolutione ſufficit, quæ tunc molliuſculis duplicatis linteis, fomenti modo tepidè applicatur.

Convenit etiam *cataplaſma ex lacte cum mica panis ſimilagin.* & *croco* applicatum, quod *Cl. VVedelius* laudat.

Sic & *pulvis radicis conſolidæ majoris*, cum aquâ comm. in pulticulam coctus, & digiti minimi groſſitie dolenti loco applicatus, optimum præbet mitigativum in novella podagra, primaque doloris invaſione, poſt tres vel quatuor horas namque ablatus, odorem præbet ex putri acido, quod argumentum eſt, acoris extracti.

Dolore immani & febre remiſſis, ſi attamen æger nondum ambulare queat, *ob remanentes acidulas*, *junctturas lancinantes*, optimo emolumento applicatur ſeq. *ex alcalibus* combinatum *Emplaſtrum*, quod ita fit.

℞. *Olei roſati* ℔. j. calefacto adde
ſaponis albi raſi ℥iiij. liquefacto ſapone adde
ceruſſæ.
minii. ana. ℥iiij.

Coque leni igne, continuo movendo piſtillo ligneo, donec emplaſtro duriorem acquirat conſiſtentiam: ſi enim eò non adducatur, rurſus in aëre molleſcit, quia ſaponarium alcali humidum ab aëre rurſus attrahit, cui demum ab igne remoto & nonnihil refrigerato adde ſub continua agitatione ℥j. prius *ſpiritu vini* in mortariolo ad pultis formam ſolutæ *camphoræ*, & *caſtorei pulver.* ℥ß.

Hoc Emplaſtrum TACKENII ex alcalibus compoſitum, mirabiliter non ſolum acidum Podagricum in articulis latens, ſed & apoſtemata, tumores duros, pedum callos, & varios alios dolores ab acido ortos, etiam febriles promptiſſimè ſopit, mitigat, ventilat, adhærens tamdiu, donec poris apertis, acidum morboſum exhalarit, & expirante reſoluta lympha coagulata acida, à cute depellatur.

Si Arthritici dolores, vel defluxiones catarrhales ex copia humoris reſoluti, crudi, acidi, pituitoſi, frigidi, ortum ducant, & contracturam

adſciſcant, convenient præter ſupra notata volatilia alcalica, ſequentia balſamica, oleoſa, ſulfurea, quæ humorem crudum copia peccantem abſumunt & rectificant, & paralyticum membrum roborant.

Tale eſt

Oleum Galbanetum D. D. VVilh.

℞. *Galban. el.* ℔. ß.
gummi ammon.
tacamahac.
myrrhæ opt.
maſtich. elect.
ſtorac. calam.
benzoi.
ladani.
olibani.
N. moſchat.
ſtorac. liquid. ana. ℥ ß.
olei ſuccini.
ſpicæ ana. ℥ j.
laurini. ℥ ij.
ſpir. therebini. ℔. ij.

miſce & per retortam deſtilla, & egreſſum oleum ſerva.

Vel fiat Oleum Circulatum hoc.

℞. *Therebint.* ℔. ij.
axung. taxi.
vulpis ana. ℥ iiij.
olei laurin. ℥ j ß.
lumbricor. ℥ iiij.
ſpicæ.
maſtich. ana. ℥ ß.
roriſmarin. ℥ ij.
axung. human. ℥ iiij.
ſpir. vini. ℔. ij.

miſta

miſta circulentur & oleum à ſpiritu ſeparetur. Eſt *antiparalyticum*, & *anticolicum* nobile.

Vel hoc Oleum florum Balſamicum.

℞. *Catulor. caninor.* num. ij.
ranarum. num. xij.
lumbricor. terreſtr. m. iiij.
aquæ juniperi abſque vino deſtill. ℔. iij.

Catelli & ranæ debitæ exenterentur, lumbrici laventur & fiat Decoctum ad cauſam carnium, colaturæ adde

Pingued. human.
muris mont.
olei ſcorpion.
ſpir. therebint. ana. ℔. j.

miſce & ſerventur in vaſe aperto capaci, his adde per infuſionem ſucceſſivam,

Summitatum pini ℔. j. ß.
gemm. populi ℔. iij.
Flor. prim. veris.
geniſtæ.
lilior. convall.
cheiri.
lavendulæ.
anthos.
ſalviæ.
ſummit. anethi.
ruthæ.
thymi.
origani.
puleg.
tanacet.
abſynth. ana. m. j.

Flor. lilior. alb.
meliloti.
verbasci.
chamom. rom.
sambuci ana. m. iij.
Hyperici semine turgentis.
Florum hyperici ana. m. v.

Omnia & singula justo tempore colligantur, à foliis & stipitibus mundentur, & infundantur pro tempore uniuscujusque è terra prodeuntis & florentis. Per æstatem verò infusa, ex vesica postmodum destillentur, adjecta s. q. aqua, ac tum oleum separatum servetur.

Maximè etiam convenit *oleum lumbricorum terrestr.* quod ita paratur.

Recipe *Lumbricorum purificat.* q. v. immitte *vitro anguſti orificii*, quod optime clausum, *massæ panis involve* grossitie trium digitorum, tum *in furno instar panis coque*, peracta concoctione exime, & lumbricos in liquorem resolutos conspicies, quo locum affectum inunge, & si odor ingratus displiceat, adde tum *olei lavendulæ.*

Sic & non infimæ sortis est

Balsamus Arthriticus D. D. Rapp.

℞. *Tartari.*
Ligni Quajaci ana. q. s. v. g. ℔. aliquot, mista.

Destilla per retortam, & prodit oleum quod quater rectifica super caput mortuum, postea ex capite mortuo sal extrahe, tum adde his

Saponis Veneti.
camphoræ. ℥ j.

Per aliquot dies cum *spiritu vini* digesta, per retortam destilla, & oleum egressum rectifica.

Si Arthritis contractura, & similia mala à Veneficiis ortum traxisse hariolamur, sequentia optimo cum effectu exhibita, observarunt Authores, inter quæ primo occurrit.

Oleum

Oleum Hyperici ſimplex.

℞. *Florum Hyperici.* m. v iiij.
olei ſcorpion. ſimpl. ℔ iij.

Infuſa ſtent in Sole per tempus, poſtea coque in M. B. donec oleum ſanguineum acquirat colorem, quod colatum ſerva.

Ex hoc fit Compoſitum hoc.

℞. *Olei Hyperici ſimpl.* ℔ iij.
Vini generoſi ℔ iij.
Olei therebint.
Philoſophor. ana. ʒ ij.
lumbricor. ʒ ij.
axung. human. ℥ iiij.
medullæ cruris cervi ℥ v.
Theriac. Androm.
Mithridat. ana. ℥ ß.
Herb. perſicar.
rutæ murar.
pyrolæ ana. m. iij.
flor. anthyrrin. m. viiij.
hyperici m. vij.
verbaſci m. iij.
cent. min.
betonic.
conſolid. aur.
prunell. ana. m j.
ſem. anthyrrini.
hyperici ana. ʒ ij.
Radic. dracunculi maculat.
ariſtoloch. rot.
ſymphyt. major. ana. m. ij.
gummi elemi ʒ iij.

Per aliquot temporis ſpatium infuſa coque in duplici vaſe, leniſſimè, ad conſumptionem vini, tum adde ultimo.

mumiæ.
maſtich.
olibani.
myrrhæ. ana. ʒij.

miſce, ſolve, & ſerva colatum oleum, cujus vires magnæ ſunt in doloribus mitigandis, convulſionibus arthriticis & ſimilibus graviſſimis affectibus ſanandis.

Vel fiat hoc BALSAMUM CONTRA VENEFICIA probatiſſimum ab *Henrico ab Heer*, communicatum, v. g.

℞. *Adipis canis benè liquati & mundi* ℥ iiij.
urſini ℥ viij
caponis. ℥ xxiiij
Tres truncos viſci corylini adhuc virentis.

fruſtulatim diſciſſos truncos contunde piſtillo ligneo, cum ligno foliis & baccis donec humeſcant tum adde axungias, & miſta phiolæque incluſa, Soli novem ſeptimanis expone, tunc extrahes virentem balſamum, quo veneficatorum corpora, & loca maximè dolentia inuncta curari dictus *Henricus ab Heer*, certiſſimè confirmat.

Sic & hoc EMPLASTRUM FOETIDUM pro experto adſtat..

℞. *Aſæ fœtid.* ℥ iij.
granor. anthyrrini num. vij.
fol. quercus num. iij.
pulv. magnet.
corall. rubr. ana. ʒj. ß.

miſce & cum *oleo hyperici* fiat Emplaſtrum, quod ad quævis incantamenta eſt experimentum infallibile ſuper centrum, ubi cruciatus eſt, poſitum.

Interea bibat æger hoc Decoctum.

℞. *Herb.*

℞. *Herb. anthyrrini cum ſemine.*
hyperici cum flor. & ſemine.
pyrolæ ana. q. v.

cum vino vel cereviſia fiat Decoctum, de quo bibat æger, mane & veſperi hauſtum.

Si tandem membrum paralyticum exareſcat, ſubtilioribus omnibus ſpirituoſis particulis ſubactis, & affluxu ſpirituoſioris ſanguinis intercepto, tum ſequentibus excitetur emortuum membrum, & fiat ſequens.

Aqua ad Ariduras.

℞. *Sem. urtic. minor.* ℔ ß.
raphani armorac. ℥ iiij.
radic. aronis.
piperis longi ana. ℔ j.

Affunde *vini generoſi* q. ſ. digere per 14. dies & noctes, quotidie bis vel ter agitando, tum deſtilla per alembicum & ſerva quâ tum arida membra, ad calorem bis vel ter de die fricentur.

Vel ℞. *Caſtorei*
piperis longi.
baccar. juniperi.
ſaponis venet. ana. ℥ j.

Coque cum vino ad medietatis conſumptionem, tum liquorem remanentem decanta, & adde *ſpir. vini q. ſ.* & miſce agitando donec fiat linimentum, quo cum inungantur probè membra contracta, prægreſſa prius herbarum emollientium fomentatione.

Vel fiat talis Picaciſmus.

℞. *Picis navalis.*
bituminis.
nitri ana. ℥ j. ß.
ſulfur vivi ℥ iij.
piperis.

euphorb.

euphorb. ana. ʒij.
ſem. thlaſpi.
thapſiæ ana. ʒj.

Liquefiant & miſceantur, quo ſuper linteum extendi queant, & calide applicentur loco affecto, & relinquantur tamdiu, donec refrigeſcere inceperint, quo facto ſubitò avellantur, & calefacta viciſſim imponantur, & hoc tamdiu reiteretur, donec cutis rubeſcere incipiat, parsque affecta intumeſcat, tum balſamicis roborantibus ulterius opus perficiatur, & ſeq. Emplaſtrum continuo geſtetur quod

℞. *Empl. nervini* ʒvj.
olei lumbric. terr.
nucis moſchat expreſſ. ana. ʒij.
ceræ q. ſ.

fiat Emplaſtrum, quod præmiſſo picaciſmo, & inunctis balſamicis ſupra notatis ſuperligetur parti emortuæ.

Si efficacius medicamen deſideres, fiat ſequens.

Oleum Antiparalyticum.

℞. *Olei olivarum recentis* ℔ ij. in hoc extingue reiteratis vicibus *ferrum candefactum* tamdiu donec non amplius exſiliat, vel regurgitet oleum, ea tamen adhibita ſimul cautela, ut ſubito claudatur vas oleum continens, ne flammam concipiat oleum. Huic ita parato oleo immiſce tantum *calcis vivæ* ut fiat paſta, ex quâ optimè ſubacta globulos formatos retortæ immitte, & *ex retorta deſtilla*, ut omne oleum prodeat, quod pro lubito aliquoties adhuc rectificare poteris ut fiat admodum penetrans, ac acido unctuoſo orbatum: cui tum adde *olei caſtorei* & *radic. pyretri* ana. q. ſ. digere per tempus & tum deſtilla rurſus ac habebis incomparabile medicamen in emortuis & aridis membris contractis, quia acido ſuo crudo unctuoſo ſpoliatum eſt hoc oleum, mediante ferro & calce viva: plura non addo.

Sic nec hoc Emplaſtrum eſt ex infimis ad membra pendula & contracta.

℞. *Empl.*

℞. *Empl. diapalma.* ℥iij.
diachyl. ſimpl. ℥j.
pulv. lumbric. terr. ℥j. ß.
calami aromat. ℥ ß.
galang. ʒj.
ciner. fagi.
ceruſſæ ana. ℥ ß.
ceræ. q. ſ. ut fiat Empl. juſtæ conſiſtentiæ.

Porrò datur alia *doloris arthritici ſpecies ſine rubore & inflammatione*, qui plerumque *ſcapulis ita infixus* hæret ut reſpirationem nonnihil aggravet: hic ex acido dolor, quia non profundus hæret, facilimè ideò mitigatur potentiori acido, quare huic uſui optimè convenit *ſpiritus vitrioli, optimus*, quippe ab unica hujus unctione ſæpè quies ſequitur, unctio tamen cum lanei panni fruſtulo tam diu continuanda, donec pars dolens pungi ſentiatur, tunc ceſſandum, & locus tepidâ abluendus aqua; ac *oleum hypericonis* vel ſimile balſamicum illinendum.

Hæc de paroxyſmi Podagrici & ejuſdem doloris mitigatione: quomodo jam & quibus mediis ipſa morbi cauſa debellanda, hic labor hoc opus; ſed non mirum, cum ægri hujus mali incunabula occultent, quæ tamen omni ſtudio revelare deberent Medico perito, ne longa mora invaleat malum, & tum ſero medicina quæratur. Huic enim hoſti in principio occurrendum, ne pedem figat, in minimâ etiam parte, & tunc totum ſimul impugnetur & occupetur.

Cauſa Podagræ principalis, *eſt acidum ſecretum volatile, fumo non abſimilis penetrans*, quod tantas excitat turbas, & coagulationes intendit præternaturales, quia ſecretum, quærit corpus, ſive materiam, cui ſe jungat, quo tunc abſumpto & materiæ implicato, atque in tertium quid formato, dolor quieſcit, donec nova materia data, paroxyſmus interjecta aliqua mora repetat.

Ex hac cauſa facilè liquet quali ſolvente opus, omne enim coagulatum ſolvitur ſimili, & non contrario, hinc *podagræ remedium non eſt quodlibet alcali*, ſed eſt volatile ſitiens, & determinatum

acidum, oberrans tale inobediens & perditum degeneratumque in corpore attrahens, & in ventriculo ejus mineram deſtruens: tale Solvens ſuppeditat *Mercurius Diaphoreticus Helmontis*, qui ex volatili ſubtiliſſimo, & Mercurii & Veneris ſulfureo acido fixus, magnes eſt, ad quem in corpore errans acidum præceps accurrit & ſaturatur, facile tunc levi purganti auſcultans.

Si verò tophi jam facti ſint, *volatiles* conſule *ſpiritus acidos*, hi tibi expeditum largientur Solvens.

Et ſi humor coagulandus deficiat, nec copia peccet alcalina pars, tum optimè alcalia volatilia, rem expedient, & dulcificantia ac abſorbentia, quæ ſecus materiæ coagulandæ ſe jungunt, & à dicto acido ſimul coagulantur, quod curiosè notandum.

Sed, ſi malum hoc in fieri judicetur, omnia ea conducunt quæ ſupra de ſpleneticis tradita ſunt.

CAPUT XX.

Febrilia tractat.

NObis hæc ruſpaturis, maxima ſanè occurrunt dubia, cui nam ſcopo hæc directa eſſe debeant, cum vera adhuc febrium eſſentia intricata admodum ſit ac dubia; quod *Cl. Ammannus*, inde probat, cum (licet *Williſius* & *Sylvius* hanc doctrinam probabiliter tradiderint,) hodierno die, nec nunc, non citius & felicius curentur febres ac olim, ac propterea nondum exactè notum ubi materia febrilis infallibiliter niduletur, licet *Helmont ſtomachum palæſtram certaminis febrilis crediderit*; & quæ anticipationis, & poſtpoſitionis, imò durationis paroxyſmorum in genere vera cauſa ſit.

Interim cum veneni Febrilis effectus luculenter demonſtret, à contrariantibus paroxyſmum induci, non concipimus propterea aliam cauſam quam *acidi reſoluti & depravati, cum particulis alcalicis congreſſum*, & præternaturalem motum. Diverſæ verò ex hac cauſa convehuntur febres, vel *Intermittentes*, vel *Frigidæ*, *vel Ardentes*.

Frigidæ

Frigidæ ſemper pituitam comitem habent, hæc etenim cum acido reſoluto, extraneo, venis hoſt iliconjuncta, febre correptos ſummo horrore infeſtat, ſicuti ſemper fit in febrium intermittentium initio, ubi *acidum cum ea dimicans, membra horrore concutit*, ſecus quam ſi bilis cum hoc ſuo adverſario reſoluto acido decertans fervore exanimat.

In genere igitur *acidum vitioſum ſecretum*, febrilis certaminis cauſa principalis eſt, ratione advenientis humoris differentem paroxyſmum producens. Pituita ſive crudi, inconcoctique chyli materia degenerata, mediante eo quotidianas excitare videtur febres, conjuncta verò bilis tertianas, & circa hypochondria vel in ipſa ſanguinis maſſa congeſtæ particulæ crudiores ſpirituum animalium elaborationi ineptæ, & ſtagnantes, quartanas.

Interim *ex uno oriri fonte febres intermittentes inde* patet, cum ſæpius talem ægrum, mox tertianâ, mox quotidianâ, mox quartanâ, tandem iterum tertianâ, &c. prehendi obſervemus.

Atque hinc *gradibus ſaltem differre* hariolamur, *Helmonte* teſte, qui febrium continuarum ac intermittentium ſedes non differre affirmat, ſed ſolum ſolius materiæ occaſionalis ergo.

Ex hac etiam cauſâ non dubitavit exclamare, indignum eſſe nomine Medici, qui intra quatriduum febrem non ſanaverit, ſed rigoroſe admodum hæc *Helmont* dictavit, quia reticuit media per quæ effici hæc cita ſanatio debeat, *Mercurium enim ſuum Diaphoreticum* occultavit, quem febres unicâ potione ſanare prædicat. Interim tamen Diaphoretica ſola appropriata & ſpecifica eſſe febrium remedia aſſerit, quippe ſedato archeo mox ipſam ceſſare febrem, utpote qui efficienter omnem exſuſcitet febrem, cauſas verò occaſionales occaſionaliter, quæ tamen omnes unica falce amputentur, ſcil. remedio ſudorifero quod incidit, ſolvit, liquat, abſtergitque cauſam occaſionalem ubicunque locorum ea extiterit. Atque propterea inculcat, probo Medico non eſſe magni momenti diverſitates febrium juxta materiæ proprietates & loca curioſe indagaſſe, ſed *ſufficere illi inveniſſe remedia, apud quæ omnes febres ejuſdem ſint pretii* & ponderis, talia verò eſſe *Mercurium Diaphoreticum & arcanum corallinum*

confirmat: quæ verò cum obtineant pauci, hinc eis commendat remedia particularia, ex cephalicis, ut *roremarino*, *rutha*, *majorana*, & similibus parata salia, cum hæc non sint fixa alcalia cinerum, sed volatilia, quæ totam contineant crasin, ac propterea insignia Diaphoretica nonnihil temperata: Quæ si debitè, nimirum jejuno stomacho & ante paroxysmum intermittentium, vel quovis tempore continuatam, potentur in vino vel aceto, ac sudor proliciatur, nunquam medentem fidelem ludibrio exponant.

Vomitoria & purgantia per accidens sæpe sanare asserit, dum nimirum ad stimulationem unius, alterum pronum ac vinum, unâ exturbent.

Præmissis sequentes superstruimus remediorum formulas, v. g.

Recipe *Ocul. cancri* ℈ j.
salis succini. vol. gr. viij.
olei cinam. gutt. j.
misce fiat pulvis pro dosi cum aceto sumendus.

Vel ℞. ♂ *diaphor.*
nitri præparat. ana. ℈ j.
camphor. gr. vj.
misce.

Vel ℞. *salis ruthæ. volat.* ℈ ß.
ocul. cancri. præparat. ℈ j.
laud op. gr. j.
misce pro dosi sæpius repetenda.

Si hæc nil efficiant, Anglici Medici methodum sequere, *à Blengi* communicatam, v. g.

℞. *Semin. urtic.* ʒ ij.
flor. cent. min. ʒ ß.
salis cent. min. ʒ ij.
vini albi ℔ j.

Infunde 12. horis in cineribus calidis, eodemque tempore etiam seorsim infunde per 12. horas.

chinæ

chinæ de china pulv. ℥iij.
cryſtall. mineral. ʒ ij.
ſpir. vini ℥iiij.

Poſtea confunde ſolutiones, & adhuc ſimul confuſa infundantur per 6. horas, tunc filtra & pro unâ doſi exhibe ℥ij. primo *ſex horis ante paroxyſmum*, ſecundo *alteram doſin cum horror incipit*, tertiam doſin *cum paroxyſmus remittit :* Intermediis diebus detur mane & veſperi doſis. Sed cum dies ordinarius repetit, exhibeatur ut primò dictum. Interim tamen ſi copioſa videtur adeſſe materia febrilis, aliquoties propinetur commodum purgans.

In ſpecierum febrilium familia non rarò particularia univerſalis remedii apicem attingere dictus *van Helmont* refert, ac ex hoc fundamento *Emplaſtrum* ſibi eſſe *paucis reſolventibus & abſtergentibus compoſitum*, quo centenas quartanas tutò ſanaſſe absque recidiva, etiam autumnales aſſerit, niſi quod in obeſioribus tardiora quodammodo fuerint ejus obſequia.

Ego hoc proficuum expertus addo, cataplaſmatis loco adhibitum.

℞. *Fuligin camin. ſplend.* ʒj.
telar. aranear. ʒ ij.
burſæ paſtoris mj.
theriac. ʒj.

miſce.

Alii laudant *bufonem aceto immaceratum aridum*, linteolo involutum, *ac cordis regioni applicatum* incipiente paroxyſmo, quo ceſſante & tranſgreſſo, bufonem in terram defodunt, ac hoc repetunt tertia vice in tertianis, in quartanis verò quarta vice, & in quotidianis uno ſaltem bufone.

Ratione diætæ *Helmont à carnoſis abſtinere jubet*, quia caro, ova, piſces, & juſcula, facile cadaverentur, ac materiam febri ſuppeditent.

Et qui modicè utantur vino, facilius convaleſcere, viresque conſervare, ut in priſtinum ocius reſtituantur aſſerit, quam qui abſtineant,

hinc *cereviſiam tenuem optimè vino commiſceri, addito pane, prius ſeparatim in aqua cocto in mucilaginem vel collam*: de quo potu febrientes pro ſiti bibant frigide, ne ſi febris ſit calida, & ſiticuloſa, cruor depopuletur, & ſolidarum partium alimenta cum viribus pereant: nunquam proptera ſitim tolerandam, ne quidem ſubter ſudorem, ſed tum potus calidus eſto, injungit.

FEBRIS MALIGNA.

Fit, ubi ſpiritus peculiari malignitate infecti ferocientes ſibi ipſis viam aperiunt, ſanguinem furenti turbedine concutiunt, ut dulcificantibus ſubactis, vel feceſſis, præſto ſit cruoris concretio.

Cauſam aliquando *Helmont* in convex. ventriculi latere reſidere exiſtimat atque tanto pejores inducere malignitates, cum raro, niſi extraordinaria arcana illuc pertingant: ac tales eſſe ferè omnes caſtrenſes, quia citra ſitim infeſtent ſæpe, ac de foris ſaltim contaminent, ac ultimum ſtomachi nutrimentum afficiant, cum totum corpus quamdiu vivit, perſpirabile ſit.

Peſtem eſſe atrociſſimam febrem & celerrimam, ac ita ſolum gradibus à reliquis febribus malignis differre indicat, niſi quod hæ ſæpius, ſordes febriles conjunctas habeant, ubi peſtilens venenum etiam absque materia, ſolum ſpiritum vitalem afficiat.

In omnibus ergò his requiruntur *ſudorifera, alexipharmaca*, ubi è contra *in benignis Diaphoretica, incidentia, abſtergentia*, rem abſolvunt.

Inter illa excellunt quæ adſtrictione condenſant, qualia ſunt *acida ſudorifica* ſimul quæ lympham vel à bile corroſivam diaphoreſi expellunt, quod in ſuperficie natet; vel enervem lympham roborant, ut efferatæ bili reſiſtere queat; tum dulcificantes partes percutiunt intrò, ut quæ ſalia acria ſunt, ſoluta cum ſero protrudantur foras. Sic & adſtringentia pariter & aromatica, alexipharmica furibundos ſopiunt ſpiritus, aculeata hebetant, toxica exterminant, poros & corporis & humorum poſt noxii eradicationem obſerant, ut utiles non exulent ſpiritus, & quod bilem non incendant intenſius, ac alvi

profiu-

profluvium, tabem & lethum non cieant, talia ſupra de alexipharmacis tradimus, inter quæ *Tinctura Bezoardica* non infimum tenet locum, cum *Tinctura lapid. hæmatit.* ſociata.

Curatio in genere, citra & venæ ſectiones, & laxationes, aut alias ceremonias roboratorias, aut alteratorias, ſicuti *Cl. Ludovici* habet, feliciſſimè abſolvetur, ſi cæteris paribus, malum *primò per tincturam bezoardicam vel ſolam*, aut in vomitu Symptomatico aut ſimili, guttis aliquot *tincturæ anodynæ* fortificatam, aut per ſimilia volatilia, infringatur, reſiduum verò una vel altera doſi pulveris bezoardici ex *C. C. philoſophici* partibus ij. & *terræ ſigillatæ* ſelectioris, ac *unicornu foſſilis* ana parte unâ ſubigatur; ac tandem circa ſtatum *corallinis*, *cancrisve* quaſi abſorbeatur, interpoſitis pro circumſtantiarum ratione contra ſitim *julapiis*, vel *ſpiritu nitri dulci*, vel etiam *ipſo nitro* acuatis.

In mitiorum verò malignarum initiis dictus *pulvis bezoardicus*, vel per ſe, vel diverſimodè exaltatus rem abſolvet, citra volatilium adhibitionem.

In hunc finem ſequentes fabricamus formulas.

℞. *Aquæ card. bened.*
ſcordii ana. ℥j. ß.
theriacal. ℥ij.
tinctur. bezoard. gutt. 60.
ſyr. acetoſ. citri. ℥ij.

miſce pro doſi ſæpius reiteranda.

Vel ℞. *Aq. card. bened.*
ſambuci.
nymph. ana. ℥j.
aceti bezoard. ℥ß.
diaſcord. Fracaſt. ℥j.
ſyr. acetoſ. citri ℥ij.

miſ. pro doſi.

Vel

Vel fiat tale Decoctum.

℞. *Radic. Angelic.*
valerian.
tormentill. ana. ℥j.
herb. galegæ.
card. bened. ana. m. j.
ſem. angelic.
citri ana. ʒij.

Coque in ſ. q. aquæ comm. colaturæ unciis decem adde

conſerv. ſcordii.
acetoſ. citri ana ℥j.

Stent per noctem, mane ebulliant & colentur pro tribus doſibus, ſingulæ doſi addendo tincturæ bezoard. ʒß.

Vel ℞. *Radic. ſcorzoner.*
caryophyllat. ana. ℥j.
conſorq. pomor. citri. ℥ß. ʒij.
Aquæ ſcordii.
acetoſ.
card. bened.
nucum immatur. ana. ℥. v.

Bulliant in diplomate vel alembico cæco, ad tertiæ partis conſumptionem, colaturæ unciis decem adde

aquæ tenellor. C. C. ℥ij.
cordial temper. ℥j.
tinctur. bezoard. ʒij.
confect alkerm. ʒj.
ſyr. rubi idæi. ℥j.

miſce pro tribus doſibus.

Vel fiat talis Aqua Deſtillata.

℞. *Raſuræ tenellor. C. C.*
Limon. cum toto ana. ℔. ß.

Aqua

Aquæ ſcordii.
card. bened.
meliſſ.
acetoſ. ana. ℔ ij.

peracta infuſione Deſtilla, & aquam prolectam ſerva, aliis miſcendam vehiculi in modum.

Hæc malignitati dicata ſunto, quæ ſi majorem partem infracta ſequentibus vel ſimilibus ulterius ſubigatur, v. g.

℞. *Bezoard. mineralis* ℈ ß.
terræ ſigillat. opt. ℈ j.
cinnabar. nativ. gr. v.

miſce pro doſi.

Vel ℞. *C. C. ſine igne præparat.*
terræ ſigillat.
oculor. cancri ana. ℈ ß.
margarit. præparat. gr. vij.

miſce, fiat pulvis pro doſi.

Vel ℞. *Oculor. cancri.*
terræ ſigillat.
margarit. præparat.
ſalis C. C. volat. ana. ℈ ß.

miſce pro doſi.

Pro ſimplici abſorbente, oculi cancri ſoli ſæpius exhibiti in pulvere, vel cum margaritis remixti, rem abſolvunt.

Pro ſiti ſedanda optimè convenient Julepi ſeqq.

℞. *Aquæ fontan.* ℔ j.
acaciar.
borrag. ana. ℔ ß.
ſyr. granator.
rubi idæi.
citri ana. q. ſ. pro grato dulcore: tum
ſpir. nitri dulcis q. ſ. acidulanda.

Vel conducit etiam in extremis quandoque *aceti rosacei haustus*, quem plurimos ferè exanimes revocasse *Cl. Cardilucius* asserit, nec absque ratione.

Si potus nimia quantitate veniat molestus, fallatur sitis sequentibus, quales sunt *pomi citri concisi & saccharo aspersi*, vel

℞. *Vini granat. acid.* ℥ iij.
syr. rub. idæi.
succi citri ana. ℥ ij.
confect. alkerm. ℥ j.
misce, cochleatim assumendum.

Denique etiam Epithemata ad pulsus, tempora & cor applicata, admodum alterant, nisi petechiæ appareant, ubi tunc cautè procedendum ne retrocedant.

Sic & dolores capitis optimè iis demulcentur, v. g.

℞. *Aceti rutacei vel bezoardici.*
olei rosacei.
albumen ovi ana. q. l.
misce pro oxyrrhodino.

Vel ℞. *Nucleor. persic.*
sem. papav. alb. ana. ℥ j.
Aquæ sambuci.
nymph.
verben.
aceti bezoard.
rutac. ana. ℥ j.
opii. ℈ j.
misce, pro epithemate ad tempora & frontem, vel pulsus, si camphoram ferat æger, adde ℈ ß.

Vel ℞. *Aquæ rosar.*
borrag.
fl. namphæ ana. ℥ j.
carfuncul. ℥ iij.
aceti bezoard. ℥ ß. *confect. alkerm.* ℥ j. ß.

misce,

miſce, hac mixturâ ſequentes ſacculi ad pulſum humectentur.

℞. *flor. roſar. rubr.* ʒ ij.
cinamomi pulv.
N. moſchat. ana. ʒ ß.
cortic. citri ʒ j.
herb. rutæ ʒ ij. ß.
camphor. ϑ j.

miſce, fiat pulvis ſacculis includendus, & pulſibus ſuperligandus, ac ſuperiori aquâ humectandus.

Ad plantas pedum optime item applicatur hoc cataplaſma, quod

℞. *Fermenti acris.*
ſaponis nigri ana. ʒ j. ß.
ſinapi. ʒ ij.
lapid. prunell. ʒ j.
aceti bezoard. q. ſ. miſce, fiat cataplaſma.

Si delitia & convulſiones ægrum excrucient, ac ſimul exteriora frigeant, & interiora urantur, conducent *veſicatoria brachiis & cruribus applicata*, quæ malignitati viam ſtruunt, ut exhalet, vel ad exteriora trahatur.

Si vigiliæ ſint moleſtæ, vide quæ de anodynis ſupra tradimus.

Pro linguæ & faucium ariditate *florem lactis cum nitri tantillo* inunge.

Si verò Angina collum occupet, & ibi ſanguis concreſcens ſtaguare incipiat,

℞. *Theriac.* ʒ ij.
mellis. cochl. iij.
alumin. ʒ j.
ſpir. ſalis armon. ʒ ij.
aquæ veronic. ℔ j.

decoque ad tertiæ partis conſumptionem, & pro gargariſmate applica.

Vel ℞. *Aquæ ſimpl.*
prunell. ana. ℔ ß.

nitri antimoniati ʒß.
syr. diamoron. ʒj.

misce pro gargarismate.

Vel ℞. *cancror. fluviatil.* num. v.
semperviv. major. m. ß.
nitri præparat. ʒj.
aceti rosacei ℔ j.

contusa exprime, & gargarismatis loco applica expressum succum, quem POPPIUS commendat.

Externè applicari potest seq.

℞. *Radic. alth.*
lilior. alb. ana. ʒß.
caricar. ping. num. iij.
farin. fœnugræci.
melilot. ana. ʒj.
croci. ʒß.

contusa & mixta humectato cum elixire balsamico & applica.

Vel ℞. *Nidi hirundini.* m. j.
ciner. stramin. fabar. ʒj.
lupuli. m. j.

contusa coque cum *lacte vaccino*, & applicetur calidè, vel *Elixire balsamico* solum humectato, quod omnem absolvet rem.

CAPUT XXI.

Uterina continet.

UTerum generationis officinam, alii cum aulica comparabunt vita, ac si nullibi majora virtutum & vitiorum occurrant certamina quam in hisce & *Macrocosmi*, & *Microcosmi Aulis*. Quemadmodum enim utero plurimum est virtutis, ita & plurimum vitii in hoc

hoc viſcero ſubeſſe volunt, adeo ut matrix jure nominetur centrum quaſi omnium affectuum muliebrium, ac receptaculum ac ſentina variorum excrementorum.

Sed vitia quæ ab eis Utero adſcribuntur, plus juſtò pravis adnumerarentur incolis, quam ipſi aulæ, ſicuti Aulica vita non ab Aula, ſed à pravis aulicis redditur depravata.

Cum itaque ſanguis variis, & bonis & depravatis particulis, huic aulæ vel generationis officinæ famuletur, vitia potius huic, quam Utero adſcribenda erunt.

Quas non ineptas abſurditates hinc inde non ſolum à vetulis, ſed & Medicis, Utero affictas legimus & audimus, at cum admodum bellè hæc notarit *Cl. Henricus Cellarius* in ſuo Germanico tractatulo **die vermeynte Mutter-Beſchwerung** / vocato, hinc ſufficiat nobis de medicaminibus huc pertinentibus pauca ſaltem addere.

Hæc verò in genere reſpiciunt ſanguinem variè alteratum & depravatum, & vel abundantem vel deficientem vel ſtagnantem & concreſcentem, ob varias acidi depravatas particulas, vel deficientibus eis ſuo nexu facile vel exorbitantem vel nimium ſolubilem.

Principaliores ergò affectus uterum ſolum reſpicientes, & magis huic, quam aliis corporis partibus communes, in fœminino ſexu ſunt *ſanguinis menſtrui vel ſtagnatio & ſuppreſſio vel nimius fluxus*: reliqui, ut *ſuffocatio* vulgò *uterina*, & varii capitis & aliarum partium dolores vulgò utero adſcripti, aliarum partium vitiis orti, malè utero tribuuntur, *Lieni*, vel inde vitiato ſanguini, & animalium ſpirituum ruditati, *adſcribendi*.

Huc jam dirigenda media, quæ *ſi Lunaris deficiat ſanguinis motus*, pro ratione cauſarum optimè menſuranda. *Cum enim ſanguis variè conſtitutus, vel auſteris, acidis, figentibus particulis præditus, & jam pituita viſcida repletus, exiſtat:* hinc exhibenda quæ dulcificant, volatiliſant, glutinoſitatem ſanguinis exſolvunt, & acidum depravatum corrigunt.

Imò

Imò ſpectant huc ipſa purgantia & vomitoria, quæ ſæpè eodem die, quo aſſumuntur, menſium fluxum proritant, quæ tamen ſi ſanguis peccet viſcedine, plus liquida quam ſolidâ formâ conducunt, ac in tali caſu parantur optimè talia vina medicata, quale hoc eſt:

℞. *Radic. filicis.*
enulæ.
bryon. ana. ℥ ß.
Fol. puleg.
meliſſ. ana. m. j.
flor. anthoſ.
hyperici ana. p. ij.
baccar. lauri ℥ ß.
ſem. puſtinac. ſativ. ℥ ij.
Fol. ſenn. elect. ℥ j. ß.
jalapp. reſinoſ. ℥ ß.
troch. alband. ℥ j.
cinamomi.
croci ana. ℥ ß.

Inciſa & contuſa infundantur in duobus vini menſuris, & de hoc vino bibatur quotidie hauſtus, inſtillatis *ſpir. ſalis arm.* vel *liquoris C. C. ſuccinati* guttulis xxx.

Si adſit nimia lymphæ depravatæ copia, loco vini medicati exhibeatur ſequens vel ſimile aperiens.

℞. *Fol. ſenn. el.* ℥ ij.
pulpæ colocynt. ℥ ß.
ſalis armoniaci. ℥ j.

hiſce ſuperfunde *aquæ pulegii* ferventis ℔. ß. ſtent per 24. horas, tunc colaturam inſpiſſa ad conſiſtentiam ſyrupi: cui adde

cinamomi pulv. ℥ j.
croci Martis alcaliſati aperitivi ℥ j.

miſce coquendo, donec non amplius adhæreat, ſed in paſtillos formari queat & pulveriſati, de hoc exhibe quotidie bis ℥ ij. unam

doſin

doſin mane, alteram verò 5. horis poſt prandium incipiendo quatuordecim dies ante eruptionis conſuetæ tempus, continuando donec juſtè cedant, & donec progreſſi menſes fluxus terminum abſolverint. Hoc *Blegni* pro abſoluto commendat.

Vel fiant tales Pillulæ Hyſtericæ.

℞. *Radic. angelic.*
zedoar. ana. ʒj.
Herb. aſari cum toto.
card. bened. ana. m. ij.
myrrhæ. ʒß.
caſſiæ lign.
caſtor. ana. ʒ iij.
croci ʒj.
pulp. colocynt. ʒ ij.

Extrahe cum ſpiritu vini & dat ſ. a. Extractum, cui in mellis formam redacto, redde

reſin. jalapp. ʒj. ß.
croci Martis aperit. alcaliſat. ʒj.

miſce, fiat Maſſa Pillular. Doſis eſt à ϑ j. ad ʒß.

Si particulæ ſanguinis depravatæ, nimium ſint auſteræ & conſtringentes, nec hinc purgantibus auſcultare velint, præmittantur dulcificantia, aromatica, abſorbentia, qualis eſt ſequens.

Pulvis Chalybeatus.

℞. *Spec. diaturb. C. rhabarb.* ʒj.
fol. laurī.
ſabinæ. ana. ʒj̄.
ſpec. aromat. roſ. ϑ ij.
borracis.
macis.
crocior. ana. ϑj.
croci Martis aperitiv. alcaliſat. ʒj.
ſacchar. canar. alb. ʒj. ß.

miſce, fiat pulvis, cujus Doſis ʒ ß. vel ʒj.

Vel

Vel ℞. *Oculor. cancri pulv.* ℈ j.
cinnab. nativ.
ſalis ſuccini vol. ana. gr. v.

miſce, fiat pulvis pro doſi ſæpius repetenda.

Vel fiat Elixir Uterinum hoc.

℞. *Radic. Imperator.*
Angelic. ana. ʒ j.
croci ʒ ij.
puleg. ſicc. m. v.
cinamomi ʒ j.

Superfunde *ſpiritus ſequentis Uterini* q. ſ. ad eminentiam digere per tempus & filtra : cui adde

ſalis ſuccini volat. ʒ ß.
olei ſuccini ʒ iij.
cinam. ʒ j.

miſce, digere ut uniantur.

Spiritus Uterinus.

℞. *Radic. Angelic.*
Zodoar. ana. ℔ ij.
herb. meliſſ. rec. m. vj.
puleg.
leviſtic. ana. m. v.

Inciſa infunde cum *vini generoſ. menſur.* iij. tum deſtilla & pro lubitu rectifica.

Plura dulcificantia, reſolventia, carminativa, diuretica, diaphoretica, ſanguinem acidum, auſterum, coagulationi & concretioni aptum corrigentia, vide ſupra, inter quæ elige *Tincturam bezoard. Elixir Balſamicum*, & ſimilia aromaticis, volatilibus particulis combinata medicamina, humectantibus remixta, quia absque his aperientia vix optatum præſtant effectum.

Circa

Circa menſes pellentia notari volunt alii, ne in dubio caſu meretriculis, conceptum ſuppreſſione menſium ſimulantibus, temerè menſes cientia fortiora, vel vomitoria, aut alia fortia purgantia ſuppeditemus, ne incauti fœtum expellamus: ſed hanc cautelam inanem eſſe *Henricus ab Heer* notavit, qui propterea firmiſſimè credit ægerrimè poſſe occidi & abigi fœtum, niſi ſimul enecetur mater, atque hoc inquit credo omnes bonos & doctos Medicos affirmaturos, cum videamus cum quanto periculo fœtus mortuos ſecundinasque expellamus. Interea tamen cum huic *Henrici ab Heer* obſervationi contraria dentur experimenta, cautè agere Medico conſcientioſo conſultius erit.

Si nimius fluxus infeſtet, propter abundantiam ſeri acrioris, bilioſi, convenient incraſſantia, dulcificantia, narcotica adſtringentia & ſimilia, excedentem motum inhibentia, & ſi æſtus ſimul concurrat, ſenſum frigidi ſimul contrahentia, ubi tum optimè conducunt Emulſiones ſimul humectando intraſſantes, v. g.

℞. *Sem. 4. frig. maj.* ana. ʒ ij.
papav. alb. ℥ ß.
amygd. d. ℥ iij.
Aquæ acetoſæ.
plantag.
Decocti hord. ana. ℔. j.
aq. ſperm. ranar. ℔. ß.
edulcoretur manus Chr. perlat. q. ſ.

& detur pro uſu repetendo.

Vel detur ſæpius *ſyrupus corallorum* de corallis doctus. Plura vide de dyſentericis tradita interna.

Præter externa quæ ſupra de hæmorrhagiis tradita ſunt, hæc ſequentia nec ſunt contemnenda, v. g.

℞. *Vitrioli Hungarici ad albed. calcinat.* q. v. redige in cataplaſmatis formam *cum ſpermate ranarum.*

Hocque linteis cannabinis incluſum *dorſo & lumbis circumcirca* ad umbilicum uſque frigidè applicetur, ac ſanguinis fluxus miraculoſe cohibetur, eſtque experimentum certiſſimum in contumaciſſimo affectu, reliquis nil juvantibus, & ubi periculum vitæ inſtat.

Vel ℞. *Muſci cranii humani*, vel ab aliis oſſibus collecti. *bufonum pulveriſat.*

Sperniolæ ex oculis nigris ſpermatis ranarum, cum propria mucilagine aquatica, per creberrimam imbibitionem præparatæ, ana. p. æq.

Pulveriſata miſce cum mucilagine tragacanthi per *aquam ſperm. ranar.* facti, & fiat maſſa, ex quâ formentur amuleta, vel poma manibus tractanda, donec incaleſcant.

Vires admirandæ ſunt in omni hæmorrhagia tam narium quam uteri, hæmorrhoidum & vulnerum.

Si armillæ, corallia ex eis formantur, poſſunt optimè geſtari pro præſervatione ab eis, qui huic malo admodum obnoxii ſunt.

CAPUT XXII.

LUEM VENEREAM ET EI DICATA MEDICAMINA EXHIBET.

HOrrendum hoc morbi monſtrum epidemiale HIPPOCRATES teſtatur, cujus contagionis ſymptomata *libr.* III. *Epidemior. ſect.* III. tradit. *Illic menti* inquit, *capitisque glabrities, carnium, nervorum, & oſſium elapſus, voces vitiatæ, ora ulcere fervido affecta, in pudendis tubercula, eadem circa fauces, linguæ inflammationes, abſceſſus circa dentes, tubercula foris, intus, circa inguina, fluxiones circa pudenda, multæ ulcerationes, lippitudines humidæ, longæ, diuturnæ, cum doloribus, eruptiones palpebrarum foris, intus, multorum oculos corrumpentes, quos ficus vocant.* Ecce, hoc hodiernorum ſcortatorum morbi genus HIPPOCRATI cognitum fuiſſe hinc conſtat, licet tunc aliis ex cauſis; nam in auſtrali temporum conſtitutione hoc malum irruiſſe teſtatur, atque ſuæ regioni Epidemiale, quemadmodum *Elephantiaſis Ægyptios, Græcos lepra* primò invaſit. Hodierno die morbus hic, horrendus adhuc magis quam depravatus non amplius Gallicus, ſed toti jam terrarum ferè orbi communis, FERNELIO dignum ſcortatorum flagellum audit.

Cauſa

Causa hujus mali essentialis est acidum, qualibus singulariter venenatum, & corruptum, ac humorum vel venenata viscositate, vel volatilitate, corpori humano infestum.

Ex hâc causâ sæpissimè *Scorbuti symptomata cum gallicis certant, & faciem præstant dubium*, ac si ex eodem fonte pronata, nec alia interfit differentia, quam quod illius symptomata circa lienem, hujus verò in testibus & vasis spermaticis stabulari consueverint.

Sed hujus mali producta horrendè multò, humanum corpus excruciant, quippe bilem fermentantes & nimium acuentes particulæ acidæ peculiariter venenatæ, *nervos membranasque rodentes, dolores intolerabiles inducunt:* eædem si partes seminis elaborationi dicatas adortuntur, sperma corrumpunt, & continuum ejus putridi liquaminis effluxum moliuntur: & si jam pravis acidi corrupti succis corpus perfusum copiosè existat, illi harum concursu exaggerantur ut *cuti scabiem, ulcera, pilorum defluxum,* & *ossibus cariem* adscisant, ac ita vel hanc aut aliam corporis partem, singulari symptomate stigmatizatam notent, non secus ac Mercurius nociva sua vi, & secretis acidi spiculis carnes, nodis & tophis, defœdat, & innumera mala advehit.

Causa per accidens quæ priori ortum ministrat, *est coitus impurus cum jam infectâ hac lue persona,* à quâ per contactum alteri communicatur personæ, in ipso enim attritionis, ac insequente incalescentiæ actu, particulæ venenatæ fermentantes, poros jam hiantes pervadunt se sanguini sanæ personæ associantes, non minimùm juvante cupidine, animam afficiente, & magneticè quasi simul attrahente venereum virus.

Oritur quandoque sponte hæc lues, si sani homines immoderatam & bestialem venerem exercent, quando spiritus dissipantur nimium, & relicti redduntur acriores, inprimis ubi corpus jam pravis succis repletum existit.

Quod verò venereum virus propagari possit per oscula, bibitiones cum infecto, impuræ cloacæ insessum, &c. hoc illorum ratione inventum esse credo, quibus honorem manere volumus.

Differt tamen hæc Lues ratione qualium venenatorum quantitatis ratione consideratorum, *quando* scil. vel *quædam saltem*, vel *omnes corporis partes inficiuntur*, & symptomata vel sunt mitiora, vel pessima.

Et ex hac causa Luis incipientis signa certa haud dantur, utpote cum aliorum morborum signis decertantia.

Quibusdam enim, solo amplexu vel basis contagium labia ulcusculis notat, quod & aliis nunquam impuritate venerea affectis accidit.

Sic dantur *quibus post impurum coitum gonorrhæa accidit*, & excernitur cum ardore semen putridum, sicuti & aliis accidit non infectis. Atque ita *incipientis Luis signa, nisi parientis accedat confessio, de impuro coitu non habentur certa.*

Interea tamen FERNELIUS constituit quatuor gradus; Levissimam, & PRIMAM luis speciem, *per pilorum defluxum* indicari vult.

SECUNDAM, per maculas fœdas, vel subflavas, aut subrubras, *gonorrhæa simul sæpè commixta.*

TERTIAM, per pustulas, per universam cutem disseminatas, inprimis *circa frontem, tempora & aures, cum ulceribus pudendorum & gonorrhæa virulenta.*

QUARTAM luis speciem, dolores intensiores nocturno inprimis tempore excruciantes, & ossa rodentes, ac in lecto saltem afficientes, constituere perhibet.

Hæc verò est & incipientis & progredientis Luis methodus: Si homo contagium hausit, *primis diebus sentit lassitudinem, & totius corporis torporem*, ingruente *vago artuum*, vel *capitis aut alterius partis, dolore*, ac tum faciei mutatur color, *labiā pallent, oculi circulo livido notantur*, virginum menstruatarum instar; *facies inflatur, manus & pedes ad tactum, etiam hyemis tempore plus solito calent*: Somnolentia etiam, & tamen *inquietæ noctes*, infestant, cum segnitie, *mœrore & tristitia*, absque prægressa evidenti causa, non ut melancholicos, sed *ut torpidos, lassos*, ac si his accedit defluvium pilorum, *stranguria & gonorrhæa virulenta*, præter omnem exspectationem de contagio luis hausto certus esse poteris: cujus veram confirmationem notes, si *accedunt pustulæ*, cum, vel sine sanie *in barba capite*, & vel

cum

cum vel ſine cruſta, *oriuntur ulcera circa pudenda & anum*, ſequuntur tubercula & *exulceratio palati & æſophagi*, *uderaucedo*, tandem *gingivæ fœtent*, & gummata circa manus & pedes infeſtant, cum tumoribus, callis, & tophis, & oſſa ſponte fragilia fiunt, atque ita, ni efficaciter occurratur, ſenſim perditur homo horrendo ſpectaculo.

Quia PROGNOSTICA exſpectat, ſciat, *ſanos & robuſtos huic malo minus obnoxios eſſe debilioribus*, ſicuti minus illi quibus hæmorrhoides & menſes legitimè fluunt, quam quibus emanent, *minus* etiam illi *qui præputium retractum*, & glandem denudatam habent.

Et ſi caries penis, vel ſtranguria, vel gonorrhæa brevi à coitu ſit orta, indicium eſt in pene adhuc dum eſſe virus, nec hinc ægrum in vehementi gradu excruciandum, atque tum purgatione præmiſſa, *therebinthinata ſufficiunt*.

Sed ſi longè demum à coitu oriatur lues, & ſymptomatibus gravioribus infeſtet, fortiora requiruntur remedia, & vera luis antidota.

Facilius tamen faucium, gutturis, & narium, penisque curantur ulcera, quam ani.

Sed *ſi aſthma denique accedat*, *malum ferè deploratum eſt*, ſicuti & ubi ab utero, & hæreditariè lues ingruit.

Difficulter etiam curantur illi qui recidivam patiuntur, & quibus acceſſit hydrops, ac quibus alvi profluvium putridum, ſanioſum accidit.

Ratione diætæ notetur, ne cibis variis, contrariantibus, malo ſuppeditemus pabulum.

Indicatio curativa eò dirigatur, *ut acidum variè corruptum*, & vel fixum vel volatile nimium, *per appropriata alcalina corrigatur*.

Cauſæ tamen procatarcticæ removeantur prius, per abſtinentiam à coitu, aerque corrigatur. *Venetiis* enim propter aërem marinum, putredini reſiſtentem, ſymptomata videmus mitiora. Aër itaque paluſtris maximè fugiendus.

Poſtea cauſæ foventes tollantur, & ſi adſit plethora, pro circumſtantiarum ratione, venæſectione ea minuatur vel acredo humoris corrigatur *per abſorbentia*, & *dulciſicantia*.

Si verò *cacochymia*, & crudi ſucci copia *corpus repletum exiſtat*, fiat initium à purgantibus cum ratione adhibitis, qualia de purgantibus tradita fuere in hunc modum, v. g.

℞. *Extracti helleb. nigri* ℈ ß. vel ℈ j.
Mercurii dulcis gr. xv. vel x.
reſin. jalapp. gr. v.

cum *ſyr. de cichor.* cum *rhabarb.* fiant pillulæ, pro doſi, aliquoties repetenda, ſi prima vice rem haud abſolviſſe videantur.

Corpore jam copioſis cruditatibus liberato, & purgato, ad ſpecifica fiat transgreſſio, inter hæc *excellunt ſudorifera ſpecificis particulis ſuis alcalinis*, acidum corruptum corrigentia, qualia ſuppeditant longo uſu comprobata, primo lignorum Decocta, quorum confectio & uſus eſt ſequens.

℞. *Ligni Quajaci raſpati* ℔ j.
liquirit. raſ. ℥ j.
Aquæ fontan. menſuras 4.

Stent per noctem infuſa, mane primò leniter coquantur per 6. horas, vel donec tertia aquæ pars decocta, vaſe tamen clauſo.

De hoc decocto detur ægro manè & veſperi hora quartâ hauſtus ſive ℥ vj. pro doſi, calidè tamen pro tolerantia, ac in lecto probè munitus ſudet, *primo die de dimidium horæ ſpatium*, *altero die per tres horæ partes*, ac ita ſemper aſcendendo ad duas horas, *pro tolerantia ægri* & virium ratione: non enim neceſſario ſudor exprimendus, ſed naturæ locus, & operatio committatur.

Peracto ſudore linteis calidis abſtergatur æger, & detur confortans, aerque liberior concedatur paulo, inprimis à meridie.

Circa ſudoris actum notetur, *Laconica optimi eſſe uſus vel lecti ad hoc opus parati & feneſtrati*, quo igniti carbones ſubmitti queant.

Ratione conſtitutionis ægri, obſerva, *ne exſucca corpora ad ſudorem cogas*, nec Decoctum calidioribus particulis ſive qualibus præditum exhibeas, inprimis etiam ubi accedit febris vel nimia ſitis: In hoc caſu, non nimium propinetur, *Decoctum Quajaci ſed Decoctum chynæ cum paſſulis*, *vel ſaſſafras cum Decocto carnis vitulinæ* aut ſimilibus. Vel etiam ratione febris, per unum aut alterum diem abſti-

neatur

neatur à Decocto, aut ſemel ſaltem de die ſudent. Interea verò *repetatur purgatio*, & ſi adſit conſtipatio alvi propter febriculam detur aliquot dies ptiſana laxativa vel ſimile.

Decoctum verò exhibeatur tam diu, donec omnia ſymptomata ſint remota, & facies colorem naturalem repetat, quod tamen in hoc citius, in alio tardius fieri ſolet. Nonnullis decoctum exhiberi oportet per 30. vel 40. aliis etiam & ubi malum pertinax, per 60. dies, ſi ſemel ſaltem de die ſudant, hinc, quoniam tam diu homines haud retinemus, bis exhibendum de die decoctum, ac tum ſi malum eſt recens, aliquando intra 15. dies abſolvitur cura.

Ratione decocti conficiendi & exhibendi, & ingredientia, & Doſis menſurentur, reſpiciendum enim ad venenata qualia, quando vel pertinacius malum infeſtat, & ſymptomata vel benigniora vel depravata excruciant, ſic vires, ætas & ſexus conſideranda.

Sic *ubi hæc Lues calidâ diſpoſitione notatum* & bilioſum prehendit, adde *ſarſæparillam*, *chynam*, *cichoreum* & ſimilia, ne noceat Quajacum ſubtilitate, & ſi Hepar vel Lien vel renes ſimul infeſtentur, addi poſſunt appropriata: ratione amaritudinis addimus *paſſulas*, *aniſum*, *fœniculum* &c. v. g.

℞. *Quajaci* ℔. ß.
cortic. quajaci.
ſarſæparill. ana. ℥ ij.
ſaſſafras ℥ j.
radic. cichor. ℥ ij.
fl. borrag. m. ij.
Aquæ fontan. ℔. xv.

Infuſa per noctem coquantur ad tertias, de quo exhibe mane ℥ vj. veſperi ℥ iij. vel v.

Vel ℞. *ſarſæparill.* ℥ vj.
rad. chynæ. ℥ ij.
Aq. font. ℔. xv.

Infuſa ut prius coque.

Si *Decoctum cum jure carnium parandum*, adde *ſarſæparillæ* in mortario contuſæ *carnis vitulinæ* minus pinguioris ℔. iij. *ſem. coriandri*,

riandri, *ſantali citrini* ana. ʒiij. coque ad remanentiam librarum quinque, in fine adde *cinamomi* ʒiij. ac tum fiat expreſſio fortis, cujus Doſis mane ℥vj. veſperi. ℥iiij. vel v.

Si Hectica adſit, adde *hordei* decorticati ℥iiij.

Alii decoctum parant cum vino, ſed melius uſus tempore additur & hoc locum habet in aſuetis, & ventriculo debili præditis.

Æſtivo tamen tempore dimidia Decocti pars pro una vice conficienda, quo recens maneat & gratius ægro.

Pro potu ordinario fiat Decoctum tale.

℞. *Remanentiam Decocti unius* vel alterius prioris, coque cum aquæ fontan. ℔ xv. additis *paſſulis majoribus & minoribus* ana. ℥ij. *ſem. aniſi*, *cinam.* ana. ʒij.

Si verò patiens vino aſuetus abſtinere haud poſſit, *quolibet paſtu concedatur hauſtus vini veteris*, *debilioris*, vel panis fruſtum tragæa ſtomachali conſperſum & vino imprægnatum.

Ante utrumque tamen paſtum pariens parum circumambulet, vel alio modo ſibi motionem procuret.

Somnus meridianus vitetur, alvusque ſervetur aperta.

Verum cum non quævis natura per ſudorem malignitates venereas expellat, ſed ſæpe per urinam has ejicere ſoleat, hinc adjuvanda diuretica vis, quo facilitetur naturæ motus & promoveatur: &

Si jam docta luis curandæ methodus per Decocta nimium videtur tædioſa, in uſum veniant acidum corruptum venenatum corrigentia, dulcificantia, alcalia volatilia abſorbentia & ſimilia, ut ſunt *ſalia volatilia C. C viperar. Cran. humani*, *ſuccini*, *Eſſentia C. C. ſuccinata*, *Eſſentiæ* item *ſarſæparillæ*, *ſaſſafras* &c.

Si poterius admodum laudat extractum hoc Antivenereum, v. g.

℞. *Cortic. ligni ſancti parum contuſi* ℥vj.
raſuræ ejusdem ligni ℔ iij.
chynæ in taleolos ſect.
ſarſæparill. minutim inciſ. ana. ℔. ij.
baccar. juniperi ℔. ß.
ſem. card. bened.
carvi ana. ℥iij.

Fol. ſuccisæ.
ſcabioſæ ana. m. iij.
radic. cyperi.
vincetox. ana. ℥ij.

Infunde omnia parum contuſa in ſ. q. *vini albi generoſi*, & fiat ſ. a. Extractum, cui ex remanentia, paratum ſal, & oleum, ab empyreumate, repetitis cum aqua ſimplici cohobationibus, liberatum, adde, vel addito ſpirit. volatili alcalino, aut ſale volatili in elixir volatile redige.

Maximè alii commendant curam *per mercurialia*, & hinc *excitatam ſalivationem* inſtitutam, ſed curioſâ hic opus eſt cautelâ, *ne bilioſis, & copioſis reſolutis & acrioribus humoribus repletis corporibus*, eam adhibeamus curam, quia in his malum augeretur.

Hinc concedatur ſaltem in eis, ubi viſciditas humorum aliis debilioribus vel lenioribus prædictis, præmiſſis, ſolvi minimè poteſt, ſed ſubtilioribus Mercurii acidis particulis reſolutioni aptis, ſola cura abſolvi poſſe, putamus.

Obſervetur tamen præterea, *ne in debilioribus hanc inſtituamus curam*, nec in eis, *qui ulceribus oris ſunt vel fuerunt obnoxii*, vel angina infeſtantur, item qui *paralyſi*, *tremore*, macie vel *Hectica* prehenſi, aut admodum ſenilis ætatis vel puerilis exiſtunt.

Inunctio inſtituatur in loco calido, fortius in inveteratis ac robuſtis, ſed per triduum *primò inungatur tarſus* & *quidem membra circa articulos primo circulariter*, poſtea deorſum.

Si ſalivatio ſuccedit, ore contineantur armillæ vel nummus aureus ſæpè mutandus, & igne purgandus.

Si evacuatio mediocris facta fuerit, laventur & *foveantur artus vino malvatico*, *rore marino & caſtoreo infuſo*, vel utantur Balneo, & poſtea inungantur artus *oleo caſtorei*, *ſuccini* &c. cum vino malvatico, vel ſimili nervino.

Si *patiens ſecunda inunctione exſpuere incipiat*, *addatur tertia & ſufficiet*: inſtituenda verò inunctio 4. horis ante prandium. Præmiſſo ſi opus eſt clyſtere, æger ſe ipſum inungat, ne alius inungendo ſibi ipſi ſalivationem adſciſcat.

Finitur hæc cura utplurimum per ſe intra 10. vel 15. dies, intra

quod tempus patiens cibandus *ovis ſorbilibus, juſculis carnium, gallinarum, caponum*, optimæ nutritionis.

Pro potu præter *Decoctum lignorum ſecundarium*; concedatur in prandio & cœna *hauſtus vini generoſioris.*

Quando verò finita ſalivatione & dentium vacillatione, & ulceribus oris ſanatis, ita ut cibi duriores reaſſumi queant, ſymptomata tamen nondum ceſſent, inunctio inſtituenda de novo, & procedendum ut prius donec ſymptomata ceſſent.

Si verò ſalivatio non ſuccedat, per alia evacuandum ne maneat in corpore Mercurius.

Notandum verò, Mercurium ſæpiſſimè vires ſuas exerere non per ſalivationem, ſed per inſenſibilem tranſpirationem, aut ſudorem, vel per urinam: quorum tamen effectuum uno vel altero viſo, adhuc unâ vice inungatur patiens & ſufficiet.

Notandum verò optimè, ne vel in exceſſu, vel defectu peccetur, ne illo æger perdatur, hoc verò malum protrahatur.

Intra hoc curationis tempus nec lectum nec induſium mutetur, ac purgatio & V. S. vitentur.

Incipere verò ſolet ſalivatio quarto vel quinto, ſæpè etiam decimo, vel decimo quarto die, ubi malum eſt pertinax & tenacitas humorum prævalet.

Si verò ſalivatio nimis cito finitur, inunctio repetatur per dies aliquot.

Jam ſi ſalivatorii remedii formulam velis,

℞. *Mercurii vivi ſaliva extincti* ℥ vj.
axung. ſuillæ ℥ viij. *vel ung. pomati.*

miſce, optimè terendo per integram horam, tunc adde

Olei lauri.
juniperi ana. ℥ j.

quibus iterum mixtis adde

caſtorei pulv.
croci ℈ j.
cer. ℥ ß

miſce, ut fiat unguentum, & ſi lubet adde *Moſchi Zibethi* pro lubitu.

De hoc unguento inungantur quotidie pro doſi ʒ ij. vel ℥ ß.

linteo

linteo prius fricatis locis inungendis, ſcil. juncturis artuum omnibus, plantis item pedum.

Fit vero inunctio ſemel in die, vel mane hora una poſt ovum ſorbile, vel juſculum, vel veſperi aliquot horis ante cœnam.

Si inunctio non arrideat, poteſt excitari ſalivatio per aſſumpta præcipitata, ita ut primo die exhibeantur unius vel alterius gr. v. cras, gr. x. ſequenti die grana xij. & ita inſequenter donec ſalivatio incipiat.

Quoniam verò hanc curam moleſtiſſimam ſæpiſſimè ſequi ſolet dentium caſus & vacillatio, hinc huc reſpiciendum ſuadetur, quo tueantur dentes, ne humores affluentes eos perdant. Non verò adſtringendum, ſed detergendum, ac primò *colluatur os lacte calido*, poſtea verò miſceatur *Decoctum Quajaci* moderatè *cum aquâ roſarum* & ſucco plantaginis, ac vino auſtero rubro, eoque os eluatur.

Vel ℞. *Radic. biſtort.*
fol. ſalv.
flor. balauſt.
nuc. cypreſſ.
cortic. mediaſt. prunor. ſylveſtr.
maſtich. ana. ℥ ß.

Coque cum vino auſtero, & adde *mellis ſquillitici* pro lubitu, cumque hoc fiat oris collutio.

Vel, in uſum veniat *Tinctura terræ catechu*, cum *tinctura laccæ* remixta, de quibus vide plura ſupra inter odontalgica.

Jam ſymptomata conſideranda veniunt, quæ hanc luem ut umbra corpus ſequuntur, non verò omnia ſimul infeſtant, ſed mox hæc illum, mox alia alium afficiunt, pro conſtitutionum & particularum diverſitate, & peccantis materiæ ſive humoris diſpoſitione.

Si venereum virus in glaudulis inguinalibus coagulationem inſtituat, & Tumoribus vel

Bubone

inguina notet, *præter curam per ſudorifera inſtitutam* exserna non negligantur, ubi tamen abſtinendum à repellentibus, & aperientia

quo citius, eo melius in uſum veniunt, non tamen planè crudi, ſed ſemi-maturi aperiantur, vel cauſticis, quæ tumorem acido inductum crudiori, penetrantius calefaciunt & perterebant; vel Ferro.

Imponatur ideoque ab initio ſeq. Emplaſtrum, quod ſingulis ſex horis renovetur, quo optimè emolliatur bubo, ut tum cauterio vel lancetta reſerari queat, v. g.

℞. *Gummi ammon.*
galbani ana. ℥ iiij.
ſolve aceto, exprime & coagula, adde
therebint. ℥ j. ß.
Balſ. ſulf. Rulandi ℥ j.
Empl. diachyl. ſimpl.
de meliloto ana. ℥ ij. ß.
ceræ ℥ ij.
mſ. fiat Empl.

Emollito & aperto ulceri imponatur *therebintina lota* ex decocto quajaci, cum melle ad brunitatem cocto, & ultimo per *Emplaſtrum Oppodeldoch* ad ſanationem perducatur.

Si verò dolor ſimul concurrat & excruciet, imponatur *cataplaſma mitigativum*, cum Decocto quajaci confectum, v. g.

℞. *Fol. malv.* m. j.
farin. alth.
fœnugræc. ana. ℥ ij.
axung. anat.
olei anethi ana. ℥ j.
Coque cum decocto quajaci in formam cataplaſmatis.

Si *tumores glandularum inguinalium* vel bubones ſtatim poſt coitum impurum oriantur, *cucurbitulæ*, vel alia attrahentia applicentur, quo virus gallicum extrahatur, ne regrediatur & ſanguini communicetur, ac totum corpus afficiatur lue.

Si tandem venereum acidum eò invaleat, ut circa brachia & frontem, lympham gypſea duritie coagulet, ut oriantur exinde tumefacti tuberculi.

Gumma-

Gummatum vel Tophi.

nomine insigniti, veluti gummi arboribus innati & indurati, concurrente sæpè medulloso ossium nutrimento, hi raro curantur, nisi ferro. Si tamen tophi non admodum sint indurati, tum si quid efficiendum restat medicaminibus, id efficiet sequens vel simile, v. g.

℞. *Sem. sinapi.*
rad. symphyti major.
bryon. ana. ℥ ij.

cum urina fiat cataplasma, quod calidè sæpius imponatur.

Et si *Melicetides* sive tumores molliores gallici præcedant, qui discernuntur à vulgaribus duritie, (nam ad tophi duritiem hi plerumque veniunt,) & dolore noctu plusquam interdiu excruciante; Tum primo *tentetur discussio per purgantia*, & post per *Empl. Diaphoretica*, vel *Cataplasmata Emollientia*, si verò hisce nil efficitur, ad aperturam confugiendum.

Inter *emplastra Diaphoretica* laudatur sequens.

℞. *Empl. diaphoret.*
melilot. ana. ℥ ß.
vigonis cum duplo Mercurii. ℥ j. ß.

misce cum *oleo circulato* de arthriticis notato, & fiat Empl. quod applicetur.

Vel ℞. *Succi semperviv.*
hyosciami ana. ℥ ß.
axung. human. ℥ iij.
ol. lilior. alb.
chamomill. ana. ℥ ij.

coque ad consumptionem succi, tum adde

saponis Veneti ℥ ij.
Mercurii sublimati ℈ iiij.
antimon. crudi. ℥ iij.
Opii.
mumiæ ana. ℥ j.
ladani & ceræ ana. *q. s.*

fiat s. a. Emplastrum.

Verrucæ.

Sæpè oriuntur innumeræ, quædam seſſiles, quædam non, duræ tamen ut cornu. Seſſiles removentur *ſpiritu nitri* aliquoties tacti, vel ſequenti Emplaſtro.

℞. *Gummi ammoniaci aceto ſoluti* ℥j. ß.
virid. æris ʒj.

leni igne ad ſpiſſitudinem cocto adde

crani humani calcinati ʒj. ß.
pulv. ariſtoloch. rotund. ʒß.

miſce, fiat Empl.

Si pendulæ ſint verrucæ, poſſunt ligari pilo equino vel filo ſerico, quo tandem denegato nutrimento exareſcant & decidant.

Si Puſtulæ cutem defœdant vel cum vel ſine cruſta, in variis corporis partibus, tum partis habeatur ratio, v.g.

Si in faucibus erumpant, tum fiat *Decoctum ſcabioſæ cum lactis ſero & pauco alumine*, vel Decocto quajaci adde *aquæ plantaginis* pro lubitu, & cum *aqua aluminoſa FALLOPII* acuatum applica pro repetita oris collutione.

Reliquæ corporis & cutis puſtulæ curantur *cingulo Mercuriali*, vel *unguento Mercuriali* leviter adhibito, & juncturis inuncto.

Si venereum virus inducat

Cariem Penis,

ejuſdemque inflammationem, vel puſtulas aut ulcuſcula: tum Univerſalibus præmiſſis deveniendum ad alexipharmaca hujus luis, ſed mitiſſima propter partis mollitiem.

Et ſi caries ſit levis, rem expediet *aqua calcis vivæ*, v.g.

℞. *Aquæ calcis vivæ* ℥vj.
plantag.
ſolani ana. ℥j.

miſce.

Et ſi inflammatio adeſt conjuncta, adde

ſacchari Saturni ʒj. vel ʒij.

Vel *Elixir Balſamicum* applicetur.

Si

Si verò caries introrsum protendatur, & caruncułæ oriri velle videantur, tum in tempore occurrendum sequentibus candelis cereis inunctis & urethræ immissis, bis vel ter de die renovatis, donec ulcuscula, vel excrescentes caruncułæ sint ablatæ, v. g.

℞. *lythargyr. aurei.*
flor. sulfur. ana. ʒiij.
thutiæ. præparat. ʒij.
minii. ʒß.
unguent. Ægyptiaci ʒj.
mellis rosati. q. s. misce, fiat unguentum.

pro inungendis candelis.

Si verò caruncułæ sunt absumptæ, tum consolidatio absolvatur *Saturni & Mercurii amalgamate*, pulverisato & *ung. diapompholigos* remixto, & cum dicta cerea candela urethræ immisso.

Si ulcera sint in sinu muliebri, confert *unguentum diapompholigos*, vel *unguentum rosatum cum Mercurio dulci*, aut injectiones ex *Decocto Quajaci cum aloe*, vel *Elixire balsamico*, & si dolor simul concurrat, possunt addi *mucilagines radic. althea, sem. lini, psillii, cydonior*, &c.

Postea ad consolidationem optimè convenit *unguentum de minio cum amalgamate Saturni & Mercurii commixtum.*

Si nares ulcere notantur, (hisce enim sæpè hæc lues infesta est, ut dentibus scorbutus) tum conducit optimè *Elixir Balsamicum*, quod & rhagadibus & fissuris, manuum, oris, pedum, medetur.

Quibus verò necessario exeundum, eis *pro plantarum fissuris* paramus *soleas ex gummi ammon. galbano, masticbe, cerussa cum oleo circulato*, & corio inducto, ac calceis immisso.

Si Gonorrhæa gallica

oriatur, conducunt *therebintinata*, Decocto quajaci combinata: (Si verò virulentia accedat, non nisi integrâ institutâ cedit curâ,) vel mercurialia, inter quæ multi commendant *præcipitatum viridem, cum therebintina & ovo sorbili* aliquoties exhibitum, à quo tamen fluxus primo augeri, mox tamen educta purulenta materia perfectè cessare perhibetur.

Si

Si internè exulceretur virga, injiciatur *mucilago radic. alth. ſem. lini, cydonior. cum aqua roſarum portulac. ſolani ana. facta*, addito modico *Elixire balſamico.*

Si verò carunculæ oriantur, ut ſupra doctum procede, vel tales candelas immittendas parabis.

℞. *Ceræ alb.* p. iij.
æruginis.
Mercur. præcip. ana. p. j.
thereb. p. ij.

miſce, & fiant ſ. a candelæ, ſed ſaltem eo in loco hac mixturâ obducantur, ubi carunculis applicari poſſe putantur, diligenter enim obſervandum, ut ſolum tangatur caruncula, ne ſana pars lædatur.

Alias *ſi gonorrhæa ſit ſimplex*, nec Gallico contagio inducta, BLEGNI ſeq. commendat pro abſoluto, v. g.

℞. *Aq. roſar.*
plantag. ana. ℔ j.
In his ſolve *ſacchari candi* ℔ j.
aluminis ʒ ij.
camphor ʒ j.
adde his Eyergallen 600.

miſce & deſtilla, ac de hac aqua exhibe mane & veſperi hora quarta ʒ iij. continuando donec optatus emergat affectus.

Vel ℞. *Decocti C. C.*
Quajaci ana. ℔ j.
amygd. d. excort.
pinear. recent ana. ʒ ij.
ſem. melon. ʒ ß.

miſce & ſæpius exhibe.

Tandem ſi Lue inveterata omnia alia medicamina irrita videntur, conſule *Mercurium Diaphoreticum HELMONTIS* qui curam expediet, non in hoc ſolùm horrendo malo, ſed & aliis maximis corporis affectibus, præſtat etenim HELMONTE atteſtante, id, quod Medicus optare poterit, cum morbis dulcem imperet quietem, & ſanitatem jucundam reddat pro fine.

MONITA

MONITA MEDICA

Tam

Educationem ſive regimen,

quam & morbos

RECENS NATORUM

Concernentia.

CAPUT I.

De iis quæ Infante in lucem edito peragenda & ſucceſſivè obſervanda.

Paragraphe I.

DE UMBILICI LIGATURA.

MUtabilis vitæ noſtræ & inſtabilis conditio, utut omnibus communis videatur mortalibus, inprimis tamen infantibus propria magis eſſe videtur, cum tenera eorundem conſtitutio, eorumque minus valida viſcerum ſtructura, nondum exaltato ſufficienter ſpiritali vigore, *quoſcunque poſt annatos ſub nutritione commiſſos errores graviter perſentiſcat*: unde poſtmodum fœcunda morborum exoriuntur conciliabula, *quæ per totum ſubinde vitæ curſum pernitioſos progignunt fructus*: hinc perverſa infantum tam nutritio, quam educatio reliqua, ex quibus omnes infantiles morboſæ ærumnæ feraciſſimè ſcaturiunt, curiosè indaganda.

Poſteaquam itaque in lucem hanc miſeriis infinitis ſæpius obſcuratam, fuit editus infans, diligenter proſpiciendum *ne infanti vel in defectu, vel in exceſſu ſi peccet ſanguis, ex umbilico reſecando extrahatur*: ſubitò namque & quam cito poſt extractam ſecundinam (quæ poſt editum fœtum ſequi citò debet,) *umbilicus reſecetur hac methodo*: videlicet quando fœtus jam egreſſus, obſtetrix hunc ſinui ſuo, molli calidoque linteolo involutum paulum recondat vel ſeponat, & ſecundinam excernendam obſervet, quæ ſi ex voto haud citò ſequatur, obſtetrix interim infantis curam ulteriorem ſuſcipiat, *& in ejus vena umbilicali contentum ſanguinem, digitis ſuis verſus ſecundinam blande compel-*

compellat, ac *laritudine digitorum trium circiter à ventre mensurando, ligaturam umbilici*, nec nimis duram, nec laxam nimium instituat, ab hac verò ligaturâ, sex circiter digitorum latitudine umbilicum, reliquæ venæ umbilicali secundinæ adnatæ cohærentem forfice rescindat, particulam verò umbilici relictam linteolo molli *butyro recenti illito* involvat.

Non minima videtur nonnullorum cautela, quâ cavere volunt ne *umbilici ligatura* illegitimo instituatur modo, cum *pro longitudine sua, vel brevitate quam ex ligatura acquirit, variare credatur partes genitales infantis*: Pueris namque quibus vel brevior vel longior relinquitur umbilici particula, vel brevior vel longior inde fieri dicitur virga, puellis verò hac ratione uterus vel altius aut humilius locari creditur.

Quemadmodum verò quibusdam genitale longius est, quibusdam brevius, sic diversis mulieribus canalis ille ad os uteri usque longior aut brevior esse solet, non tam ex hâc causa quam ex singulari dispositione naturæ, cujus ratione tot & tantæ dantur corporum & ejus partium diversæ & differentes texturæ, ratione magnitudinis, crassitiei, latitudinis, angustiæ &c.

II.

DE BALNEATIONE INFANTIS.

Prægressis ritè observatis, & si infans benè degat, ejus *Balneatio* adornetur, quo sordes decedant externæ, ac artus explorentur exteriores motu blando. Balneum autem, cui herbæ quædam pro variis muliercularum credulis intentionibus incoqui possunt, non nimis calidum applicetur, ne rubescat delicata ac mollis cuticula, atque tum color per vitam inducatur nigricans.

Quæ ideoque matres delicata alba cute ornatas exoptant filias, eas temperatè admodum ut balneent suasor ero: Qui *saponis paulum* balneo addunt, non errant, nec qui prima septimana quotidie, reliquis verò alternis aut tertiis diebus, *addito pauco lixivio*, infantes lavant donec nitidi devenerint: Cuticula namquè in forma lentoris aut squamarum sæpius adnata decorricari sic assolet, quod tamen in his citius,

quam in aliis fieri consuevit : tunc verò cutis vel lactea vel nigricans aut aspera evadit pro balnei temperamento & ejus adhibitionis modo : Balneum enim coctum cutim reddit asperam, hinc aqua balnei cum infusis per noctem speciebus ex *malva*, *melissa*, *lavendula*, *furfure tritici*, *&c.* sacculo inclusis, mane leviter incalescat, ac hac tum quantum sanitatis & in specie virium permittit ratio, crebra instituatur ut dictum balneatio, post balneum verò semper curiose abstergatur, & à frigore arceatur infans.

III.

DE DEBILITATE INFANTIS ET LINGUÆ SOLUTIONE.

Si infans ex partu difficili debilitatus extet, nec respiret, vel ejulatione vitales vires prodat, instilletur ei *aquæ vitæ mulierum*, *cinamomi*, *vini malvatici* aut *saccharati* paulum, ac *caryophylli masticati*, *vel succini accensi odore* anhaletur.

His nil efficientibus & excitantibus, una & altera guttula ex cerea vel sebacea candela accensa nuchæ instilletur, cum moderamine tamen ne aduratur nimium mollicula cutis : vesiculas verò excitari non nocet, quin potius efficacius operantur : Et præterquam quod respirare facilè faciat subita hæc alteratio dolorifica, admodum conducit restinguendis, non ratò exsurgentibus motibus convulsivis à cerebro oriundis.

Obstetrix etiam vel nutrix linguæ adnatæ respectum habeat, quod observet, si infans papillas non benè comprehendat, vel benè sugat, tunc verò separanda vel ungui, vel si fortius adnata, lancetta. Reiteranda verò sæpius hæc solutio, cum non rarò coalescat rursus, etiam in infantibus aliquot annorum, ac tum loquelam admodum impediat.

IV.

DE MECONII EXCRETIONE.

Cum sub formatione & nutritione fœtus in utero utplurimum *recrementa* quædam *Hippocrito* dicta, ab aliis *Meconium* vocata, in tenellis

tenellis inteſtinis recondita lateant, quæ ni maturè expellantur, vel obſtructiones aut lactis nutritivi diſtributionem impediant ac tormina inducant, vel Epilepſiam ipſam excitent, hinc Practici celebertimi, antequam lac vel pulticula præbetur, exhibere præcipiunt *oleum amygdalarum*, vel *cum manna* aut aliis laxante vi præditis remixtum, v. g.

℞. *Mannæ el.*
ſacchar. penid.
pulp. paſſul. ana. ʒß.
ſperm. ceti ʒ ß.
olei amygd. d. ʒv.
aniſi gutt. vij.
julep. roſar. ʒvj. miſce.

hujus pulticulæ cochleare dimid. exhibeatur.

Excell. D. *Ettmüller in ſuo valetudinario infantili* nobis commendat *ſyr. de ſpina cervina cum melle confectum*, & cum *oculis cancri* commixtum, quem vix fallens evacuans, quo meconii vel ſordium aliorum aceſcentia, futuro lactis fuctui perquam nociva, evacuari & coerceri queat, ſuppeditare aſſerit. Vel

℞. *Pulpæ Paſſular. min.*
ſyr. de cichor. cum rhabarb. ana. ʒiij.
ocul. cancri præp.
corall. rubr. præpr. ana. ℈j.

miſce, & de hoc parvulis propinetur cochleare.

Alii primis tribus diebus *Marchionis pulverem* ad gr. v. exhibitum, admodum laudant, cum præcipitante vel abſorbente vi præditum perſentiant.

Aliàs *primis viginti vel circiter horis infans* recens natus *non cibandus*, nec lac præbendum, ni obſervetur famem eum torquere, cujus ſignum præſto eſt, ſi vel linguam, vel immiſſum ori digitum ſugat, & ploret.

V.

QUID DENOTET GALEA CUM INFANTE EDITA &c.

Infantes qui difficulter naſcuntur, gravi rurſus morte perire creduntur.

Cuticula Amnion, ab aliis *galea* vocata, ſi ſimul cum infante naſcatur fortunam ei indicare dicitur: at experientia multum reclamat, cum dentur tales qui minimè fortunati. Aſt cum hoc *accidat eis qui facili partu excluduntur*, & ubi cuticula hæc maturitatem perfectam nacta fuit, hinc ſanitatem longævitatemque præſagire credibile eſt.

Sic & quibus umbilicus citius decidit, minimè longævi ab aliis habentur, & contra quibus tardius.

Infantes ſi pallidi admodum hanc lucem vident, ſignum eſt conſtitutionis debilioris, niſi inde ortum pallor traxiſſe videatur, quod mater ante partum diutius cibo abſtinuerit. Rubicundus præterea color plus fortes denotat.

VI.

DE NÆVIS INFANTIS.

Quod *ſi nævi obſerventur*, obſtetrix eos peroptimè & ſubitò *fricet ſecundina calida*, & ſi hoc medio non ceſſent, illinantur ſæpius *ſucco ex viridibus nucum juglandum corticibus expreſſo*, ac nigreſcet cutis, quæ ſeparatur. Si verò nondum ſublatus videatur ſemel inunctus nævus, reiteretur ſæpiſſimè inunctio cum dicto nucum aſſervato ſucco, atque hac methodo nævi minores facilè auferuntur.

Quod ſi verò ſtigma profundiores egerit radices, cujuscunque etiam ſint formæ, nunquam tangantur Chirurgica manu, ne exulceratione inducta major inducatur deformitas, vel in præſentius periculum homo præcipitetur. Interim *alii ad nævos empyreumaticos*, ſi genas defœdent, admodum *laudant, linctum matris repetitum*, & per tempus continuatum, quo nævus collum verſus, vel alio ubi minus conſpicuus fiat, compellatur. Hoc verò opus matres, vel uxores maritis

maritis sæpè injungunt, cum efficacius operari credatur: rem experientia comprobatam observavi.

Item si matres filias altâ fronte ornatas exoptant, puerperii diebus eas diligenter lingant jejunis horis retrorsum occiput versus, atque hæc matrum cura & sollicitudo sit.

VII.

DE CAPILLIS RECENS NATI.

Capilli si qui simul nascantur *in balneo eradicentur* vel novacula abscindantur, & squamulæ subnatæ deglubantur, aliàs scabiosi & furfurosi facilè evadunt.

Sunt, qui, ut capilli bellè crispentur, ante balneum caput vino generoso albo abluunt: Alii novacula sæpius capillos abradunt crescente lunâ, primoque anno, quo eundem effectum præstant, & multò meliorem, cum capiti admodum conducat, & poros ejus recludat.

VIII.

DE FASCIATIONE.

Infans fasciis rite involvendus, ne brachia vel crura incurventur, etsi alii contra haud fasciati recta membra acquirant. Hoc tamen commodi utplurimum in recens natis fasciandi modus habet, quod si brachia ligentur, non facile ex motione eorundem terreantur & inquietentur parvuli.

Sic etiam capitis figura deformata, hac methodo corrigitur & vel rotundior vel longior effingitur pro matris lubitu.

Nasus item si vel depressus vel acuminatus nimium videatur, hoc modo formam adsciscit debitam, si vel attrahatur vel deprimatur diligenter.

Sic pedes incurvi hac via corriguntur.

IX.

DE MEDICATIONE INFANTUM.

Parvuli medicaminibus & sudoribus sunt assuefaciendi, ne aversionem

fionem exinde concipiant, atque eo melius cum ægrotant, tractari queant. Interea tamen non ejus opinionis me quis judicet, quod infantibus sæpius medicamina porrigere debere suadeam, sed potius quod parca manu eadem propinemus, quo ipsa natura sui curam suscipiat.

Ast judicio hic opus, ne naturam succumbere permittamus: *Major enim Medici prudentia est nosse quando medicaminibus opus non sit, quam ordinariè medicamenta morbo congrua.* Lange Recept lange Curen: & Medice vivere est pessime vivere: aut enim morbidus est qui ita vivit, aut morbidus fit. Philosophicè verò vivere est optimè vivere, quia sic secundum naturam vivitur, nec morbis occasio datur.

X.

DE HÆREDITARIIS INCLINATIONIBUS &c.

Considerandæ porrò se offert συμπάθεια & ὁμοπάθεια *matrum & infantum*, in morbis & membris affectis: Infantibus enim innatas observamus tam affectiones & cogitationes, quam morbos matrum, & quicquid gravidæ evidenter & singulari quodam desiderio vel efficiunt vel sentiunt, id fœtui imprimitur, utpote Venus, ira, pudor; sic singularis in cibis delectus, exercitium item memoriæ, gaudium, tristitia, terror ab insolitis & repetentinis objectis eis adhæret.

Sic & extra uterum sæpè illi comperiuntur affectus oculorum, matribus antea communes, tussim item, dolorem colicum, stranguriam, alvi obstructiones, vel ejusdem fluxum, erysipelata & similia. Nonnulli incurabilem & phthiseos & Hectices inclinationem retinent, &c.

Infantes quando sitiunt, ubera matris præter voluntatem lac fundunt, licet ejus copia non adsit, vel infans & mater longius ab invicem distent.

At hoc non omnibus, nec ex hac semper & sola causa matri accidit, quemadmodum cruentatio interfectorum non semper fit præsentibus homicidis, vel cum ea accidit homicida etiam non præsente.

Item *cum infans moritur, plerumque ante mortem lac evanescit*: vel

vel cum mures lintea rodunt quæ lacte perfusa fuere, idem effectus præsto est.

Atque hujus rei diversa & varia dantur experimenta circa res naturales, *quæ si quis non credit nec intelligit, discat quod spiritus natura sit prior corpore, & ex spiritu omne generetur corpus quod generatur, quodque omnis generatio & omne contagium sit in spiritu & ex spiritu, quod spiritus sint & moveantur etiam absque tempore* ἐν τῷ νῦν, &c.

XI.

A FRIGORE ETIAM ARCEANTUR PARVULI.

Si enim ex hoc vel in facie, vel manibus & pedibus læduntur in delicata sua juventute, nunquam cutem obtinebunt lacteam, sed squalidam aut sub fusco rubicundam, generi fœminino exosam eam per viam servant, quod curiose observent matres.

XII.

QUÆ CIRCA QUIETEM OBSERVANDA.

Naturalis quædam & singularis facultas adscititia est, *quod infantes nonnulli admodum sint quieti* nec multum plorent, *alii è contra vagientes, clamosi & sordidi.*

Interea tamen multæ dantur causæ quæ infantes inquietant, quos quidem *docti* tanquam superstitiosas rejiciunt, *cum corporalia corporaliter tractent.*

Ad diligentes matres plurimum harum rerum observant, quæ nec *Plato*, nec *Aristoteles* vel *Galenus* notarunt, v. g. *Si fasciæ à meridie Soli exponuntur, vel vesperi post occasum Solis in aëre diu relinquuntur, infantes qui his involvuntur dulci privantur quiete*, & hoc mirum quomodo Sol à meridie, & post occasum, eundem præstet effectum nec alio tempore talem.

Sic *si parvuli eum in locum portantur per quem vesperi lassatæ diurno labore bestiæ stabulum repetunt, similiter eis quies adimitur.* **Sie kommen auß der Ruhe.** Interim hi plus alii minus offenduntur, juniores namque magis quam adulti afficiuntur.

Item cum infantes citius quam debent exſuſcitantur, vel ultra conſuetum tempus à quiete arcentur, & in ſomno turbantur, prava quies ſequitur. Hinc certæ eis horæ deſtinentur quibus cibantur, quibus elevantur, quibus excitantur, & quibus ſomno deſtinantur, &c.

Motiones fortiores vitentur tam animi quam corporis ex his enim ſomnia enaſcuntur terrefacientia & inquietantia. Obſervamus hoc cum ſaltando parvulos præter modum, vel riſu nimio exercemus, aut terrefacientia eis objicimus, quod noctu hæc admodum perſentiant, & juniores plus quam adulti, quorum phantaſia variis aliis objectis jam firmata magis degit: Et cum diutius ita incommodentur, tandem in conſuetudinem inquietudo degeneret vel morbum.

Non item benè dormiunt, qui reliquo corpore calidè nimis tecto pedes denudatos habent, ac ita ſibi varia mala adſciſcunt, melius ideò tegumentum temperatum eſto, ne vel pedes vel pectus denudandi anſa detur.

Nec etiam benè dormiunt illi parvuli, quibus caput altius locatur, proptereaque ſitus æqualis ſit. Fortiter quidem illi dormiunt, quorum caput reliquo corpore humilius locatur, at hoc ſenſus obnubilat: in omnibus ergò his temperies notetur.

Dantur porrò aliæ inquietationis cauſæ, v. g. *cum ſtramen cunearum haud ſæpius mutatur*, nec faſciæ mundæ & ſiccæ adhibentur, *vermiculi eis innaſcuntur præprimis hyeme, quod mirum, cum æſtate rarior eorum ſit generatio:* hi verò vermiculi infantes neque mordent neque fugunt, & tamen eos ita incommodant, ut atrophiam ſæpè inde incurrant parvuli.

Stramen item cunearum vel faſciæ ſi comburuntur, ſimilem inducunt effectum, ſed quæ cauſa? quod extra corpus, & contactum, adeoque extra omnem infantis ſenſum, etiam multis parietibus ſecluſum afficiat infantem dicta ſtraminis vel faſciarum combuſtio, an elementares qualitates abſenter, & in abſentia agere poſſe putas? equidem non credibile, ſed aliæ ἐν τῷ τῦ ἄςρων στοιχείῳ *cauſæ dantur*, quorum ope qualitas ablato & exuſto ſtramini additur inquietandi parvulos, & contra,

utpote

utpote *cum ſtramini, cujus faſciculo infantis caput in balneo impoſitum fuit, infans ſuffiatur, quietem recuperat.*

Res veriſſima & plurimis ruſticis abſque ſuperſtitione nota & ſæpius experta.

Negent hoc qui velint Galeni aſſeclæ, & cum Ariſtotele ex qualitatibus elementaribus hanc ſententiam ſtolidam exclament, nil impedit.

Vix eis auditum eſt *ſecundinam in ſterquilinium defoſſam*, aut aliàs negligenter tractatam, *facere* ſi non *ægrotam puerperam*, attamen decoloratam per omnem ſæpè vitam: hinc propter haſce cauſas refoſſam aliterque defoſſam cum εὐφοείᾳ ſanitatem intra triduum vel quatriduum attuliſſe, aliquoties memini. *Secundinam nimis ſalitam* (ſale namque condiri ſolet,) *puerperam reddere ſitibundam*, mulierculis non tam perſuaſum quam cerebra experientia comprobatum, &c.

Jam Magiam naturalem & innoxiam diſcat qui poteſt, & talia credet & intelliget.

Porrò *ſi parturiens eò locatur, ubi antè multos annos cadaver hominis demortui repoſitum fuit, vel in quo loco homo exſpiravit, non pariet parturiens donec transferatur aliò:* hinc in nonnullis terris non inutilis mos ſervatur parturientem illuc locare, ubi menſa ſolitò locum obtinet, cum ibi raro mortuis locus detur.

Hanc rem niſi expertus fuiſſem aliquoties ſuperſtitioſam credidiſſem.

Præterea optimè notum, quantum ſit contra fœcunditatem faſcinum in mortuis & contingentibus mortuos. Quarum *actionum modus ex ſpirituum doctrina ſat cognitus.*

Sic *ſi primus congreſſus conjugalis ſit in lecto cui quid de ſtramine vel linteis ineſt, quibus cadaver humanum ante impoſitum fuit, iſti conjuges aut fiunt ſteriles, vel nullos infantes, aut raro ſervant.*

Et quis eſt quem lateat, quantum valeat ad tollendam virilitatem acus, quâ olim cadaver humanum compunctum fuit, defixa in loco ubi maritus urinam reddidit.

At hæc multis impoſſibilia creduntur, cum nec ex elementis vel corporali contactu illis exortum videantur duxiſſe, neſcientibus non corporum

ſed ſpirituum hæc eſſe producta, ad quorum actiones percipiendas noſtri ſenſus admodum ſint inepti. At diſcerent illi qui Ariſtotelis ἐνέργειαι σωματικαὶ quid ἀσωματικαὶ, quid item degeneratio caloris naturalis in igneum, quidque ille ſit, & quid differat ab elementali igneo: ſane non omnes cauſas in elementalibus qualitatibus inveſtigarent.

Cumque hoc modo parvuli quiete privantur, nutrices ſomnolentæ admodum laudant capita papaveris, & exinde parata medicamina v. g. recipiunt duo vel tria capita papaveris, inciſa minutim coquunt cum lacte vel cereviſia, & de hoc decocto ſæpius cochlearia propinant. Aſt cum hæc prædictis non obſervatis irrita non ſolum ſint, ſed inſuper hæc & ſimilia ex papaverinis vel opiatis parata, ad ſtupiditatem, oblivionem & majorem ſæpè ſomnolentiam quam par eſt diſponant, hinc vel planè omittere vel externè ſaltem ſi opus, applicare conſultius erit, ac tum *folia papaveris recentia faſciis ſuppoſita*, vel pedum, capitum papaveris decocto lotio, vel *radices hyoſcyami* vino incoctæ, & cum petiis capiti & pedibus calidè applicatæ ſufficiunt.

Aliàs admodum laudatur *mandragoræ radicis drachma*, cum vino ad terrias decocta & cochleatim propinata.

Non enim ejusdem cum opio, ſolano, hyoſciamo &c. naturæ eſſe obſervatum fuit, proptereaque etiam absque omni noxa in magna quantitate exhiberi poſſe expertum eſt: moderare namque absque omni detrimento refrigerat, animales ſpiritus purificat, hinc maniacos quietat, quod neque opium neque hyoſciamus efficiunt, licet ſomnum inducant.

Provocat mandragora menſes & hæmorrhoides, attemperando & confortando, inſipida eſt inodora, ideoque omnis exceſſus expers. Fœcundas item reddere mulieres experientia docuit.

XIII.

DE CUNEARUM MOTU.

Quoad poſſibile *parvuli cunearum motui non ſunt aſſuefaciendi*, propter incommoditates quas noctu creat continuus motus.

Duplex datur cunearum motus, prima ſpecies caput elevat, pedes deprimit & viciſſim, non admodum eſt conveniens.

Altera

Altera quæ ab uno latere in alium parvulum movet melior, imprimis illa motus ſpecies cunarum pendularum, quæ intra circuli fit circumferentiam & latera elevat, ſecus quam quæ in terrâ movetur ac latera deprimit.

Providæ matres lectui item ſuo parvulos non imponant noctu quo ad ubera dormiant, & hoc propter periculum & ſuffocationis metum ut expertum fuit ſæpius, ſed lactatos cuneis ſuis rurſus immittant.

XIV.

QUÆ CIRCA EDUCATIONEM OBSERVANDA.

Parvuli porrò diligenter arcendi ab inſolitis motibus terrefacientibus, clamoribus, ſonitu, doloribus repentinis, vel ab igne vel ictu, &c. nec *multum ridere eis conducit*, cum noctu hæc non rarò eis appareant ut terreantur, ſæpius item exinde convulſiones patiantur, vel ad alia per vitam ſæpius non corrigenda mala præcipitentur.

In ſomniis territi nomine ſuo compellandi, & nomine JEſu benedicendi.

Pro præſervatione collo eorum appendantur, *corallia*, *ſemen pæoniæ*, *lapis carneolus*, vel quod hæc antecellit *Electrum minerale immaturum ab Helmonte* tantopere laudatum & in immundo ſpiritu ſimul liberando commendatum.

Præterea *non titillentur multum*, nec ſaltibus nimiis exerceantur, cum illud loquelam difficilem, hoc verò ſæpè artuum luxationes eis contrahat.

Si cum parvulis *matres vel nutrices* ludunt, *caveant ne fortioribus palpis eorum os percutiant*, cum exinde difficulter dentiant & difficilius loqui diſcant, quod etiam fit ſi caput molliculum duris excipitur ictibus, unde non rarò planè muti & ſurdi evadunt.

Item ſi à tergo verberibus fortioribus tractantur, **wann man ſie viel im Rücken ſchlägt**/ balbi facillimè fiunt.

Si corrigendi vel pœnis afficiendi plus adulti, virga id fiat, quæ magnas vires obtinet non ſecundum Ethicam ſolum, ſed multo plus ſecundum Phyſicam & Medicinam. Et ſi Parentes quibus ut plu-

rimum infantes moriuntur nec vix eos educunt, si dico isti virgam consulerent, cum inobedientes, contumaces, pertinaces sunt, pro Medicina eis conduceret.

Ast hoc paradoxum quam certum est secundum Physicam, tam multis incredibile videtur.

Dantur Parentes qui suos filios irrationabilius quam suos canes educunt, quippe illis omnia remittunt, in his minima non castigant, putantes filiis minima non opprobranda, cum tamen hæc non permittenda ne majora sequantur vitia: *Exemplum Æsopus habet.*

Bestia canis unius mensis ad virgam se accommodat, quid ni unius anni infans, & qui in sua juventute malè educuntur, crescentibus annis nunquam meliorantur, hinc utplurimum *Heroum filii noxæ*, nulla alia ex causa, quam quod absque pœnarum metu educati sint, quippe qui acumen ingenii addit, quo illi utplurimum tunc destituuntur. *Et hæc methodus Altissimi est quâ humiles extollit superbosque repellit.*

Interim *infantes si castigandi* non hoc fustibus sed *virga* fiat, in hunc finem à Deo benedicta. *Patres verò huc respiciant & educationis præcipuæ curam habeant, cum vel matres lenius, aut si noverca irrationabilius liberos tractent.*

Cum ratione verò pueri castigandi & assuefaciendi, quo discant compescere iram & cedere superioribus. *Ad sanitatem namque tuendam maximè conducit infantibus adimere pertinaciam*, & è contra injungere obedientiam: Et *quicunque homo suas cupidines compescere haud discit, is maximis sæpè ægritudinibus fit obnoxius, nec major in Maniacis causa quam pertinacitas, cum qua postmodum conjuncta ira vel tristitia spiritus animales inquietat & inflammat, quibus tunc jungun-tur corporis vitia videl. sanguinis impuritas, & hinc spirituum animalium denegatus liber motus & generatio balsamica.*

Sic pertinaces infantes gravius semper decumbunt quam mites & patientes.

Unicum autem hujus rei remedium virga suppeditat, post quam si quasi singultiunt infantes, pertinacitatis signum est, nec desistendum,

ſtendum, ſed continuanda virga donec ſingultus mentitus remittat, ſi verò quaſi ſuffocari velle videantur, **wann ihnen der Athem außbleibt**/ virga aliquoties in faciem cædantur, oculos tamen cavendo, ac citò redeunt ad ſe, non tam ex cauſis Ethicis quam Phyſicis: ſunt enim veluti cordis convulſiones, quæ pertinent Medicinam non ſecus ac motus convulſivi à cerebro generati, ambo enim à ſpiritibus malis ortum trahunt. Atque hæc res etſi multis videatur ridicula, certiſſima tamen.

Ancillis verò prohibendum, ne cum infantibus rixas inſtituant, ac hi tunc iracundi & rixoſi evadant, non ſecus ac juvenes canes, quibus ſæpius aures vellicantur, mordaces fiunt.

Curioſe item obſervandum ſi infantes præter conſuetudinem & inſolitè plorant & vagiunt, tunc cauſa indaganda, & ſi ea à contracto quodam per ancillas malo vel dolore ortum habeat, in tempore ſuccurratur, ne cælato, in pejus fiat degeneratio per vitam non amplius corrigibilis.

XV.
DE APERTURA CRANII.

Cranium diutius apertum quod attinet, de hoc notetur quod antequam coaleſcat, infantes vix loqui diſcant, quapropter cautè hic locus tractandus, cum inſuper necari hic facile tenelli queant. Et quando hic locus nondum duriter coaluit, acictu forti huc percutitur infans, deprimitur cranium & incurvatur, unde tum Epilepticis inſultibus fores facilè recluduntur, niſi attollatur rurſus vel Emplaſtris attractivis vel capillis attrahatur, aut ſi cranium jam duriter coaluerit (& urgente neceſſitate,) trepano reſtituatur.

Hoc verò vitium videl. *ſi cranium incurvum permaneat* nec curetur, etſi Epilepſiam haud inducat, *hominem* attamen *reddit ſtupidum, & malè loquentem & audientem per vitam.*

XVI.
DE DIÆTA INFANTUM.

Ratione diætæ omnia ſaccharata & ex melle confecta, infantibus ſummè

ſummè plerumque nociva fuiſſe compertum eſt, eorum enim ſpiritus, quos dulces eſſe oportet, rudes adhuc, hæc à natura & Sole excocta ac perfectioni proxima dulcia ulterius perficere haud poſſunt, quin occaſione alterandi data, relabantur & priſtinum eſſe, aciditatem nimirum recuperent, ut hinc infinita poſtmodum infantilia mala cauſam ſumant, dolores colici videlicet, cardialgia, Epilepſia, aſthma, variolæ copioſæ, dentitio difficilis, atrophia & ſimilia.

Saccharata ergo vitentur quoad poſſe, omnia enim medicamina alias per ſe ſatis efficacia, hac miſcella convenientem ſuam texturam perdunt ut tum inefficacius operationes perficiant, ſicuti quilibet per experientiam ſi credere alias nolit, obſervare belle poterit.

Purgantibus verò ut & anthelminticis addere non nocet, cum fermentationi tunc neceſſariæ ancillentur, & expellantur rurſus.

In fluxu alvi dyſenterico diarrhæa & ſimilibus quantum detrimenti afferant tam parvulis quam adultis, ac quantum tunc legitimis aliis medicaminibus *juncta ſaccharata noceant*, & *quantum dolores intendant*, mihi admodum conſtat, quod pauci notant, ac propterea de medicatione ſæpius deſperant, putantes morbi malitiam effectum edere, cum ſaccharata admiſta principale addiderint ſymbolum.

Vinum nulli conducit infanti pro ordinario potu, cum inde admodum extenuentur ſecus quam illi quibus lac propinatur.

Interim dantur qui lac tanquam inſalubre rejiciunt & damnant, neſcientes nec obſervantes, eos qui lac pro ordinario ferè & cibo & potu aſſumunt, plus ſanos degere, cujus exemplum *Helveti* ſuppeditant montani, reliquis & robuſtiores & pulchriores. Nec *Julium Cæſarem* hujus rei fuiſſe ignarum inde patet, quod ſtatueret Germanos ſuo ævo fuiſſe robuſtiores, quod lacte utplurimum uterentur.

Sic in contrarium jam haud malè judicaretur, ſi defendere conaremur hodiernos Germanos cortugatos ferè evadere cum plus vino quam lacte utantur.

Hoc obſerves, ſi intucaris diverſarum terrarum incolas, illi namque qui plus vini bibunt, plus ſemper extenuati aliis qui vel lac aut cereviſiam aſſumunt, apparebunt.

Lac

Lac est cibus omnium salubris, si enim vel Deus aut ab eo producta natura melius quid voluissent, non parvulis, ac bestiis junioribus hoc dicatum fuisset.

Et quis est tam stolidus qui parvulis vinum pro lacte porrigeret. Et *qui Hectici lacte non curantur, rarò sanescere compertum est.*

Quod verò non omnibus infantibus lac conducat, matrum & dispositionis lactis inde culpa est, modò infans aliâs sanus degat, res enim optimæ corruptio pessima, lac enim corruptum acescens, saccharo degenerato similia mala, videl. tormina, asthma, epilepsiam, & varia alia exsuscitat. Degeneratio verò lactis contingit in corpore perinde ut vinum à naturâ & Sole minus perfectum, in vase dein acescit & mucescit.

Hinc si Parentes perfectâ sanitate haud præditi, & *mater cacochymica*, sanos velit conservare infantes, *nutrici sanæ committere necesse habet*, satius namque humores peccantes non generari, quam genitos evacuare, & licet tantum evacuentur, subinde tamen regenerantur, ac ob id, etsi semper evacuando, ægroti non sanantur: *neque enim purgantia attrahunt humores instar spongiæ, vel quemadmodum magnes attrahit ferrum, sed per modum fermentationis hæc operantur quia superant & superantur*: Sæpius item purgantia non solum pravos humores sibi proprios generari faciunt, sed & facilè corruptibiles humores penitus corrumpunt: Natura verò stimulata multitudine talium humorum ejicit & recenter genitos, ac prius in corpore latentes, ipsa tamen depravatio non tollitur, quin sæpius augetur.

Et *Hippocratis consuetudo non fuit toties & tam nulla de causa ægros purgare, quemadmodum hodiernum Medicorum cacoëthes est, qui fere præter purgationes nil norunt, & de causis generationis humorum & ejusdem speciebus ac antidotis nil vel sciunt vel cogitant.*

Si abstemius vini (defectus hic est naturæ,) *vinum culpat*, & aliis tanquam Medicus præcipit, *derisui habetur, Sacræ enim hunc commendant, sic & lac.*

Quod tamen non omnibus, nec etiam semper conducat, hoc ciborum

combinatorum causa est qui non concordant : sic Lac & Vinum, acetum & Lac, pisces cum lacte, uti & lactuca, nunquam simul absque damno aut quodam incommodo uno in pastu comeduntur.

Natura enim paucis contenta, & cibus simpliciſſimus optimus. Sic petaso crudus, lardum item & farcimina infumata cibum suppeditant admodum salubrem & robustos efficiunt homines, at non in calidioribus terris, nec ubi vinum & otium comites sunt, sed ubi cerevisia & motus accedunt.

Perversa ideoque nutriendorum ingestio cane & angue pejus vitetur, & tam qualibus quam quanto peccans, hæc enim cum adultos perdat, quid non detrimenti afferret tenello infanti spiritibus rudioribus prædito. *Ex hac causa, Propheta Daniel, Regium mensam recusat*, ne lauta ac pingui diæta, vinoque forti tam corpus quam animum obrueret.

Matres verò huc respiciant, quo infantes in cibo & potu, somno item & vigiliis, munditie & similibus justè observentur, ne in juventute perdantur, ac tum per vitam pravam inclinationem servent.

Si matres cum prægnantes sunt, & nutrices, sui curam habeant, si enim tunc vini adusti multum bibant, infantes isti nunquam staturam acquirunt legitimam, sed per tempus vitæ, debiles & parvi manent.

Non concedendum pueris *ut assuescant cibos absque pane comedere*, hoc enim modo augmentum haud capiunt, sed palleſcunt ac debiles evadunt vermibusque replentur, hinc evenit quod divitum filii plerumque tenerioris sint constitutionis, pauperum verò sæpius plus sani & fortes, qui pane vix saturantur, quemadmodum etiam non rarò rei hujus aliæ dantur causæ. Interea tamen pueri delicate minimè educandi, sed robustioribus sensim assuefaciendi.

CAPUT

CAPUT II.

Infantilium Morborum curationes præscribit.

Paragraphe I.

ERYSIPELAS PUERILE.

AD præservationem morborum infantilium spectantia præmissis *nunc ad ipsos devolvimur morbos*, *qui* ut supra demonstratum, sufficienter *ex prava lactis materni alteratione & dispositione*, *tam in quam extra uterum originem ut plurimum ducunt.*

Comperimur hoc citò citius si scilicet mattres vel *nutrices irascuntur*, *vel terrore afficiuntur*, *aut erysipelate tentantur*, hoc verò tunc alteratum lac paryuli sugant, quod præstò subitò sit infantilium malorum Lerna: Torminibus enim hinc afficiuntur, quiete privantur, postmodum verò excrementa secedunt mucosa ex flavo-virideſcentia: quarto sudor eorum acidum redolet, ac tum *Phlegmon* adest *vel Erysipelas puerile*, sæpè sub purpuræ miliaris specie ab aliis der Frieſel dictum, communissimus puerorum morbus, multis Medicis incognitus vel non satis exploratus.

Frequenter vero hoc affligit, quando mattres sunt biliosæ, texturæ rationis, vel calido Epate, corpulentæ, aut crasso sanguine degunt.

Memini relationis certissimæ, ubi ab exorto incendio cujusdam civitatis periculoso, lactentes plus centum post diem ab incendio septimum hoc morbo correpti, horum item plurimi die quarto epilepsia interierint: Ac ob hanc causam mulieres hunc morbum cum epilepsia sæpè confundunt, eundem morbum arbitrantes.

Hic verò morbus si unum, vel hoc aut illud infantis membrum obsidet & malè tractatur, contingens est ut illud non nutriatur sed claudum fiat.

Affectus hujus Cura sudore perficitur, in calore enim detinendi non secus ac si morbilli aut variolæ sint exprimendæ.

Vitentur verò refrigerantia omnia, qualia *aqua roſarum, plantaginis, cichorei, acetoſæ* &c. ſed horum loco Bezoardica expellentia conſtituantur, per quæ hic heterogeneæ factæ particulæ, & ſuo nexu ſolutæ ac præcipitatæ, ad peripheriam corporis, & grandulas intercutaneas, ſub ſpecie purpuræ miliaris cum rubedine & pruritu propellantur, ſubſequente pedetentim cuticulæ deſquamatione.

Talia ſunt *Aq. card. bened. flor. ſambuci, C. C. uſtum & ſine igne præp. unicornu, Tinct. bezoardica, Eſſentia ſalutis ex Myrrha, Tinctura caſtorei, liquor C. C. ſuccinatus, ſpir. ſalis armon. ſale volatile, oleoſum, aniſatum, aromatiſatum* & ſimilia ex ſalibus volatilibus conſtantia.

Eryſipelas adultos ſi adoritur, ſemper præcedit paroxyſmus tertianæ febris: hic verò paroxyſmus ad phlegmonem (ubi tumor cum rubedine non conjungitur nec fortis efferveſcentia,) levior eſt quam ad Eryſipelas. In his vero *ſudor acidum plerumque redolet.*

Morbus verò hic ſi introrſum migrat, nec expellitur, phreneſin non raro inducit, cum circa caput materia hoſpitetur, lipothymias verò malignas ſi circa cor.

Si vero Hepar vel Lienem aut meſenterium occupet, ſcyrrhos, aſthma, quartanam, hydropem & ſimilia inducit, ſæpe etiam peripneumoniam & dyſurias feciſſe obſervatum fuit.

Si externum aliquod afficiatur membrum, ac hoc male tractetur, ſcyrrhi generantur & ulcera antiqua.

Illis quibus ſemel fixas in corpore egit radices hic affectus, nec expulſus fuit, ſæpiſſimè recurrere ſolet, imprimis ſi purgationibus materia peccans irritata & ſtimulata fuerit, non enim his per alvum materia maligna duci poteſt. Modum CARDANUS habet.

Et illi tunc infantes, quorum matres purgantibus naturæ motum inhibuerunt, continuò quam diu ubera ſugunt purpura miliari afficiuntur, & quando adoleſcunt hæreditario tum affliguntur.

Solis ergo ſudoriferis (non purgantibus,) locus hic detur, quo criſis promoveatur tam in principio quam fine.

Non enim hic affectus eſt ipſe primus morbus, ſed productum

quid

quid per crisin abinterna causa in secunda vel tertia concoctione existente, secus quam Græcorum vel Arabum, erysipelas & phlegmon, quæ ut apud GALENUM & AVICENNAM describuntur, sunt morbi calidis regionibus proprii, & per se primi, nec per crisin febris tertianæ vel alterius morbi exorti sicuti commonstrat medendi methodus: phlegmon enim & erysipelas Græcorum antecedit febres, ubi è contra apud nos fiunt per crysin imperfectam, & transmutationem materiæ febrilis, contrariam hinc medendi methodum desiderantes.

TORMINA INFANTUM.

Si maligna materia in primis viis stagnet, ac tormina inducat, præter bezoardica volatilia supra laudata convenit *Balsamus sulf. succinatus*, vel etiam hic pulvis absorbens & præcipitans pro puerorum affectibus quamplurimis ab *Excell. Ettmüllero* admodum laudatus, v. g.

℞. *Ocul. 69. præp.* ʒß.
C. C. sine igne. ∋j.
corall. r. præp. ∋ß.
myrrhæ el. gr. viij.
ol. volat. C. C. gr. vj.
theriaca gr. v.
olei anisi dest. vel. balsf. sulf. succini gutt. vj.

misce f. p.

cui si lubet *castorei* parum addi poterit.

Jam si materia præcipitata ad vomitum inclinet *vomitorium ex antimonio* detur legitima dosi cum pauco, saccharo, quod malignum & degeneratum acidum in stomacho subsistens, salutari vomitu exturbat, aliquoties repetitum.

Si verò alvum movere plus observetur.

℞. *Syr. de spina Cervin.* ℥ ß
spir. salis armon. vol. anisati ʒß.
ocul. ♋ præparat. ∋ ij.
aq. fœnic. parum, misce ac cochleatim propina.

Externè inunctiones ex *oleo carvi*, *abſynth. nucis meſchat. macis deſt. &c.* non negligantur.

Si verò pertinaciùs malum Epilepſiam inducere velle videatur, præter ſalia volatilia ſupra toties laudata & repetita, *Excell. Ettmülleri* ſuaſu *Auri fulminantis* gr. j. (vel ij. in paulo adultioribus & aliquot ſeptimanarum, *cum* gr. iij. *nitri* depurati exhibeatur, hoc enim præter alios effectus mirandos, tormina ſiſtere horridasque alvi dejectiones promovendo inſultus Epilepticos reſtinguere verè aſſerit.

Si externum aliquod membrum affectum ſit, *pinguia vitentur*, præcipuè ſi in ulcus degenerat eryſipelas, ſed *camphora Saturninis combinata applicetur*, vel *Elixir Balſamicum adhibeatur*.

Cum verò principalem hujus affectus cauſam *nutrices* ſuppeditent, præcipiendum ut iſtæ omnia hæc caveant quæ morbo huic quovis modo ſymbolum addere poſſunt, propterea que *præter iram & terrorem* ſedulò *caveant ne aquæ frigidæ diutius immorentur*.

Quod *ſi vero terrore inopinato, vel ira percellatur*, ac ideò lactis gravior alteratio metuatur, tum poſtquam lac ex uberibus emulctum, *Excell. Ettmüller præcipit ut ſperm. ceti* ʒß. vel ʒj. *cum antim. diaphoret.* ϑj. aſſumatur, & ſudor inde expectetur.

Aut in majori inflammatione, vel lactis caſeatione detur hoc vel ſimile, v. g.

℞. *C. C. ſine igne.* ϑj.
antimon. diaphor. ϑß.
ſalis C. C. vol. gr. viij.
card. bened. gr. xv.
aq. flor. ſambuci ℥ij.
miſce.

Mammis verò imponatur *Empl. de galbano crocatum Mynſichti* cum ana. gummi ammoniaci in aceto ſoluti, invicem liquefactis & linteo denſo inductis confectum, quam calidè ferre poterit, deſuper ponendo *ſacculum* inter paſſatum *ex oryza confectum* & probè calefactum, quo per ſudorifera dicta diſſolutum lac, horum adjumento promoveatur in motum, & ſtagnatio ejus ac caſeatio inhibeatur quantum poſſibile.

Infantes

Infantes qui hoc morbo intereunt, ſtriis ſubfuſcè rubris notantur, quod imperiti ab Epilepſia intra ventrem contenta, **nemlich von der Schweren-Noth im Leib**/ deducunt, & Epilepſiam à cerebro ortam cum depravato, & ab acido corrupto & alterato ſanguine, cujus ſtriæ iſtæ ſignum ſunt, confundunt.

II.

Non rarò tàm infantes quam adultos adoritur morbus, morbillis ferè haud multum abſimilis, maculæ videl. rubicundæ & elatæ, non ſecus ac ſi urtica eæſæ eſſent, cum ardore & pruritu, aliis **die Neſſelſucht** / hunc frigus præcedit ac ſi febrilis inſtaret paroxyſmus, cum anguſtia cordis, hinc à purpura miliari non longè differens.

Cura blando perficitur ſudore cum ſæpius una nocte cedat, nec rarò ultra quatuor dies affligat, quippe ab acido volatili ſingulariter corrupto originem trahat.

III.

DE VARIOLIS ET MORBILLIS.

Hæc ipſa prægreſſa rectà *nos ducunt ad explicandam morbillorum & variolarum* abſtruſam aliàs *naturam*, cum harum & fiendi modus & actus cum affectibus prædictis in quamplurimis conſpiret.

Angit inevitabilis ferè harum inſultus omnes nationes Europæas, cum *cauſa omnibus communis* ſit *lactis ſcil. nutritivi tam in quam extra uterum corruptela* hinc plerumque infantes & pueri, raro adulti affligi ſolent, in quibus tamen acor vitioſus per tempus occultari ſolet, donec ſingulari accedente diſpoſitione fermentum ſimile extrinſecus hauſtum efferveſcentiam redintegret, acido ſcil. corrupto cum ſale volatili maſſæ ſanguineæ conflictante, donec præcipitato & ſubjugato acido corrupto, ſpiritus vitalis ulteriorem ſeparationem inſtituat, ac hinc inde per vaſa capillaria, in forma puſtularum corruptelam exprimat.

Morbus hic cum imminet, *infantes noctu in ſomniis terrentur, inde excitantur, rauceſcunt, oculi apparent obnubilati, & halitus eorum poſt biduum quid dulce ſpirat.* Præterea non raro conqueruntur de capitis

ſpinæ-

ſpinæque dorſi dolore, præcordiorum anxietate gravi, ſubſequente ſæpius nauſea, vomitu, ſiti immodica & continua potus querela, tandem die quarto vel quinto maculæ efflorescere incipiunt, inſequentibus diebus in bullas exſurgentes quæ ſi omnes egreſſæ ſunt calor derelinquit, quam diu verò hic durat, tam diu variolas nondum omnes egreſſas notabis, ſolent enim inæqualiter admodum plerumque egredi, hinc calor menſura ſit quæ indicet an omnes egreſſæ vel an duplicatò erumpere velint, **ob ſie nemlich zweywüchſig werden wollen.**

Cum verò motus hic naturæ mediante calore perficiatur, hinc is adjuvandus tam internè adhibitis expellentibus, quam externo calore accedente, *non exceſſivo tamen, cum lente non violenter fiat naturæ motus*: Proptereaque frigefacientia omnia tam interna quam externa vitentur, quantum enim calori, tantum criſi & ſpiritui vitali detrahitur, qui ſi natura fortis, nec materiæ morboſæ copia obrutus, per ſe morbum vincit, ſed cum hujus fortitudo & vigor non ſemper nobis conſtet, hinc adjuvantibus in tempore ut ſuccurratur ſecurior eſt.

Proptereaque Excellentiſſ. Medici providè ſuadent, ut tempore graſſantium variolarum præſervationes compellemus, cum facilius non admittatur quam ejiciatur hoſpes, vel ſi planè præcaveri haud poſſint, attamen pabulum ſuperfluum eis ſubtrahatur quo mitius tum affligant.

Huic verò intentioni ut ſatisfiat, *laudant Excell. Ettmüller & Bohn Mercurium dulcem* tanquam ſingulare hujus morbi alexipharmacum, tam præſervans quam curans & viſcoſam pituitam acidam ſolvens, hac formâ propinatum, v. g.

℞. *Mercurii dulcis ritè parati* ℈ ß.
reſin. jalapp. gr. vij.
myrrhæ el. gr. v.
ocul. ♋ gr. vj.
conſerv. roſar. ʒß.

miſce & exhibe infanti 8. vel 10. annorum.

Poteſt

Potest verò dosis Mercurii dulcis, & reliquorum vel minui vel augeri pro ætatis ratione : at cum colocynthiatis & scammoniatis miscere caveto.

Si verò infans copiosa rudi bile repletum observetur, præstat exhibere *vomitorium ex sulfure antimonii* ritè paratum, quod bilem corruptioni obnoxiam leni vomitu exturbat, ac ita occasionem præscindit futuris & erupturis variolis, vel citam variolarum adjuvat eruptionem, & tolerandum reddit morbi cursum.

Si verò hæc præsidia neglecta fuerint in principio, ac variolæ nunc erumpant, expulsio earum debita promoveatur, ad quam obtinendam admodum conducit ex seminibus expulsivis facta emulsio, v. g.

℞. *Sem. card. bened.*
napi.
aquileg. ana. ʒij.
citri. ʒj.
aq. fl. sambuci.
scabios. ana. ℔ ß.

fiat f. a. emulsio sæpius propinanda, quæ si fortior expetatur, additis bezoardicis volatilibus aliisque fortificetur, v. g.

Tinct. bezoard.
salutis ex myrrha ana. ϑj.
castorei. ℔ ß. misce.

Si diarrhæa sub eruptione concurrat, malum, hæc enim eruptionem restinguit, vel retrocedere facit : melius ideò ut sint quodammodo obstructi variolarum candidati, facile enim hoc suppositoriis corrigibile existit.

In hoc verò casu bezoardica moderatè adstringentibus maritentur, v. g.

℞. *Sem. aquileg.*
card. bened.
napi ana. ʒj.
citri ϑj.
nasturtii ϑij.

terræ ſigillatæ.
C. C. *uſti* ana. ℈ j. ß.
lap. bezoar. occid. ℈ ß.

miſce fiat pulvis, qui doſi ℈ j. plus minus pro ætatis ratione *cum aq. card. bened.* præbeatur: vel ſi liquida arrideant, *Tinct. bezoard. lapid. hæmatit. terræ catechu* &c. miſceantur & cum idoneo vehiculo aut ordinario potu, convenienti doſi propinentur.

Aliàs ſi regreſſum faciunt & recedunt variolæ, tunc calor revertitur, ac diarrhæa inſequitur lethalis, & rarò in hoc morbo moritur homo abſque diarrhæa, niſi adſit malignitas, vel malè tractentur variolæ.

In hoc verò caſu maxima adhibenda eſt diligentia ne homo moriatur: non verò præſtantiora huc dantur remedia quam ſæpius laudata *Eſſentia ſalutis, ſive Tinct. myrrhæ caſtorei, croci, bezoardica, lapid. hæmatit. ſal. volat. C. C. viperar. &c.*

Externè verò *in auxilium vocentur veſicatoria* quæ efficaciſſimam hic ferunt opem vulnuſculis per aliquot dies apertis retentis, in quem finem *Empl. Norimbergenſe cum tantillo Empl. veſicatorii* miſceatur, quantum ſcil. ſufficere videtur ad irritationem, ac ita vulnuſcula aperta ſerventur pro lubitu, & donec variolæ rurſus egreſſæ, & retractæ è corpore obſerventur.

Hic morbus adultos plerumque quos prehendit, gravius affligit quam infantes, tam ob cutis denſitatem & materiæ craſſitiem, quam ob inquietem & motum: quo quis enim tranquillius jacet, eo ſecurius evadit. *Ratio docetur in Medicina Statica.*

Hæc ſi quis non credat, vel contra ſentiat, ille non ſolum ut moris eſt ægros inviſat, ſed apud illos dies noctesque perſiſtat, & ut veterum Medicorum diſcipuli ægrotis ipſe aſſiſtat, & omnia diligenter obſervet, atque in variis morbis varia deprehendet aliter ſe habere quam imaginantur ſibi Alexandrini. At cum horum diſcipuli ſint admodum delicati & præceptores ipſi utplurimum imperiti & timidi ut diſcipulorum inquiſitiones & judicia revereantur, hinc tandem accedunt Empyrici, vel Anus, aut Alchymiſta qui confundit noſtros Medicos magno cum dede-

dedecore Medicinæ rationalis, cujus pars est Alchymia erudita sive Philosophia naturalis quam Arabes, Arnoldus, Bernhardus, Basilius, Helmontius & alii exercuerunt.

Morbilli die Massern oder Röteln/ eadem habent signa, & eandem curam cum variolis.

Ante omnia vires conservandæ pauco sed optimo cibo & potu.

Nec ut supra monitum natura nimium impellenda, cum non vi sed successivè fiat naturæ motus, nec nisi secundum dies criticos velut quarto, septimo, nono, undecimo &c. secernatur materia separata, & sui juris facta, ac venis propterea hostili.

Variolæ tamen morbillis ob materiæ crassitiem periculosiores sunt. Ex variolis tamen securæ magis sunt albæ, rubicundæ verò & subfuscæ cicatrices relinquunt præter omnem adhibitam diligentiam, nec præterea sunt absque periculo, præprimis circulis lividis vel similibus notatæ.

Ratione potus convenit *Decoctum lentium cum ficubus & pauco fæniculi*, mediante aquæ & vini ana factum ac pro appetitu bibitum, vel item *stercus equinum* in ordinario expressum potu insignem præstabit opem.

Si tandem gravior acrimonia sub eruptione vel variolarum vel morbillorum *epilepticos* exsuscitet insultus, qui post eruptionem persistunt, (in principio enim & ante eruptionem neminem terreant cum sint sine periculo,) ac tum malum omen portendunt, tum *liquor C. C. succinatus sal. volat. cran. human.* &c. sibi paria vix habebunt, in robustioribus verò *specif. cephalicum ex cinnab. nativa cum sale volat. cran. hum.* &c. omnem paginam absolvent. Nutrix vero in potu ordinario *gelatinam C. C.* diligenter tunc assumat.

Vomitus si post excretionem variolarum recrudescat, (in principio enim tolerabilem variolarum cursum indicat,) ac ita variolarum regressum ad interiora monstret, tum *bezoardica tincturæ anodynæ maritata insignem opem præstant*, mitigatis namque symptomatibus ita exsurgit natura, ac sæpius tum in somno variolas cum leni sudore propellit.

Sic & *in diarrhœis* quæ tam in augmento quam in ſtatu ut plurimum funeſtæ ſunt, propter egreſſum quem planè remorantur, hæc eadem *tinct. anodyna bezoardicis remixta* malignitatem humorum temperat & mitigat, ac per cutim exigit potenter.

Hæmorrhagia nimia ſi ab initio jungatur amuleta ex bufone excellunt, actu verò frigida in epithematibus curioſe vitentur.

Principalis omnium cura in legitima conſiſtit expulſione, ſi enim in hoc opere natura deſes, nec arte juvetur, varia tandem remanent mala per vitam ſæpè non corrigenda, v.g. ſi in Pulmonibus ſtagnatio fiat, oriuntur inde aſthma, & tuſſis, ac tum reiteranda expellentia de novo. Hoc verò tum non per variolarum expulſionem, ſed per inſenſibilem fit tranſpirationem, quæ ſi intra dies 20. non contingit, idem fit quod in pleuriſi & peripneumonia videl. phthiſis ſequitur & hectica. In hoc verò caſu generoſiora exhibeantur pectoralia, *balſamis ſulfuris ſuccinatus, antimoniatus, ſpirit. ſalis armoniaci aniſatus* & ſimilia.

Si poſt variolas artuum dolores remaneant, exhibeatur *Decoctum ligni ſaſſafras cum paſſulis, eſſent myrrhæ, liquore C. C. ſuccinato &c.* nec externa antiarthritica negligantur.

Pro defendendis oculis fiat tale collyrium, v. g.

℞. *Aq roſar. fœnic.* ana. ℥ß. *ſacchari Saturni* ℈j. *perlar. præpar.* ℈ß. *croci, camphor.* ana. ℈ij.
miſ. pro collyrio, vel ſola *aq. roſar. cum multo croco* illinatur.

In faucibus defendendis gargariſmus repetitus inſtituatur factus ex *mucilag. ſem. lini cydon. ſyr. de liquirit. jujubis, papav. errat.* & ſimilibus.

Tandem ſingularis matrum cura eſt, ne infantes cicatricibus iiſque copioſis devenuſtentur, inque hunc finem varia tentant, ſed ſingulari hic methodo opus eſt ne vel tardius hæc applicentur, vel tardius maturatæ aperiantur variolæ, vel nondum maturatæ à parvulis deglubantur.

Curioſe ergo maturitatis tempus notetur, quod plerumque die ſeptimo, die undecimo, vel die decimo tertio accidit, quando ſcil. variolæ in medietate deprimi incipiunt, ac tum acu, inprimis argentea

tea si quis majores vires inesse persuasum sibi habeat aperiantur, & pus exprimatur, nec carnem profundius exedat, crustæ verò subnascentes haud removeantur, ne iisdem cicatricibus symbolum addant, sed *butyro caprillo cum camphora & croco* remixto diligenter inungantur, vel hoc *D. Fausii linimento*, quod v. g.

℞. *Olei amygd. dulc.*
lilior. alb. ana. ℥j.
ovor. ℥ß.
pingued. human. ʒiij.
sperm. ceti ʒij.
farin. oryzæ.
lupinor. ana. ʒß.
lythargyr.
sarcocoll.
sacchar. ana. ℈ij.
rad. bryon. pulv.
ireos flor. ana. ℈j.
myrrhæ el.
asæ dulcis ana. ℈j.

Pulverisata cribrentur & misceantur in mortario calido diligentissime, exprimantur fortiter & serventur.

Internè verò ad exsiccationem promovendam detur *pulvis oculor. cancri cum myrrha*, ac sine notabili fovearum vestigio variolarum crustæ decident.

Digbi ante variolarum eruptionem admodum commendat *folia auri toti faciei imposita & oleo amygd. d. humectata* quod in ancilla sic probatum dicit, ut dimidia faciei pars, quæ his tecta fuerit salvata sit, reliqua verò foveis deturpata.

Interim tamen alii *oleum amygd. d.* ad maturationem potius, *oleum verò ovorum* post aperturam ad explanationem fovearum conducere asserunt.

Ast etsi jam dictis ad fovearum maculas præcavendas rarò absque notabili effectu utamur, præprimis ubi materia vitiosa non adeò

copioſa, attamen ſi maſſa ſanguinea enormiter corrupta ſit, ac malignitas gravior, nil impediet quo minus foveæ deformes relinquantur ac facies deturpetur.

IV.

DE SCABIE, CRUSTA LACTEA &c.

Si ex nutritione vitiata, vel ex neglecta balneatione, *ſcabies, achores, lactumina vel cruſta lactea oriantur*, multum intereſt quo legitimè expellantur.

Balnea & ſudores repetantur, nulla namque ſcabiei major nutricula quam ſordities nec hoſtis major quam mundities, & quicunque ſcabioſi balnea metuunt difficulter ſanantur, etſi alii ſint qui contra ſentiant.

At expulſio procuranda quovis modo, tam per ſudorifera interna, quam per externa balnea, prægreſſis tamen prius ſi opus legitimis purgantibus.

Præterea admodum *laudatur ſperma ceti* ſæpius vel ſingulo mane exhibitum, cum hoc aliquoties ſcabiem quaſi leproſam curaſſe obſervatum fuerit.

Sic & diuretica non minimam præſtabunt opem, & ex his *ſpiritus ſalis volatilis*, qui per urinas ſerum corruptum & muriaticum potenter evacuat. Ex corruptione enim concoctionis tertiæ, ſalva manente prima & ſecunda, plerumque ortum trahit, & *hinc contagioſa non ſolum in alios homines, ſed & ex uno unius hominis membro in aliud*: Sicuti teſtatur *Helmont*, qui *cauſam & vitium in contagione virulenta pelli propria locat, quæque pellem ſaltem inficiat, ſic ut cutis nequeat alimentum ſibi deputatum in propriam vertere alimoniam, ſed potiſſimam ejus partem in ſalſum contagioſumque ichor traducat, hinc topicis ferè ſolis pruritivum iſtud ſal necari poſſe contendit*, quale *è ſulfure*, additis *radicibus hellebori albi*, & *baccis lauri*, paratum, quod omnem propemodum pellis ſcabiem contagio inimicum tollere prædicat: cui non incommodè balneum ſubſtituere poſſumus, quod v. g. fit ex

Fol. oxylapati. m. ij.
boni Henrici. m. j.
ſabinæ. m. ß.
radic. Helenii ℥. ij.
helleb. albi ℥. j.
ſulfur. vivi ℥. j. ß.
bacc. lauri ℥. ß.
raſur. ligni quajaci m. ij.
furfur. tritici m. iiij.

Conciſa & ſacculo incluſa coquantur cum aq. font. pro balneo, vel cum lixivio ex cineribus ſarmentor. vitis ſi fortius expetatur, & ſcabies rebellis & maligna.

Si puſtulæ cum calore & tenſione excruciant, ſuperponantur, *folia plantaginis viridia*, vel ſicca, aquâ propriâ rurſus humectata, vel *furfur tritici* cum aqua decoquatur, ac decocto huic manus vel pedes ubicunque dictæ puſtulæ excruciant, immittantur.

Si poſt tale balneum ſanies effluit bonum, ſi vero dolor tenſivus denuo moleſtet, illinantur puſtulæ *butyro caprino cum octava parte camphoræ* mixto.

Lactumina der Anſprung / ſi recedunt graviora exinde emergunt mala, velut ex variolis, retrogreſſis ferè, ubi è contra alii quibus diligenter expelluntur vel naturâ vel arte, admodum ſani poſtmodum evadunt.

Si verò cruſta ſit admodum ſpiſſa & tenax, externa ſimul accedant, ac tum fiat ex *oleo amygd. dulc. cum oleo tartari ſubtilis litus* qui illinatur blandè, poſtea verò ubi cruſta remota, & ſanies linteo *aq. ſperm. ranar.* humectato, abſterſa fuerit, inſpergatur talis pulvis, v. g.

℞. *Lapid. calamin. pulv.* ℥ j.
flor. ſulf. antim. ∋ ij.
ceruſſæ ℥ ß.
ſalis tartari gr. xv. miſce

Vel ℞. *ung. de ceruſſ. camphorat.* ℥ ß.
ſulfur. antim. ℥ ß.
ſalis tartari ∋ ß.

plus

plus minus prout acrius expetatur, ac ipso illita scabies citius exarescere desideretur.

Si saturnina remiscentur, non absque majori efficacia dicta medicamina operabuntur, v. g.

℞. *sulfur. antimon.*
sacchar. Saturni.
ciner tabaci ana. ʒij.
ung. alb. camphorat. ℥j. ß.
Mercurii dulcis ϑij.
olei camphor. ʒj.

misce.

Excell. *Wedelius* admodum laudat pinguedinem viperarum, cum qua elephanticam faciei scabiem, cum oculis rubicundis, inflatis & purulentis, manus item furfuribus horridas, sicca uvidaque uligine scorbutica infectas aliquoties asserit.

Alias in leviori pellis virulenta & contagiosa scabie non datur præsentius remedium quam hoc ex Mercurio factum linimentum, v. g.

℞. *Mercurii vivi* ʒj.
Olei lauri ℥j.
cerussæ ʒij.
camphor. ℥ ß.

misce.

Si grandiores tumores circa capitis confinia protuberant, pro eorum discussione applicetur *Emplastrum de meliloto cum oleo philosophor. malaxatum*, vel *Empl. de galbano crocato Mynsi. cum Empl. de meliloto misceatur*, & per tempus applicetur.

Si verò impexa porrigine fœdatum caput exstet, sequentem methodum si serves non aberrabis, primo itaque recipe *butyri recentis insulsi* ℥ij. *vitrioli albi* ʒij. misce: hoc unguento inungatur porriginosum caput per tres dies, quarto die probè eluatur caput *lixivio bis transfuso*, in quo infusa fuerint, *chamomilla*, *bethonica*, *levisticum*, *hypericon*, *radix oxylapati*, *bardana*, *fœnugræcum*, *&c.*

Post-

Poſtmodum capite abſterſo, capillos extrahe, ac tunc unguentum præſcriptum diligenter inunge rurſus per tres dies, poſtea lixivio dicto itidem rurſus ablue, ac capillo extrahe: ſi vero capilli iſti fortius inhæreant, fiat tale Emplaſtrum, v. g.

℞. *Picis alb.* ℥ ij.
ſutoriæ ℥ iiij.
colaphon. ℥ ß.

liquata calidè linteis inunge, ac maculis porriginoſis impone, ac per diem, & noctem relinque, poſtea abſtrahe ac capilli adhærent, hoc itaque bis vel ter repete donec capilli omnes porriginoſi ſint extracti.

Poſtea verò ad conſolidandas maculas ſequens linimentum inunge, v. g.

℞. *Ung. roſac.* ℥ j.
olei ſuccini.
juniperi.
therebint.
lumbric. terr.
philoſophor. ana. ℥ ß.
ſtrigmentor. equi ℥ ij.

miſce, hoc mane & veſperi loca pilis denudata inunge, ac capilli feraciſſimè pullulabunt.

Si levis porrigo extractionem capillorum haud requirat, hoc ſolum ſufficiet, v. g.

℞. *Picis alb.* ℥ ij.
axung. porci ℥ j. ß.
ſulfuris antimon. tartariſati ℥ ij.
arſenici cum nitro fixati ℥ j.

miſce, fiat unguentum.

V.

Eſt & alius infantilis morbus *Siriaſis* dictus, ex quo ipſi caput calet, oculi rubedine ſuffunduntur, vigiliæ moleſtant, ac atrophia tandem accedit.

Curatur hic affectus si *folia plantaginis*, *lactucæ*, *vitis*, *cucumeris*, *cucurbitæ*, vel *cucurbita ipsa* concisa capiti apponatur vel fasciis submittatur.

VI.

ATROPHIA INFANTUM.

Non rarò *cutis virulentum contagium*, alimentum corpori ita detrahit quo *atrophiam* incurrant infantes: in hoc casu sume *gallum Indicum* juniorem, hunc *deplumatum ac exenteratum* repleas *hordeo mundo*, cui *sarsæparillæ* ℥ j. addita sit, tum verò decoque ad casum carnium, ac ex contuso gallo expressum succum propina continuò absque omni alio & cibo & potu, accedente simul balneo ex herbâ cruciata, ac certò curabitur infans.

Si verò ab infimi ventris obstructionibus ortum videatur hoc malum, *BARBETTA* jubet propinare *liquorem tartari* in ordinario potu, singulis verò tribus vel quatuor hebdomadibus illos purgare, externè verò bis vel ter de die ventrem inungere hoc linimento satis experto, v. g.

℞. *Ung. dialth. compos.*
de arthanit. ana. ℥ ß.
martiati ʒ ij.
olei muccagin.
philosop. ʒ ß.

misce.

Si verò lactearum venarum obstructio pertinax sit, & ventris durities ac intumescentia non remittat, porrò commendat seqq. rotulas, v. g.

℞. *Chalyb. præp.*
Oculor. 69. præp. ana. ϑ j.
tartari vitriolat. ʒ ß.
Lapid. prunell. gr. xv.
spec. aromat. rosat. ϑ j.
sacchari albi. ℥ ij.

fiant, f. a. Rotulæ.

Si hæ ſæpius licet exhibitæ malum haud tollant, reſerantia fortiora, præcipitantia vel abſorbentia alternatim porrigantur, qualia de ſpleneticis ſufficienter tradita invenies.

Quo vero dicta hæc in actum promoveantur, fiat ſimul balneum ex cruciata antea laudatum, vel hoc, v. g.

℞. *quiſquiliarum ab aqua reject.*
herb. petaſit. ana. m. iij.
radic. rubi num. iij.
caput & pedes vervecis unius.

f. ſ. a. Balneum, caput videlicet & pedes decoquantur ad carnium caſum, poſtea immittantur reliquæ ſpecies ſacculo incluſæ & ſimul coquantur: Ac tum ſingulo mane balneo calido inſideat æger per novem dies, poſteaque balneum in flumen effundatur poſt occaſum Solis. Aqua verò mane ante Solis ortum collecta & ex eodem flumine depromta ſit.

VII.

DE OPHTALMIA.

Sæpius *à catarrhis viſus & oculi afficiuntur*, & ulcerantur, **nemlich ſie ſchweren ihnen zu**/ ac tum *lacte materno vel aqua roſarum aperiendi*, ſi verò ſæpiſſimè hoc recurrere ſoleat, *nuchæ* linteola *ſpir. vini, vel quod melius Eſſent. ſuccini madida imponantur, & caput ac pedes diligenter illis laventur hac eſſentia.*

Vel item ex *albumine ovi cum camphora* fiat linimentum, addita *ſucci ſempervivi majoris* debita quantitate, ac cum petiis applicetur. Aut plantis pedum imponatur *Empl. ex butyro. & allio* contuſis confectum.

Dantur verò etiam externæ cauſæ, ob quas oculi læduntur, v. g. cum quid incidit, vel cum Solem vel lucem nimium inſpiciunt, tumque viſus debilitatur & oculi facile ulcerantur. Sic ſi infantes nondum unius anni ſpecula multum inſpiciunt idem accidit, propterea hæc impedimenta removeantur.

Nutrices verò itidem curioſe hic obſervent quid lactenti nocere

queat, sic v. g. aliquæ à vino, aliæ ab aceto, à lacte, lactuca & similibus, sibi temperabunt, à frigore item, ab humido &c. quæ omnia diligens & curiosa mater observet, & si haud intelligat, Medicos vel obstetrices consulat, vel quod melius liberorum multorum matres. *Obstetricum namque communis perversus mos est, ut id cujus notitiam haud habent, parvi æstiment & vilipendant, nec ferant ut alii simul consulantur.*

VIII.

DE DENDITIONE.

Quo *denditionis laboriosum & periculosum sæpè negotium* promoveatur, & dolor plerumque conjunctus mitigetur, nec inde nervorum universum genus simul vellicatum convulsiones excitet epilepticas, omnis diligentia adhibenda.

Hic bonum est, si salivæ fluxus jungatur, scil. wann sie viel geuffern / nec hoc impediendum cum per se remittat, & si sistatur, facile epileptici insultus accedant.

Si febrilis æstus denditionem comitari solet, cum vigiliis & inquietudine, tum *folia lactucæ, tabaci viridia* pedum plantis applicentur, capiti vero *folia vitis, salicis, plantaginis, cucurbitæ*, &c. apponantur.

Alvus servetur aperta vel clysmatibus vel suppositoriis, *ex Hippocratis enim observatione minus illi convulsionibus tentantur quibus alvus crebro demittit.*

Si verò diarrhæa fortis accedat, ei resistatur acrimoniam temperantibus ac absorbentibus è C. C. paratis vel similibus.

Quo verò *gingivæ minus sensiles, simulque molliores reddantur*, crebrò *eis masticandum præbeatur frustum lardi* optimè fumati, vel *frustulum radicis altheæ, in aqua malvæ* maceratum.

Externæ verò maxillæ illinantur *axungia leporis, butyro caprillo*, &c. quod si fortiora desiderentur, *cerebrum leporis coctum, cumque melle permixtum*, ceu unum ex potentissimis remediis gingivis illine, vel hunc *Cnofelii Balsamum* commendatum sæpius inunge, v. g.

℞. *Butyri*

℞. *Butyri majal. non ſaliti* ℥j. ß.
pingued. gallin. ʒij.
ſucci cancror. fluviatil. expreſſ.
ſedi majoris ana. ℥j.

Coque ad conſumptionem humiditatis in diplomate, remanentiæ adde

ſanguinis è cryſtâ galli incisâ recentis. ʒj.

miſce, & poſt unam aut alteram reiteratam ebullitionem expreſſis adde *ſacchari candi* q. ſ. pro dulcore: miſce.

Si verò cuticulæ tenacitas egreſſum diutius & cum periculo remoretur, protuberantia verò gingivæ ſuperior candida, dentis jam proximè abſconditi ſignum exhibeat, PARÆUS jubet ſcalpello eam incidere, quod alii ceu expertum item commendant. *Videatur Ettmülleri valetudinarium infantile.*

IX.

DE RANULA APHTIS &c.

Sub lingua non rarò tubercula oriuntur, *ranula* dicta, quæ in ulcera degenerant, ac impedimento ſunt, ut difficulter ſugant parvuli.

His in principio occurrendum antequam ulcerentur, in hunc verò finem conducit *butyrum caprillum cum octava camphoræ* parte commixtum & diligenter inunctum, vel ſub mento etiam applicatum.

Si tandem exulcerentur, ſcalpello aperienda, ad purificationem verò tum, & inſequentem ſanationem illinatur ſæpius *ſyr. de Veronica cum pauco camphoræ*, quæ hic inſignes uſus præſtat tam lenien do quam tumores abſumendo & conſolidando.

Si glandularum colli tumor anginæ metum incutiat, idem *butyrum caprillum cum camphora* externè illitum opem fert, ac eſt polychreſta medicina in variis gingivarum, & maxillarum tam internis quam externis tumoribus.

Tumores reliqui *in nucha* & circa caput oriuntur, plerumque à ſcabie vel lactuminibus retrogreſſis, vel cum illa egreſſum moliuntur, poſt quem per ſe remittunt.

Si verò à retrogreſſis lactuminibus hi tumores oriantur, tum melius eſt ut ad exulcerationem perducantur. Si verò hæc propter dolores vel alias incommoditates metuatur, tum vide num ſetarum ope, **ob mit fleiſſigem Bürſten /** tranſpiratio promoveri poſſit. Vel *nitrum cereviſiâ ſolutum* cum petiis calidè applica, quod calorem extrahendo, tumoremque conſumendo effectum dabit non contemnendum.

Internè verò ſudorifera ſæpius laudata volatilia non omittantur.

Præter has exulcerationes etiam reliquæ oris partes, fauces videlicet, lingua, vel etiam Oeſophagus ipſe, pituita quadam alba ſubducitur, unde parva copioſa enaſcuntur ulcuſcula *Aphtæ* appellata. Harum origo cum à lactis aceſcentis corruptela in ſtomacho, & inde exſurgentibus halitibus accidat, conſultum eſt ut ſomes è ventriculo maturè ejiciatur, & nutrix ſæpè cauſam ſuppetidans ſui curam habeat, & ſi eryſipelate afficiatur, *ſudoriferis & Venæ ſect.* correctionem inſtituat, quo cauſa mal-ſubtrahatur, præprimis ſi cacochymia, & ſcorbutica diſpoſitione ſe affectam ſciat.

Quo verò hæ aphtarum moleſtiæ, quia lactationem infantum maximè impediunt, obque id periculoſæ removeantur, convenit optimè *Decoctum Veronicæ cum melle* in aquâ ſimplici factum pro ore eluendo.

Vel Recipe *cremoris lactis dulcis caprilli* ſi haberi poteſt, cochlearia 6. *foliorum ſalviæ cruciatæ* num. 6. hæc inciſa *cum cremore* coquantur leniter, *ad butyri decoctionem & brunitatem*, tunc per linteolum exprime in aquam frigidam, & coagulabitur butyrum, de quo tum ſæpius piſi magnitudine ori infantis immitte, & ulcuſcula cum cute alba abſcedunt: Si efficacius hoc velis adde *parum camphoræ* & in vaſe lapideo ſerva: alias item *butyrum ſalitum cum camphora* in hujus defectu ſubſtitui commode poteſt.

Si hæc ſucceſſum optatum haud edant inſtar omnium erit *linimentum ex melle cum ſpir. ſalis tantillo* ſubinde illitum, addito pauxillo *ſucco vel rutæ vel ſalviæ camphora, pulvere nucis moſchatæ*, &c.

Nares quando obſtruuntur, butyrum recens immittatur, alias difficulter ſugunt, ac potus aſperam arteriam facile illabitur.

Si

Si Uvula laxatur, vertici diligenter inſtilletur *Eſſentia ſuccini* vel *ſpir. vini*, vel *ovum ad duritiem coctum & per medium ſciſſum, ac pauco pipere aſperſum calidè applicetur & apponatur*: facile verò hoc accidit cum eis repentè & quidem vi papilla detrahitur hinc cautè tractandi tenelli.

X.

DE LUMBRICIS CRINONIBUS &c.

Vermibus repleti infantes noctu multum bibunt, vexantur in ſomnis, inquieti linguam ſugunt, tuſſiunt, nares ſcabie fœdatas, & ſimilia multa reperiuntur.

Van Helmont in genere hic laudat *Mercurii vivi decoctum* pro lubitu propinatum.

Aſt cum diverſa dentur vermium genera, opus quoque erit ſingulorum inſtituere conſiderationem.

Lumbrici die Spulwürm / ob ſignaturam ita dicti optimè necantur myrrhinis, qualis v. g. eſt *Tinctura ſalutis*, & ſimilia purgantibus quodammodo remixta. Sic

℞. *Rudic. mechoac.*
jalappæ.
corallinæ.
C. C. *uſti* ana. ʒ ß.
myrrhæ ϑ j.
olei citri ſtil. gutt. v. miſce, fiat
Pulvis cujus doſis variat pro ratione.

Vel ℞. *ſem. cannab.* ℥ ß.
citri. ʒ j.
aq. flor. perſic. ʒ iiij.
fiat Emulſio, cui adde corallinæ.
C. C. *uſti* ana. ʒ ß.
ſpir. citri.
tinct. myrrhæ ana. ϑ j.
miſce pro ʒj. doſibus.

Vel

Vel ℞. *lap. prunell.*
corallinæ.
C. C. *ſine igne* ana. ℈ß. miſce.

Vel ℞. *ſpec. diaturb. cum rhabarb.*
corallinæ ana. ʒj.
cinnab. antimon.
ſalis volat. C. C. ana. ℈j.
miſce, detur à ℈ß. ad ℈j. plus vel minus pro ætatis ratione.

Si infantes ſint nauſcabundi, externè umbilicus, venterque inungantur *oleo Maxvelli ex aloe, myrrha, & felle tauri deſtillato*, vel *Unguentum Ieſſenii* umbilico ſuperimpone, aut *pomum colocynthidos diſciſſum & cum felle tauri fixum* calidè quam ferre æger poterit, applica aliquoties repetendo.

Helmontii ſententiam, videlicet quod quo fermentum fellis haud pertingat lumbricorum extet patria, à ſcopo haud alienam indicant omnia bilem confortantia amara ſcilicet, quæ utplurimum lumbricorum hoſtes exiſtere experientia docuit: cum enim hoc principale fermentationis inſtrumentum in infantibus copioſo ſæpè accedente lacte aceſcente obruatur, non mirum fœcunda exinde propullulare putredinis producta, vermes ſcil. à quibus alimentum interceptum, vel varie alteratum, aut ſtagnans, glandulasque meſenterii infarciens cum abdominis ſæpè protuberantia, ac ita denegato nutrimento atrophiam contrahat, accedente plerumque alvo laxiore.

Quemadmodum verò ab his in primâ concoctione vel primis viis nutrimentum invertitur & corpori detrahitur, ſic datur & aliud vermium genus quod id in ultima digeſtione demum corpori aufert, ac *comedones* propterea vocantur, cum nutrimentum comedendo largius abſumant. *Crinones* etiam audiunt, quod ſub crinium forma ſæpius per cutis poros prominere ſoleant.

Horum *cura fit* tam præſervativè quàm curativè *per balnei repetitum uſum*, quod optimè fit *ex aquâ dulci cum modico melle*, quo hujus dulcedine allecti vermiculi per poros capitibus ſuis prominentes commode ſcalpello vel cruſta panis acuminata, vel unguibus abradi poſſint,

poſſint, eo vero in loco ubi vermiculi abraſi fuere, oriuntur ulcuſcula parvula à parte vermiculi relicti, quæ tamen per ſe intra diem ſeptimum ſonantur.

Alii optimo cum effectu *fuliginem camini cum melle & lacte mixtam dorſo illinunt*, poſtea vero *aquâ decoctionis Mercurii* ſæpe abluunt, ac his ſæpius repetitis comedones auferunt.

Accidere vero non raro ſolet, quod quo plus mediante balneo alliciamus & extrahamus dictos vermes, tanto plus de novo regenerari anſam demus, magna cum admiratione. In hoc verò caſu detur *balſamus ſulfuris imprimis ſuccinatus* legitima & repetita doſi, ac feliciſſimè curantur, illi verò quibus hic balſamus exhibetur, toto corpore ejus odorem ſpirant.

Eſt & alius vermis qui hinc inde per tumores ſe prodit, & tandem exulceratur, ac tum mox hic ſanatur rurſus, mox vero albi de novo exulceratur, **nicht anders/ als wie die Pferd ſo den Wurm haben**: curatur vero hic vermis *balſamo ſulfuris*, tam internè quam externè adhibito, *& decocto Mercuriali propinato.*

Multi præterea in verminoſa inteſtinorum conſtitutione admodum laudant *Mercurium dulcem*, at hunc infantibus non tutò propinari *Glauberus p. 2. Furn. Phil.* defendit, cum eorum oſſa & nervi nondum firmati ſat ſint.

Interim tamen ſi expellentibus maritetur, laus ei denegari minimè nequit, principaliter in paulo robuſtioribus, nihil enim ſub Sole vermibus plus adverſari Mercurio quovis modo adhibito *van Helmont* toties inculcat, etiam *ſolo potu*, *quippe qui necet lumbricos & aſcarides univerſas*, *exiſtentes etiam quo potus ille nunquam perveniat*, ulcera verò verminoſa curet ſola ejus affuſione.

Dulcia ad vermes necandos minimè proſunt, niſi ut eis decipiantur, ac ſub iis fel & venenum contra vermes abſcondatur.

Pediculi item huc referantur: necantur verò illi in capite *decocto nicotianæ ſylveſtris*, ſive *hyoſcyami lutei*, vel item *Decocto fol. tabaci cum lixivio facto.*

Vel ſume *cocularum do Levante* num. octo, contuſa frixentur *cum butyro*, ac expreſſum ſervetur, ſi hujus tantillum capiti illinas ſubito

moriuntur pediculi quos modo linimentum hoc attingit, si vero locus aliquis in capite hoc linimento haud illitus restet, omnes reliqui pediculi se illuc congregabunt, hinc diligens sit inunctio quo totum caput, parce tamen inungendo, attingatur.

Quo vero tum ulterius lendes à capillis separentur *cum lixivio & sapone veneto diligenter abluantur. Pro præservatione à pediculis amuletum* suppeditat *camphora*, hanc qui secum gestat pediculis raro corripi experientia docuit: quod idem præstat *Zibethum* indusio vel vestibus inunctum.

XI.

DE EPILEPSIA.

Epilepsia si infantes adoritur, probè observandum *num à variolis vel dentitione, vel erysipelate, vermibus, flatibus, aut* simpliciter *à cerebro* ortum trahat, absque hac enim cautela omnia irrita deprehendes.

Si à variolis erumpentibus, expulsioni earum insistendum, sæpius accidit vomitus, & tum cessat epilepsia, præprimis si alvus libera.

Si à dentitione alvus fluida, bonum portendit.

Si ab erysipelate & vermibus, expulsiva exhibeantur.

Si à flatibus quos murmura, ructus & ventris crepitus indicant, cum clysteres, suppositoria, &c. opem ferunt.

Si à cerebro ortum ducat epilepsia, malum est, sæpè namque recurrere solet, & plerumque membrum aliquod vel incurvatur vel claudum redditur.

In genere minera morbi si in primis viis hærere suspicetur, eliminetur mediante *sulfure antimonii*, postea verò antiepileptica generosiora in usum veniant. Inter quæ hic excellunt *Essent. myrrh. Tinct. castor. spir. salis armon sal. volat. oleos. liquor C. C. succin. Essent. succini, hyperici*, externè *oleum succini, rorismarini* &c. v. g.

℞. *Aq. flor. thiliæ.*
beton.
fœnicul. ana. ℥ij.

Tinct.

Tinct. ſuccini.
ſpir. ſalis armon. ana. ℈j.
Eſſent. myrrhæ.
caſtor.
anodyn. ana. ℈ ß.
flor. hyperic. ʒj. ß.
ſyr. de betonica. ʒiij. miſce.

hoc cochleatim ſæpius propina.

Si pulvis arrideat,

℞. *Cinnab. nativ.*
antimon. ana. ℈j.
ocul. 69. præp.
ſmaragd. præp. ana. gr. xv.
ſalis C. C. vol. ℈j.
laud. opiat. gr. ij.
camphor. gr. v. miſce.

Doſis ℈ ß. ℈j.

Vel ℞. *Salis C. C. vol.* gr. xv.
C. C. ſine igne ℈j.
magiſter. ſuccini ℈ ß

miſce, Doſis ℈ ß. ℈j.

Vel ℞. *Salis vol. Cran. human.* ℈j.
magiſter. ſuccini.
glaureæ Augurelli.
Cran. human. philoſoph. calcin. ana. ʒj.
olei. lavendul.
rorismarin.
ſuccini ana. gutt. iij.

miſce, fiat pulvis.

Externè ſpina dorſi illinatur diligenter hoc, v. g.

℞. *Olei lumbric. terreſtr.* ℥ ß.
caſtorei.

ſuccini.
lavendul. ana. 3j.
ſpir. ſalis armon. 3ij.

miſce.

Naribus admoveatur ſæpius *ſpir. ſalis armoniaci*, vel *tinctura caſtorei cum menſtruo volatili* extracta. Præterea optimè conducunt fonticuli in nucha.

Ante omnia hic notetur, ne pueri mormolyciis, ſpectris vel ſimilibus minitentur, præterquam enim quod hoc noctu ſæpè eis terrorem incutiat, vel etiam convulſiones epilepticas cauſet, *id mali plerumque habere ſolet, quod per omnem vitam timidos reddat, imprimis noctu, ne unquam cordati evadant. Potius ideò timor de ſpectris eis adimendus*, quo loca ignota noctu frequentare diſcant abſque timore, è contra vero timor erga Deum, erga Parentes, Præceptores ac Præpoſitos eis injungatur ſedulo.

XII.

DE FASCINATIONE.

Curioſum faſcinationum opus hic trutinandum venit, quippe non raro tenelli his afficiuntur, cujus ſignum ejulatus nimius, inquietudo, atrophia, ſudores continui in fronte præprimis, ac venæ frontis elatæ.

Modus actionis vel operationis abſtruſus nec cuivis credibilis. *Nam nec in primis, nec ſecundis, nec tertiis vel quartis qualitatibus hæret.*

Fit verò per oculos & aſpectum. Hoc autem qui intelligere vult, eum oportet rudimentorum naturalis Magiæ non eſſe imperitum, ſed Medicinæ inſuper ſtaticæ & doctrinæ de ſpiritibus eſſe gnarum: Principia verò qui petit, aut opponit ex hodierna Philoſophia corporali, ille ſanè ſtulteſcit.

Fit verò ut dictum faſcinatio non ore, licet ſæpius per halitum, ſed plerumque oculis, non raro etiam ſolâ præſentia, ubi halitus noxii vel inimici de toto corpore inſenſibiliter emiſſi lædunt.

Menſtruatarum autem omnium ferè natura faſcinatrix, maximè tamen

tamen ſcortarum vetularum, quæ vel per morbum, vel per ſenium menſibus non amplius purgantur, & tum plerumque faſcinatrices evadunt.

Dantur etiam quæ omni tempore ſunt faſcinatrices vel fluentibus aut ſubſiſtentibus menſibus: *Sic novi fuiſſe quandam vetulam, cujus filium & neptim, ac totam quaſi integram familiam non fluentibus ſolum menſibus ſed omni tempore fuiſſe faſcinatricem compertum erat, his ſupercilia erant conjuncta, hæ cum accuſarentur de ſe factæ cujusdam faſcinationis, libenter de ſuis veſtibus quid concedebant, ut hoc ſuffirentur infantes faſcinati ac ita reſtituerentur.* Atque hæc malitioſa naturæ indoles ipſis benè nota erat, notum etiam ipſis, quod ſi aliquid de ſuis veſtibus pro ſuffimento darent, hoc medio curarentur infantes.

Hæc peculiaris natura faſcinatrix eſt, & poteſt per rationem ab illis inhiberi, ſi nomine Dei infantibus benedicant, v. g. **Daß dich GOtt behüte.**

Fit item ſæpius quod hæ faſcinatrices teneras plantas inficiant, ut ſi in agro hoc fiat, exactè centrum obſervari poſſit quo faſcinatrix pedem fixerit.

De menſtruatis aliis quæ acetum, cereviſiam vel vinum vapeſcere non rarò, quando tractant, faciunt, non hic dicendi animus.

Sic & invidiæ faſcinum ab his vix differt, quod etſi multis paradoxum eſſe videatur, equidem tamen rem certam eſſe conſtat, licet in quatuor elementaribus non hæreat qualitatibus.

Certiſſima faſcinationis cura habetur *ex ſuffimento à facſcinatricis veſtibus*, volentibus nolentibus, ſcientibus vel ignorantibus deſumpta particula facto; modo nota ſit faſcinatrix. Si verò hæc nota haud ſit, ſuffiatur infans *myrrhâ, thure, ſuccino, origano; anthyrrino, capillis Veneris* &c.

Quo verò ab hoc malo tenelli præſerventur multi laudant *corallia* appenſa, ſed hæc longè antecellit *Electrum minerale immaturum ab Helmonte & Polemanno* adeò commendatum, vel *caput allii* aut *fruſtulum panis* geſtatum, vel item *Carlina ſive chamæleo niger*

tempore convenienti collecta: ſed tum aliorum infantium conſortium vitet, quia eos debilitat faſcini ad inſtar ſubducendo illis ſpiritus, actionibus vitalibus deſtinatos: geſtantem verò confortat & pinguefacit, niſi quod puſillanimum & timidum eum reddat: (cum faſcinum etſi ſpirituale quid ſit, tamen agat in facultates & actiones corporales non verò ſpirituales.)

Res mira creberrimis exemplis comprobata: ejusdem verò operationis eſt hæc radix in beſtiis jumentisque laborantibus vel in agro ſub aratro vel in via ſub onere, vel in comitibus in itinere.

Non hic tacenda faſcinationis ſpecies quæ ſæpè accidit, cum infantes loqui diſcunt, v. g. *ſi duo infantes ſe invicem adhalant, quorum alter loqui incipit, alter verò nondum, tum iſte infans non amplius loquitur donec hic itidem loqui incipiat. Res certa per experientiam, & modus inficiendi idem qui in oculis, etſi cauſam neſciant Medici elementares.*

XIII.

DOLOR COLICUS.

Infantes ablactati ſi dolore colico corripiuntur (in lactentibus namque plerumque ab eryſipelate fit) cauſa utplurimum à flatibus eſt, à cibis copioſe ingeſtis, vel à frigore.

In hoc caſu detur *Balſamus ſulf. ſuccinatus, aniſatus vel antimoniatus*, aut *oleum carvi* cum *Eſſ. myrrhæ, ſale volatili oleoſo* & ſimilibus. Externè venter & ventriculus inungantur diligenter *oleo chamomill. cæruleo*, vel *petroleo* aut *abſynth. ſtill.* &c.

Si flatus ſint ſola & præcipua cauſa, *nitrum crudum* depuratum à gr. v. ad ℈j. propinatum omnem paginam abſolvit. Finitur verò morbus ſomno & ſudore absque quibus alia irrita.

XIV.

Intertrigo ſi cuticulæ tegumento tenellam cutim ſpoliarit, *Cl. Ettmüller laudat terram vitrioli dulcem* per nodulum inſperſam: Nil verò magis hic conducit quam *diligens balneatio*, & ablutio, præprimis *ſi cepæ recentes aquæ balnei infuſæ fuerint*, ac tum ſimplex etiam *pulvis è lignis carioſis* collectus, vel *lycopodii ſemen* ſufficit.

XV. LU-

XV.

LUXATIO VERTEBRARUM COLLI.

Non raro *luxatio vertebrarum colli* accidit à multis umbilici luxatio credita, tum vomunt & calore vexantur febrili, inquiete, vigiliis diarrhæa & similibus tandem verò atrophiam incurrunt lethalem.

Cognoscitur dicta luxatio, si infans oculos ad genua flectere & eis imponere difficulter possit, & facies promineat.

Curatio hac fit methodo, infans videl. capite attollitur manibus infra aures appositis, ac caput huc illuc vertitur aliquoties, ac tum reponitur infans inclinato capite antrorsum, & si luxatio restituta omnia subitò cadunt symptomata vomitus scil. & reliqua: Postmodum verò ad nervos rursus confortandos externè balsamica nervina exhibeantur, ad diarrhæam verò sistendam *succus cydoniorum cum vino è canariis allato*, aut similia propinentur. Consule de hoc affectu *Roonhusium* in den Heil-Curen von der Uebersogenheit.

XVI.

DE VOMITU DIARRHÆA.

Sæpius *infantes vomitus excruciat*, & si hic per essentiam affligat, non sistendus antequam vitiosus mucus per se evacuatus fuerit. *Lactentibus enim admodum convenit ut singulis octo vel.* 14. *diebus semel rejiciant lac superflue ingestum acescens*, hoc enim à Colica ac epilepsiis præservantur.

Externè tamen non inconsultum erit externa confortantia adhibere, quale v. g. est *oleum absynth. still. macis still.* vel *Empl. ex theriaca* pulvere *nucis moschatæ* & *cinamomi* conspersum, si verò vomitus non cesset, *sola melissa* manibus trita & naribus admota eundem sistit. Vel *liquor. C. C. succinatus*, *Tinct. anodyna*, *Tinct. lapid. hæmat. Elixir proprietat. alcalisat. Essent. succini*, *syr. cinamomi* & similia omnem tandem paginam absolvent.

Et si diarrhæa infestet, è C. C. parata medicamina in usum veniant, *non enim est securius, facilius & magis* πολύχρηστον *pro pueris quam* C. C. *ustum & radices pæoniæ.*

XVII.

XVII.

DE TUSSI.

Si tussis moleſtet, ac is ex ſtomacho, tum vomitus præſens levamen affert.

Si verò à materia acida, pituitoſa, nimis viſcida, difficulter mobili, ſtertorem anhelando procreante, ubi pronis non raro ipſa pituita effluit, tuſſis oriatur, tum vomitorio præmittatur *ſyr. de eryſimo cum aquâ hyſſopi vel menthæ vel liquor è raphano in taleolos ſciſſo & ſaccharo candi largitur aſperſo defluens.*

Si verò in pectore potius & larynge acris lympha tuſſim excitet noctu excruciantem, *ſperma ceti in juſculo calido propinatum* convenit, vel item *ſpir. ſalis armon. aniſatus, liquor. C. C ſuccinatus à Cl. Ettmüllero* adeo decantatus, &c.

Externè optimo cum ſucceſſu fit *unguentum ex capitibus allii cum axungia ſuilla in mortario lapideo contuſis*, in forma Emplaſtri pedibus applicandum per noctes repetitas.

Adultioribus præter pediluvia ex alliis, malva, lixivio facta caput humectetur cum *Eſſentia ſuccini.*

Pectus verò inungatur cum *unguento Pectorali*, ac ita ferina etiam tuſſis cedere cogitur.

XVIII.

DE CARDIACA.

Oritur ſæpiſſimè *cordis coarctatio aut præcluſio* das Hertzgeſperr / à materia viſcida pulmonibus infarcta, vel ibi genita, vel à capite ut alii dicunt jam transmiſſa! in hoc caſu cibos deglutire absque difficultate quidem poſſunt, ſed non ſemper bibere, tunc quando reſpirant, pectus & coſtæ ita coarctantur & contrahantur, ut ſæpius frangi velle videantur.

In hoc affectu ſaccharata & dulcia omnia vitentur, ac præter balſamica interna ſæpius propinetur hic pulvis expertus, quantum cuſpis cultelli capit: v. g.

℞. *radic.*

℞. *radic. ireos flor.* ʒij.
ſacchar. cand. ʒiij.
corallor. præp.
ſem. violar. mart.
æquileg. ana. ʒj.
baccar. hæderæ arbor. ʒß.
fol. auri num. j.

fiat Pulvis ſubtiliſſimus cum ſyr. violar. exhibendus.

Externe ℞. *Cepam ſub cineribus aſſatam, exprimè ſuccum & ei commiſce axungiam caponis* in formam linimenti, ac hoc diligenter inunge fortiterque præcordia & hypochondria.

Oritur plerumque hoc malum ex ſanguine impuro acido, qui ex arteria venoſa illuc ablegatur ineptus ad generationem ſanguinis arterioſi, hic verò modus quo ſcorbutici fiunt phthiſici non eſt inſolens.

XIX.
DE TABE.

Datur porrò alia infantium ægritudo, ubi præter appetitum proſtratum multum bibunt, præprimis noctu, contabeſcunt, præter ventrem qui intumeſcit ac indureſcit, ſunt inquieti, palleſcunt, aliqui nares ſcabioſas habent, & aliqui tuſſi ſicca vexantur.

Cauſa ut plurimum eſt ab hepatis vel lienis ſcirrho, & quandoque ſimul vermes adeſſe apparet.

In hoc hoc caſu etſi purgantia malum haud tollant, quandoque tamen neceſſaria ſunt.

Ex omnibus *Balnea* effectum præſtant optatum *ex herba cruciata* confecta & ſæpius adhibita.

In ordinario potu eis detur *ſpir. ſalis aut vitrioli volatilis*, imprimis ſi noctu multum bibant.

His verò nil efficientibus ſudorifera volatilia ſæpius laudata rem expedient.

XX.

DE GANGLIO VERRUCIS &c.

Si post casum vel lapsum tubercula exoriuntur, cultro vel alio instrumento ferreo fortiter comprimenda sæpius, quod si haud fit, in ganglia non raro degenerant. Si verò tuberculum diutius maneat, inungatur *oleo petræ in quo camphora soluta.*

Si narium hæmorrhagia vexat, usnea cranii humani manibus contineatur donec incalescat, & si continuo hâc vexantur, usneam collo appensam habeant.

Verrucæ, clavi, calli, ganglia &c. oleo petræ cum camphora obediunt, hoc enim omnes membrorum, tendinum, & ligamentorum durites absumit.

Oleum Mercurii nigrum etiam unica unctione verrucas tollit.

XXI.

ARDOR URINÆ.

Si urinæ ardor infantes excruciat, tum urinam reddere metuunt, & quando eam reddunt ejulant, & prius non, secus quam si calculo laborant, ubi dolor est continuus.

In tali urinæ ardore præsentissimum remedium est *pulvis carbonum thiliæ vel salicis* à ℈ ß. ad ʒ ß. sæpius datus: non habetur facilius, securius, & efficacius medicamen, quo anicula quædam alieno nomine consilium apud Medicum quæritans, intra semihorulæ spatium magnificum illum pudefecit Doctorem cum diuturnis suis & operosis medicationibus.

Infantes quando noctu urinam non retinent, nil melius est quam noctu eos excitare, & ad urinam reddendam instigare, sed successivè tardius hoc fiat v. g. si per quatuor septimanas hora tertia matutina fuerint excitati & instigati, tum postea tardius scil. hora quarta id fiat, ita successive donec assuescant urinam continere per noctem, & mane eam reddere. Hoc remedii genus in hoc casu certius est quam omnia alia medicamina. Potus tamen nimius eis haud concedatur, & sæpius ad sudores compellantur,

quo

quo ſic natura per poros ſerum evacuare diſcat, nec omne per urinam ducat: *absque ſudore enim rarò homo ſanus degit, quippe quæ ſanitatis regula in paradiſo promulgebatur, ſcil. in ſudore vultus tui comedes panem tuum: pœna ſanè talis quâ nil homini ad ſanitatem conſervandam datum eſt melius: etenim quod Deus ordinat, ſemper bonum.*

XXII.

DE GIBBO.

Morbus etiam non raro totis familiis hæreditariis infantes affligere ſolet, *Gibbus* ſcil. qui quibusdam ex peculiari aſtrorum influxu ortum ducere creditur.

Fit verò *ex vertebrarum dorſi, oſſium item & ligamentorum pectoris mollitie*, vel ſucco ſuperfluo affluente & in excreſcentias cartilagineas tandem indureſcente.

Curatur utplurimum inunctionibus & balneis, ſed quæſtio an rectè? & quæritur, cur magnatum ſæpè infantes delicatè educati his afficiantur, raro ruſticorum!? exemplum transferatur ad uſum, mollities namque plus obeſt quam prodeſt.

Sic arbores juniores baculis alligati nunquam ita creſcunt & craſſeſcunt, quam quæ liberiori aëris motui relinquuntur.

Sed vide quid *Mercurius coagulatus* externè applicatus & fortiter alligatus, ut & *petroleum cum camphora* diligenter illitum præſtet.

TANDEM

Pro complemento cum *CL. HARRIS aſſerere haud vereor, morbos omnes ætatis infantilis gradu tantum differre; imò curationem eorum longè tutiorem ac faciliorem eſſe quam vel virorum aut mulierum.*

Prout enim Ætas ſenilis alterationem qualemcunque in melius ægerrimè ſuſtinet, propter partium omnium ſolidarum ſiccitatem & duritiem, ita juvenilis mollities, & tantùm non mucilaginoſa teneritudo, alterationibus omnibus recipiendis procul dubio plus apta nata eſt: Etenim *ſenex iis omninò in partibus ſiccus eſt, quibus infans ſucculentus exiſtit*, & humore excellit, nimirum *oſſibus, membranis, ligamentis, arteriis, venis, nervis, ac ipſis carnibus*; ubi vel oſſa In-

fantum cartilagines potius dici merentur; cumque humido tam primigenio quam aſcititio adeò abundent, adeò mollia & flexibilia ſint eorum corpuſcula: hinc *Temperamentum eorum omnium humidiſſimum eſt ſtatuendum.*

Atque inde morbos eorum univerſos ejusdem eſſe generis item, ab una eademque cauſa produci, concludendum eſt, neque verò niſi nomine eſſe diverſos, & *prout vel ventriculus, Inteſtina, Pulmones, Caput, vel nervi malè ſe habent, aliâ atque aliâ nomina ſortiri.*

Et ipſe HIPPOCRATES *libro do Flatibus*, de unâ eademque universâ morborum cauſa diſſerens, atteſtatur, quando ita pergit. *Morborum omnium unus & idem modus eſt: Locus verò ipſe, eorum differentiam facit, quare videntur quidem morbi nihil ſimile habere, propter diverſitatem ſal! locorum, quum ſit tamen una morborum omnium ſpecies, & eadem cauſa.*

Proinde ſi naturam vel diſpoſitionem humidi infantilis paulo examinamus id in nullam aliam *putredinem*, quam *aceſcentem* degenerare poterit. Quemcunque enim morbum infantes patiuntur, ſive hoc vel alio nomine inſignitum, rarò aut nunquam deeſſe *fæces Acidum redolentes*, & quidem ab initio ructuum acidorum copiam adeſſe obſervamus, atque *Symptomata Infantum ſingula Acido, ut parenti legitimo, ortum ſuum debere experimur.*

Addamus his tonum ſanguinis debiliorem, & craſin adhuc nimis infirmam, ita ut ſpiritus in eodem hoſpitantes nondum eò prædominii venerint, ut functiones aut munia ſua ritè obire, aut quoscunque humorum motus irregulares, à cauſis vel exteruis vel internis ſuſcitatos, vi propria componere queant. *Liquor nimirum vitalis, circulantes* ſal: *humores*, antequam ad debitam craſin fuerint exaltati *adinſtar Muſti in Acorem præternaturalem facillimè degenerant*, aſt tempeſtiva artis ope haud ita difficulter in ordinem rurſus rediguntur.

Infans verò hic intelligitur non quidem ſtrictiori ſenſu, unicum menſem natus, aut bimeſtris vel trimeſtris, ſed & latius hic indigitatur puerulus paulò provectior, ad quartum nimirum annum: De hinc Pueri nomen ſuſtinet ad annum decimum quartum usque.

Quo minor verò natu eſt infans malè degens, eo faciliorem eſſe morbi vel gravioris eliminationem, experimur: Etenim *quæ libet impreſſio*

preſſio aut alteratio citius perficitur in humido quam in ſicco, in molli, quam in duro, ſive bona ſit ſive mala: huic etſi facillimè in morbos dilabantur infantes, tamen niſi imperitè tractentur facillimè in ſanitatem reſtituuntur.

Cognitio verò affectuum infantilium licet non tam ab explorato pulſu, neque ab urinæ inſpectione, hauriatur, tamen à nutricum vel muliercularum iis aſſidentium relatione illa ſufficienter extorquetur: Norunt enim illæ *an Nauſea*, vel *vomitu*, *lac vel cibum coagulatum rejecerint an importuni vagitus*, vigiliæ, aut inquietudo *tormina ventris adeſſe indicent*; *an ructus Acidi*, vel ſingultus emittantur, *an Tuſſis*, *an ſedes quam par eſt pauciores*, *vel frequentiores* adſint, *quo colore ſint præditæ*, an albidæ, virideſcentes, aut bile ſint admodum ſaturatæ, & quam diu his laborarint; Norunt porrò *an ſiti præternaturali, atque adeò Febrè detineantur*. An *aphtæ*, ſive ulcuſcula in ore inter cibandum moleſtent: imò reſpondebunt an *inſultus Epilepticos aut convulſivos*, majores vel minores, diuturniores aut breviores, repetitos vel rariores *paſſi fuerint*; *Num Dentitionis adſit tempus*: & tandem an quid alicujus momenti, ſive ſit *Tumor abdominis* vel alterius partis, ſive *exanthemata qualiacunque*; *aut Puſtulco*, vel color icteritius, aut inflammatorius inſtar Roſæ, ſe prodat. &c.

Pulſum puerorum quod attinet, etſi is *naturaliter* quidem, vel leviſſimâ ex causâ ſit *creberrimus*, ut febricitari quaſi videantur, tamen ſententia inde lata utplurimum ſolet eſſe fallax, cum totidem aliæ ſint cauſæ quæ eorum pulſum accelerare, vel aliâs immutare queant, præterea etiam infantes plerumque ita ſint prædiți, ut vix momento carpum ad pulſum tangendum ſuſtineant.

Urinæ infantum, ſi ſanitate rectâ gaudent, *ſunt craſſiſſimæ*, ut ſi hujus rei neſcius inſpiciat, affectum graviorem adeſſe pronunciet; cum interim optimè valeant.

Quo tamen morbi infantum paulo certius innoteſcant, *inquirenda eſt diſpoſitio tam materna quam paterna*, quâ principia prolifica tum temporis conſtabant, cum conceptus ipſe fuerat factus. Etenim nemò ibit inficias morbos plures hæreditarios dari; & qui dubitat; quin Arthritis

ſive Podagra, Calculus, Phtiſis, Epilepſia &c. à fonte Paterno in filios non nunquam profluant. *Dantur enim integræ familiæ, quæ ſæpè eodem morbi genere vitam finiunt:* Etenim ſemen prolificum diatheſin morbificam ſæpè fœtui, quaſi clavo trabali adeò infigit, ut nulla unquam arte in poſterum rurſus amoveri queat.

Nulla tamen frequentior cauſa labis, pueros ab ortu inficientis videtur eſſe, *ac illa quæ à matre in utero geſtante derivari ſolet.* Prægnantes enim mulieres mille erroribus in victu ſunt pronæ, mille caſibus fortuitis expoſitæ quibus vel terræfactæ, vel aliâs leſæ injurias indelebiles fœtui communicant; Et quam abſurdis deſideriis urgeantur Prægnantes, compertum eſt, *ubi hæc carbones, illa cineres devorat, hæc carnes, illa piſces crudos appetit*, &c. imò quanta imaginationis vis in gravidis pollet, quotidie obſervatur, dum maculas omnis generis fœtibus imprimunt &c. Sanè *hæ genitrices, quæ in hoſce depravati appetitus effectus magis ſunt proclives, eam labem fœtui inurunt, quæ nonniſi temporis medicantis ope in ſolidum eſt eluenda.*

Pauperculæ verò quarum animos à Melancholia detinet, vel labor, vel miniſterium aliquot quotidianum; aut quarum victus tenuior eſt & ſimplex, modo indigitatas indiſpoſitiones vel morbos rarò experiuntur.

Præ aliis verò mulieres Hyſtericæ diſpoſitionem morboſam fœtui nunquam non communicant.

Poſt modò traditam cauſam Procatarcticam, à matre gravida potiſſimum dependentem, cauſæ infantilium affectuum ad quatuor capita referri commodè poſſunt. 1. *Ad Frigus ſuſceptum*, 2. *Ad Lac Nutricis nimis craſſum.* 3. *Ad carnis deglutitionem præmaturam*, & 4. *Ad inſanam matercularum, ac Nutricum plerarumque indulgentiam in potiſſatione vini, aut liquoris alicujus ſpirituoſi*, ſuis infantibus non rarò permitenda. Et primò quidem *Frigus quod concernit*, hoc, & quidem frequenter ab aere veſpertino ſuſceptum, ſæpius viam ſternit affectibus Febrilibus; ſic & aeris mutabilitas, & continua nunc caloris nunc frigoris viciſſitudo inimica omninò eſt tenerrimis corpuſculis, ut niſi cura in adaptandis veſtimentis calidis & idoneis adhibeatur, morborum inſultus diu effugere haud queant.

Lac

Lac Nutricis magis crassum undecunque productum, non potest non secum trahere plura incommoda, *cum infantum corpora præ omnibus aliis continuò fluida esse debeant, ut ductus tenuissimi chylo transferendo destinati haud obstruantur.* Et si Nutrix vino, vel spirituosis aliis liquoribus dedita sit, *Lac flammis quasi succenditur*, & per mammas lactenti facillimè ignis vix extinguibilis transmittitur: Et si eadem *durante lactationis tempore viri amplexus lascivior admittat*, menses ex coitu irritari solent & lactis materia diminuitur, vel & lac corrumpitur & acescit *præcipuè si Nutrix sit hysterica*, hoc est teneriori & delicatulo temperamento prædita, ut ut casta sit & sobria, tamen ex ipsa temperie *lac facilè degenerat & acescit.*

Carnium esus omninò tenellæ ætati inconveniens est, quam diu dentes ad masticandum nondum sufficientes, nec firmos obtinuerunt, vel præterea ingluvies carnis præmaturè ingestæ cruditatum est feraciſſima, quippe alimentum crudum & indigestum humorum crassitiem vel putredinem necessariò progignit, unde non solum lumbrici generantur, verum & symptomata diversa eaque valdè anomala, quibus miselli intabescunt, sæpè dependent.

Et quidem cruditates tales infantum potissimum magis accumulari videntur, ex eo quod statim à datâ pulte, vel victu obdormire cogantur.

Vini usum mulierculæ nostrates inde indulgere volunt suis parvulis, credentes inde admodum roborari eos, non considerantes lac & vinum plerumque sibi admodum contrariari, *vel & vinum in tali stomacho lacteo citò citius acescere*, & omnem ingestum cibum tunc in coagulum vertere, unde ex chyli ista inæqualitate, Nausea, vomitus, vel saltem ructus acidum redolentes, exoriuntur; & alia infinita mala juxta seriem supra prolatam, propullulant.

Cujus tamen indolis sit illud acidum quod causam omnium plerumque morborum infantilium sustinet, an ei singulæ aciditatis notæ quadrent, hic non disceptabo; Sufficit adhuc dum, generaliter saltem nosse, *acidum quod vis sub digestione generatum*, cujuscunque etiam sit indolis *potissimam morborum puerilium causam fovere*, si exsuperat; Imò HIPPOCRATES suo tempore hoc agnovit,

ubi

ubi *in libro de veteri Medicina* pro certo determinat, quod *ſecundæ illi dictæ qualitates*, nimirum *aciditas*, *amaritudo*, *ſalſedo*, & infinita talia ſint principes morborum cauſæ: Unde liquido conſtare poterit, curationem morborum in ſpecie infantilium, non tam primis qualitatibus, utpote frigido, humido, calido, &c. extinguendis, debere eſſe accommodatam, ſed *ad acidam obtundendum*, *amaritiem alterandam*, *ſalſum contemperandum*, *craſſitiem humorum incidendam*, *nimis fluidos humores compactiores reddendos*, *aſperos leniendos*, ac denique *obſtructos corporis ductos aperiendos*, *& ab infarctu liberandos* imprimis dirigi oportere.

Cum enim etiam HIPPOCRATE teſte *in Homine ineſt & amarum & ſalſum & dulce, & acidum, & acerbum & inſipidum, aliaq; infinita*, quæ pro copia & viribus varias habent facultates; *tamen hac mixtione, & mutua inter ſe contemperatione vel textura neq; cernuntur, neq; quenquam moleſtia afficiunt.* Sed ſi horum quidpiam fuerit ſecretum, & per ſe exiterit; tum & conſpicuum fit, & hominem lædit.

Sic ex cibis qui nobis haud conveniunt, & qui ingeſti nos lædunt, obſervabimus unumquemque aut amatum eſſe atque minimè temperatum, vel & ſalſum, aut acidum, aut alio aliquo modo intemperatum & vehementem; unde perturbatio in corpore originaliter dependet.

Acidum tamen præ reliquis qualibus, cauſa extat primaria, omnium affectuum, quibus tenera ætas affligi ſolet, unde & totum citrationis artificium in Acido dicto præternaturali & exſuperante expugnando, unicè verſatur.

Hinc, quæ medicamina ad acidum expugnandum haud tendunt, tenera infantum corpuſcula magis vel minus ſaltem lædunt.

Duabus verò intentionibus Acidi præternaturalis tractatio ſaltem innititur nimirum *ut Aciditas illa idonea reddatur vel præparetur*, ut poſtmodum eò melius è corpore eliminetur: *Deinde ut Acidum ita ritè præparatum evacuationibus debitis expurgetur.*

Præparationem quod attinet, hæc non eſt aggredienda corpus tenellum excalefacientibus, ſed temperatis abſorbentibus & acidum obtundentibus, qualia ſunt *Oculi, & chelæ cancrorum teſtæ concharum, corallia, corallina, mater perlarum, margaritæ, lapis Bezoar, uterque, C. Cervi phil. præp. Raſura. C. Cervi, Unicornu, terra ſigillata, & alii ex his varie compoſiti pulveres* &c. modò doſi liberaliori & ad finem uſque ſufficienti propinentur.

Poſtea convenient demum *leniter purgantia*, in ſpecie *Rhabarbarina*; v. g. infanti unius anni hunc in modum poſſet exhiberi v. g. ℞ *Syr. de cichor. cum Rhabarb.* ʒij. *Rhabarb. el pulv.* gr. xv. vel ϑ ▽j. *cinam.* gutt. xxx. m ſ.

Vel ℞. *C. C. Phil. calcin. jalap. pulv.* an. gr. ij. *crem.* ♀i gr. iij. miſce detur. &c.

Sed hæc juxta mentem Cl. HARRIS nunc ſufficiant. EXPE-

EXPERIMENTA
Ad
CHYMIÆ
EXPERIMENTALIS
Partem Primam
Circa Rerum Naturalium Principia
COMMENTARII
loco adjecta.

NImis obſcurè mihi philoſophari videntur nonnulli Rerum Naturalium moderni ſcrutatores, qui CARTESIUM *ſecuti*, *omnia ad priora omninò principia reducere conantur*, cum tamen magis manifeſta tot difficultatibus ſint involuta, ut *Oedipo* ſæpè opus ſit, ad ea ex aſſe intelligenda. Ego in chymia hâc mea eo allaboravi *ut terminis*, *magis cognitis*, ſive verbis rem exactè ſignificantibus veritatem ob oculos poſuerim, vel ad minimum ea quæ per ſe ardua ſunt aut obſcura, terminis obſcuris haud magis obſcurarim. *Acidum & Alcali* ſunt producta Rerum Naturalium per Chymiam ſatis manifeſta & cognita; imò ſufficientia ad phœnomena omnia in ſolutionibus & coagulationibus Rerum Naturalium occurrentia, explicanda, ut diſtinctionibus illis in particulas *Primi*, *Secundi*, *& Tertii Elementi* haud indigeamus: Conſentientem omninò reperio, *Clariſſimum Virum Dominum Davidem van der Becke*, *in ſuis Experimentis*, *& Meditationibus*, *circa Rerum Naturalium Principia*, hunc, ceu exactum Chymiæ meæ Commentatorem hic adjicere volui, cum ea optimè illuſtrare mihi videatur, quæ magis ſuccinctè hinc inde pertractare, paginarum anguſtia me jufſerat:

Naturalium rerum dari Principia, pergit, nemo eſt Chriſtianus Philoſophus qui dubitet: *Mundum* namque hunece non ab æterno fuiſſe, ſed cœpiſſe aliquando ac in tempore *à Ter. Optimo, Terq. Maximo Deo ex Nihilo negativo creatum eſſe novimus. Neque etiam ignorare poſſumus, cuncta quæ videmus corpora, non ſimplicia eſſe, ſed compoſita*, ortus namque rerum ac interitus luculenter ſatis hoc ipſum oſtendunt. Cum verò omne compoſitum è ſimplicioribus ſe, ſit conflatum; neceſſe erit, ut quæ ſimplicia ſunt, compoſitis priora ſint, & quò quæ res ſimpliciores ſunt, eò cæteris priores ſint, ac tandem cum conſentientibus cunctis ſanè ac Chriſtianè philoſophantibus, à progreſſu in Infinitum Natura abhorreat, illa quæ in priora

alia

alia tanquam ſimpliciora à nobis reſolvi nequeunt, omnium Prima dicantur. Adeòque citra dubium illa Naturalium corporum vera Principia & genuina conſtituentia erunt, quæ in rerum naturalium ordine ſimpliciſſima ſunt, ſeu in quæ ultimatò res corporeæ reſolvuntur, ut in alia priora reſolvi nequeant.

Quænam verò illa ſint, acerrimè de hoc inter ſe digladiantur Philoſophi. Nolo hîc tot diſcrepantium à ſe invicem ſententias recenſere, neque adeò ex veterum memoria repetere, quo jure, quâve injuria *Anaximander* rerum Principia dixerit eſſe infinita, aut *Anaximenes* infinitum aërem rerum Principium eſſe docuerit; neque *Hipparchi*, *Heracliti*, *Epheſii* Ignem; neque *Anaxagoræ Clazomenii* infinita Principia, tanquam particulas minutas & confuſas, ſed Divina mente in ordinem redactas; Neque *Leucippi*, *Diodori* & *Democriti* plenum & vacuum; neque *Diogenis Laërtii* aërem Divinæ rationis compotem; neque *Pythagoræ Samii* numerum hûc afferam, utpote quæ noſtro Seculo vix defenſorem aut patronum habent: Sed hoc ſaltem præterire non poſſum, neque hodiè etiam inter doctiſſimos viros, circa naturalium rerum Principia compoſitam litem eſſe, quin adhuc ſub judice ſit. *Ita ſunt, qui quatuor rerum naturalium Principia Ignem Aerem, Aquam & Terram docent, quibus pro expediendis naturalium rerum difficultatibus Peripatetici potiſſimum nituntur. Cum tamen ſummis aliquibus ingeniis obſcuriora hæc & rudiora* viderentur, ut ad ſecretiores Naturæ receſſus, hâc via aditus ſibi recluſum iri omninò diffiderent, *ſepul ta jam dudum Democriti ac Epicuri Philoſophiam, corporum* naturalium principia *atomorum* modo rotundarum, modo *acuminatarum, quadratarum cylindricarum* conſortio vel divortio tribuentem, *è tumulo in lucem revocârunt. Præter hos reperiuntur alii, corporibus reſolvendis operam dantes, docentesque reſolvi corpora poſſe in Sal, Sulphur & Mercurium, atque adeò tria rerum principia eſſe; quibus ſe opponunt alii, in plura ſimplicia Spiritum, nempe, Sal, Sulfur, Aquam, Terram reduci corpora poſſe adeòque quinq; rerum Principia demonſtrantes. Neque tamen deſunt, qui & hos terminos juſtè anguſtiores arbitrentur, dicantque è ſucco* v. g. *uvarum præmiſſa fermentatione ſeparari Spiritum flagrantem, Oleum, Aquam acidam inſipidam, Sal fixum, volatile, Tartarum, Terram &c.*

adeòque plura Principia ponenda esse. Contra sunt, qui terminis quam arctissimis, rerum naturalium initia definiunt docendo : *Cuncta corporea ex unica universali Principio Aqua Elementali, tanquam causa materiali, auxilio Seminum fermentorum prodiisse, ita ut universam hanc in mundo scenam, fermenta per Semina sub uno Aquæ elemento ludant.*

Atque inter tot maximorum ingeniorum divortia, non levis difficultas oritur, in cujus sententiam descendere debeamus. *Ego quidem in animum non induxi, ullius sententiam examinare vel oppugnare, huic enim imparem me lubentissimè profiteor, qui adeò neminem docere ausim, ut etiam à quovis doceri cupiam; nihilominus tamen* ut ultimæ, *huic calculum meum adjiciam multa me cogunt.* Neque enim hoc, quod invictissimis Experimentis æque ac Rationibus demonstrari potest : *Cuncta corpora nempe ex Aqua tanquam materiali, & Seminibus tanquam formali, causis fermentorum auxilio conjunctis constare, obscurè ferendum est.* Quod ut tantò clarius patere cuivis possit, propositum mihi est, publicè hîc rationem reddere, quare cæterorum sententias deserendas censeam, hancce ultimam verò accipiendam : quos Deus conatus secundet ! Potiora tamen saltem attingam, ut citra obscuritatem brevis sim.

Constat verò pleraque cæterorum Principiorum ita esse comparata, ut citra artem, ac Ignem Chymicorum cultrum anatomicum accedentem, omninò in corpore naturali formaliter ante calcinationem non tantum non deprehendantur, verum etiam in alia se priora redigi possint, quod tamen à natura Principiorum immensum distat. Cum enim Principii Causalis natura sit, ut ex eo res naturales primò producantur, atque in idem ultimatò resolvantur, omninò sequitur, quod quæ formaliter composito non insunt, sed Ignis actione ac arte demum producuntur, quæque in alia priora resolvi possunt, inter genuina corporum naturalium principia tolerari haud queant.

Quod enim *Spiritus* illos *vegetabilium ardentes* per destillationem paratos attinet, tali forma illos formaliter ante manum artificis accedentem in misto præextitisse dici non potest ; neque enim demon-

demonſtrari poſſunt. Sed firmiter tenendum eſt, illos demum ex oleis in phlegmate proptio reſolutis productos fuiſſe. Oleorum quidem unctuoſa ſubſtantia, aquis per ſe uniri nunquam poterit, niſi accedat fermentatio, quâ oleoſæ particulæ omnimodè recluduntur, atque ſic phlegmati (ſine quo Salium in fermentatione nulla actio eſſe poterat) uniuntur. Sed videamus rem propius. *Lavendula, Ruta, Majorana, nunquam per ſe dabunt ſpiritum, citra fermentationem, aſt benè oleum; quamprimum autem acceſſerit fermentatio, non oleum ſed ſpiritum ardentem impetramus*, manifeſto indicio, oleum ſulphureum ardens, in ſpiritum ſulphureum ardentem mutatum fuiſſe, *quorſum enim oleum abiiſſet? non abiiſſe verò, ſed in phlegmate ſolummodò reſolutum fuiſſe*, ex eo patet, quod aëris diuturniori actione accedente olea phlegmati ſuperſtiti denuò innatent. Manifeſtiſſimum tandem dictorum teſtimonium eſt ſequens, quod olea rebus in fermentatione exiſtentibus, modica quantitate affuſa ſimul in ſpiritum abeant. E quibus meridiano Sole clariùs elucet; ſpiritus illos vegetabilium ardentes, non in ſpirituum forma, ſed olei potius in miſto latuiſſe.

Neque huic obſtat, quod ope Spiritus Vini citra fermentationem, vegetabilium v. g. Abſynthii, Aniſi Spiritus, confici queant, hoc enim priorem ſententiam adeo non deſtruit, ut etiam egregiè confirmet. Spiritus vini enim quando ab aromaticis ejusmodi ac oleoſis abſtrahuntur, conjungunt ſibi olea iſta aromatica, atque ſecum per alembicum rapiunt. *Cum enim Spiritus Vini ipſe ſit oleum vini (quod ex vino Rhenano Bacharacenſi, utpote generoſo manifeſtè ſeparari poteſt) in phlegmate reſolutum, facilè hic alia vegetabilium olea abſorbet*, cujus quoque extra Ignem facillimum experimentum fieri poteſt, *ſi Spiritui vini ſummè alcoliſato, guttæ aliquot olei cujusdam aromatici inſtillentur, non innatant illæ ſpiritui vini, ſed protinus ab eo abſorbentur. In præparatione Spiritus aniſi adhuc evidentius ſententiæ hujus veritas obſervatur.* Cum enim Semini Aniſi, affunditur Spiritus vini, hujus oleoſa ſeu ſpirituoſa pars, recipit partem olei tantam, quantam per modum ſuæ receptivitatis poteſt, quod verò ex oleo Aniſi reliquum fuerit

(Aniſi enim ſemen maxima olei quantitate turget) *cum reſiduo Spiritûs vini phlegmate conjungitur, & liquor lacteſcit, more omnium oleorum cum aqua miſtorum*, uti quotidiano in Emulſionum præparatione experimento patet. Oleoſæ huic aquæ, ſi novus Spiritus vini alcoliſatus affunderetur, procul dubio hic oleum ex phlegmate ſibi uniret, & novum Aniſi ſpiritum conſtitueret.

Patet itaque *Spiritus* illos Vegetabilium ardentes ſub Spirituum forma in miſtis non præextitiſſe, ſed per fermentationem demum, aut mediantibus Spiritibus vini oleoſis, ex oleis eorum productos fuiſſe, adeoque inter vera corporis naturalis principia ſtare non poſſe.

Et quamvis in miſto formaliter præextitiſſent hi Spiritus, neque tum tamen genuini Principii nomen ſuſtinere poſſent, cum ſint corpora compoſita, adeoque actu in ſubſtantias ſimpliciores componentes reſolvi poſſint, quod certè non Principiis, ſed Principiatis ſaltem competit. Manifeſtiſſima namque foret contradictio, unam eandemque rem & eſſe Primum corporis naturalis Principium (de hoc enim primo eſt) cujus neceſſaria conditio ſit; non poſſe in alias partes priores ultimatò ſenſibiles reſolvi, & tamen in ejusmodi particulas poſſe reſolvi priores ac ſimpliciores. Hoc verò in dictis vegetabilium Spiritibus obſervamus; *hi enim ſulphure quodam ardenti conſtant, alioquin flammam concipere non poſſent, & deinde in Sal volatile abeunt, more oleoſorum omnium aromaticorum præcipuè.* Atque adeò non tam pro Principiis quam Principiatis habendi erunt.

Præter hos verò ardentes vegetabilium Spiritus oleoſos, dantur quoque alii per *Plantarum incinerationem facti, adeoque effluviis cæteroquin in aerem abituris conſtantes.* Spiritus hi, ejusdem planè cum Spiritu fuliginis vel etiam Tartari genuini alcalici ſunt indolis, iisdemque omninò Salibus conſtant; neque adeò realiter à Salinis particulis ſeparati in miſto exſtiterunt; ſed orti ſunt ex fuligine adſcendente, dum herbarum Tartarus per Ignis calcinationem cremaretur, ad reductionem usque in Sal fixum. Adeoque nihil ſunt aliud quam Salia volatilia Tartari plantarum in phlegmate, ſ. parte Mercuriali à Semine vegetabili nondum coagulata ſeu maturata, reſoluta. Ut paucis rem complectar, ſunt Salia liquida. Nemo verò mirabitur, quod Tartari plantarum mentionem fecerim, cum communiter alioquin

alioquin ſolis vini fæcibus Tartari nomen tribui ſoleat, neque enim hoc citra rationem factum. Quemadmodum enim in ſucco uvarum, mechanica illa Naturæ inſtrumenta Alcali & Acidum, ſ. Aqua & Ignis mutuò coagulata Tartari nomine ſalutantur, ita quoque nihil impediet, quo minus hoc in aliis vegetabilium ſuccis iisdem plane Salibus, Seminibus nihilominus diverſiſſimis, imbutis liceat. *Salia quidem è ſuccis parata nonnullis Salia eſſentialia vocantur, quod etſi non improbem, miror tamen Zvvelferum, quod Salibus è ſuccis paratis* v. g. *Acetoſellæ, nomen Eſſentialis Salis conceſſerit, qui tamen nihil aliud ſunt quam Tartari herbarum, atque aliàs Tartarum vini ordine Salium excluſerit. Rectius docet Tartarologia Salæ*: ex quolibet vegetabili ſucco, Tartarum quendam illi ex vino orto omninò ſimilem, parari poſſe; qui tamen & ipſe hoſce dictos Tartaros Salium cenſu excludi non veretur, quanquam rationibus nitatur parum ſolidis, quas ne prolixior ſim, hîc examinare non licet. *Hoc ſaltem liceat hîc notare unicum, Vegetabilium ſuccis omnibus Tartarum ineſſe talem, qualis ineſt vinis, adeòque Spiritus illos per vegetabilis incinerationem productos prout Spiritum Tartari vini, è ſuis Tartaris iiſdem omninò Salibus Acido & Alcali conſtantibus ortos, proindeque Spiritus illos revera Sales fluidos eſſe.*

Quod ſi ita eſt, uti revera eſt, neque hi Spiritus rationem Principii corporis naturalis diſtinctam habere poſſunt, cum à Salibus volatilibus æque ac priora olea, eſſentialiter non differant. Hæc ſi cui obſcuriora viſa fuerint, clariſſima tamen evadent, quando in ſubſecuturis de generatione fixi Salis Tartari, ex colliquatione volatilium, dicendum erit; ubi reverâ patebit, effluvia illa in Tartari calcinatione abeuntia, mera Salia volatilia eſſe, quæ cum particulis terreſtribus ſi fuiſſent colliquata, Alcaliſatum Sal inde prodiiſſet. *Tartarorum interim Spiritus, è Salibus Acido & Alcali volatilibus conſtare, ſi quis velit eſſe certus, abſtrahat ſaltem Spiritum Tartari genuinum ab Alcaliſato Sale & Acido Spiritus Sale volatili in Alcaliſato Tartari relicto, urinoſum Sal volatile nares feriet.*

Secundum itaque Principium *Sulphur* quod attinet qua ratione in miſto præexſtiterit inveſtigandum erit. Advertendum tamen eſt,

est, in *vegetabilibus Mineralibus* ac *Animalibus* magna quidem copia, *Sulphura* reperiri, ast verò nullâ ratione, genuini corporis naturalis Principi nomen sustinere posse. Possunt namque dictorum omnium *Sulphura* in alias particulas priores redigi quo ipso Principii nomine exuuntur. Et olea quidem vegetabilium, quæ potissimum consentientibus Philosophis omnibus vegetabilium Sulphura constituunt, essentialiter sunt Salia volatilia concentrata, quod præter experientiam docet Subtiliss. Helmont. pluribus in locis, præcipuè etiam c. 14. de febribus. *Si noveritis* inquit *olea vegetabilium mutare in Salia volatilia (quæ nunquam vidistis) nacti eritis medicamentum, &c.* Inest tamen oleum inflammabile quoddam acidum, per quod ardent quodque unctuositate sua, Salia hæcce oleorum volatilia detinet, quo minus Salium cunctorum ritu cum aquis prompte misceri queant. Quod unctuosum oleorum acidum, etsi loco Sulphuris vegetabilis stare posse cuipiam videri possit, quia tamen in prius aliud redigi potest, aquam nempe elementalem, de quo in progressu discursus nostri pluribus differendi ansa præbebitur, principiorum ordini interseri non potest. Olea igitur s. *Sulphura* vegetabilium, cum in alia priora Sal volatile videlicet & Acidum volatile inflammabile dividi possit, Principiata potius quam Principia salutanda erant.

Reperitur quidem *in carbonibus* lignorum combustorum *Sulphur* quoddam *vegetabile*, antequam in cineres convertantur, cujus beneficio candent carbones, quodq; auxilio Alcalium & præcipitationis inde separari potest, verum neque hoc *Principium* quoddam *Sulphureum* constituere potest, cum & ipsum abeat in spiritum acidum, more Sulphurum omnium cujus certum experimentum fieri potest; *si carbones Retortæ indantur, Igneque aperto destillentur, prodit enim tum Spiritus acidus cum phlegmate Spiritus hic separatus in Sal coagulari, & tandem omninò in aquam elementalem converti potest.* Postquam enim spiritum illum è carbone acidum impetraverimus, Caput carbonum mortuum, copiam Salis fixi, excolliquatione Acidi & Alcali lignorum cum particulis terrestribus, continebit quod aqua elui potest. *Huic Sali fixo si addatur spiritus ille acidus è Sulphure carbonum productus, effervescent mutuò ac coagulabantur in Sal adeoque nulla ratione*

neque

neque hoc carbonum Sulphur, pro genuino principio haberi poterit, cum à Salino Principio non differat.

Eadem prorsus ratione; Animalium Sulphura, olea scilicet & pinguedines, revera nihil aliud sunt, quam Salia volatilia concentrata alcalia, ab occulto quoad sensus acido saltem sale pingui paulisper suppressa, quo minus cum acidis manifestis effervescere possint. Salia verò hæcce volatilia eâdem omninò ac oleorum vegetabilium, ratione manifestari possunt. *Quamvis nonnunquam videamus axungiam* v. g. *Canis vitro inclusam radiisque Solaribus aliquantisper expositam in Sal quoddam volatile sublimari per se, citra ullam aliam artem accedentem; cui Sali volatili unicè debetur, quod ex usu axungiæ caninæ, Phthisicorum exulcerati pulmones, levamen quandoque experti fuerint. Ita CC. etiam oleum in Sal volatile sublimari potest. Quare nec Animalium Sulphura Principii loco stare possunt, taceo quod omnia dicta olea in aquam* elementalem converti possint, de quo tamen alibi pluribus.

Restant itaque *Metallorum Olea S. Sulphura & Mineralium.*

Mineralium equidem v. g. Vitrioli & Salis communis sic dicta olea, revera non sunt olea: sed saltem concentrata Salia & pauciori phlegmate contenta Acida, adeòque graviora neque enim flammam more cæterorum oleorum concipiunt, adeòque inter Sulphura strictè sic dicta referri nequeunt, neque adeò sunt hujus loci. *Metallorum* verò *Sulphura* fixa illa incombustibilia (quod tamen contradictionem quandam implicare videtur) & irradiantia, ab *Helmontio, Paracelso*, aliisque obscurè admodum descripta, Principii rationem habere nequeunt, cum testimonio maximi illius Philosophi *Helmontii* c. de *Elem.* §. 11. metalla tota, difficilius quamvis cæteris mistis, mutari possint in Salem æquiponderantem corpori metallico, qui deinde omninò in aquam insipidam reduci possit. Quod Experimentum si verum est; prout ego credo tanto Philosopho & alioquin in aliis experimentis communicandis candido, neminem facile fidem denegaturum esse, haud obscurum certe testimonium inde nobis petere licebit, quod ipsum quoque metallicum Sulphur in aquam ultimatò reducibile sit.

Quod ſi enim integrum metallum hoc eſt, omnes ejus partes in aquam elementalem converti poterunt, Sulphura Metallorum tanquam partes totius excludi nulla ratione poterunt, quin in aquam reduci poſſint; ex quo deinde per ſe patet, *neque hæc metallorum Sulphura, pro principiis veris metallorum habenda eſſe.*

A Sulphurum examine, ad *Salini Principii* examen nobis deſcendendum eſſet, niſi de hoc in progreſſu diſcurſus noſtri prolixiùs nobis agendum eſſet, ubi Divina juvante gratia demonſtraturi ſumus; Salia omnia ultimatò in aquam elementalem reducibilia eſſe, ac præterea, *Sal illud fixum alcaliſatum per Ignem productum, formaliter ante incinerationem in miſto non præexſtitiſſe*, ſed demum per Acidi & Alcali cum terreſtribus particulis colliquationem productum fuiſſe. Equibus ac aliis ibidem dicendis, facilè cuivis patebit, Salinum hocce Principium tantopere à Principibus quoque ævi noſtri Philoſophis æſtimatum, ſua ſponte Principiorum corporis naturalis ordine excidere.

Terram itaque ceu quartum Principium quod attinet, videamus paucis ſaltem, quo jure Principium dicatur. Quam quidem controverſiam omnium optimè nobis magnus poterit decidere *Helmontius*. Hic *Tract. de El.* §. 11. inter illa quæ mechanica ſua in aquam reduci poſſe ſibi conſtare dicit, numerat quoque Terram, additque §. 12. didiciſſe ſe per ignem; quod Deus ante diem creaverit Aquam & Aërem, & ex Aqua Terram elementalem, quæ eſt arena *Quellen*, cò quod eſſet futura baſis creaturarum anteſignano homini, ideoque initio creari debebat, *licet ſua natura non eſſet verè primigenium.*

Cujus rationem §. 16. & 17. exhibet hanc *quod Terra tandem ſit convertibilis in Aquam per privationem ſuæ eſſentiæ* per quam ſeminalem virtutem ipſum intelligere exiſtimo) *Ideoque credo* dicit *Aquam corpus prius atque ſimplicius, cum illa nunquam in Terram recedat niſi virtute ſeminum, adeoque vices compoſiti Aqua aſſumat, antequam Terra S. Sabulum* (quod pro originali Terra, propter difficilem ejus, præ arena è ſilice vel Adamante in Aquam reductionem per Ignem Gehennæ ſ. liquorem *Alcaheſt* præſtandam §. 3. & 15. de Terra habet)

ſint.

ſint. Reliquas omnes Terras ſ. nigras, albas fulvas, rubras, non originales Terras, ſed Terræ fructus eſſe ac ſemine conſtare dicit, ſubter quas arena eſt.

Ex his clare ſatis patet, neque *Terram* pro genuino rerum Principio haberi poſſe; cum ipſa reducibilis ſit in Aquam Elementalem beneficio liquoris *alcaheſt.*

Hic verò liquor cum paucis ſaltem cognitus ſit, (*Paucis enim admodum contingit; ad ſecreta Naturæ penetralia admitti*) quamplurimi quoque hanc Terræ ſ. ſabuli in Aquam beneficio *Alcaheſt* reductionem, in dubium vocare poterunt, quod ego quidem meique ſimiles quos Natura vix ac ne vix quidem ad limina penetralium ſuorum admiſit, quique hæc per tranſennam ſaltem inſpicimus; adeò accurate determinare non poterimus. *Neque tamen adeò obſcurum hujus experimentum ante aliquot dies factum novimus, quo ſilex mediante menſtruo quodam integris viribus ſeparabili, ita ſolutus fuit, ut in aqua citra heterogenearum partium ſubſidentiam ſolvi potuerit, cujus rei oculatos poſſum adducere teſtes.*

Terra itaque Principiatum potius eſt, quam principium, huncque uſum habet inſignem ut ſit matrix ſeminum, in qua ſemina explicentur & nutriantur. Quod quidem cunctorum ſeminum nutrimen tum eſt Aqua, ab acido ſeminum fermento, modo in Plantam, modo in metallum, Silicem, pro ſeminis directione coagulanda.

Quid igitur de *quinto & ultimo* principio *Aqua Elementali* ſtatuendum erit? *Atque huic ultrò ſoli, titulum veri principii materialis omnium corporum largimur, atque hoc tantò majori jure ipſi competere arbitramur, quantò certius conſtat ſolam aquam elementalem in aliud prius reduci non poſſe. Cætera, Principia dicta omnia, ſ. Spiritus ſ. Sal. fuerit, ſ. Sulphur ſ. Terra, omnia inquam ultimatò in Aquam reducibilia ſunt.* Quod ipſum qua ratione præſtari poſſit, jam ſatis ab aliis explicatum eſt, neque in fine etiam diſcurſus noſtri, hæc paulò ulterius explicandi anſa deerit; quando Salia Alcaliſata, per ſeminalis virtutis remotionem, cunctaque corpora alia, in primam materiam ſ. Aquam elementalem relabi, mechanicè demonſtraturi ſumus.

Plurima quidem Peripatetici Philoſophi de mixtorum ſ. com-

positorum corporum *materia prima* dixerunt, quod nempe sit; *ex qua insita primo sint omnia & in quam resolvantur ultimatò omnia*, neque hodie cessant aut temperant sibi ab hujusmodi speculationibus, adeò; ut plurimi difficultate rei perterriti, ut difficilem omninò deserant rem, vel ut inutilem abjiciant. *Sed si aquam Elementalem cunctorum mixtorum primam materiam esse quis dixerit: eum quidem à scopo non omnino aberrasse censerem.* In Aquam enim elementalem omnia corpora reduci possunt ultimato, ut nempe Aqua elementalis in nullam substantiam aliam priorem ac simpliciorum resolvi possit, quod de sua materia prima jactant Peripatetici.

Deinde, è materia prima dicuntur cuncta corpora producta primò esse; quod etiam Aquæ elementali reverâ competit. Hæc enim indifferens est, ad innumeras formas successivè recipiendas. Ita pro seminis fermenti coagulantis diversitate specifica, in diversas species coagulatur. *A semine vegetabili* coagulatur *in vegetabile*; Plantam. *A minerali* semine, *in metallum*, saxum &c. In Animalibus pro seminalis fermenti in ventriculo non tantum propriè sic dicto, verum etiam omnium musculorum ventriculis habitantis diversitate, diversimodè pro seminis natura & directione coagulatur.

Diversa semina Terræ injecta, ex unica nutriuntur Aqua, uti pluvia cunctorum vegetabilium sitim explet.

Tandem pisces sola aqua enutriti docent quomodo Aqua virtute seminum fermentorum coagulabilis fit. Quid enim sunt aliud quam aqua variè coagulata?

Quæ cum ita sint, quid impediet, quo minus aqua elementalis, pro materia prima compositorum haberi debeat? Verum mittamus hæc & properemus ad alia & quidem ad *Peripateticorum Elementa quatuor* examinanda, cum locum huncce iis tractandis comodissimum esse videamus.

Postquam enim in præcedentibus *Aquam* & *Terram* Peripateticorum demonstravimus, ostendendo paucis. *Aquam pro unico rerum naturalium materiali Principio habendam esse*; *Terram* verò ultimatò

matò in Aquam reduci posse; non incongruè nos facturos arbitramur si quædam de *Igne* (cujus natura hactenus obscurissima est) & *Aere* hic dixerimus, & ostenderimus quo Jure hactenus *Ignis* ac *Aer* pro primis mistorum Principiis habita sint.

Novi jam & prævideo, quam quantamque gratiam inituris sim apud Peripateticos, quod cum aliis de quatuor Elementorum veritate dubitare cœperim. Quos verò obnixe rogatos volo, velint Præceptoris sui Aristotelis nomen ac autoritatem (quibus nihil esse potest veritati inimicum magis) aliquam tum seponere & veris ad veritatem ducentibus viis *Rationi* atque *Experientiæ* conjunctis insistere sic *non dubito, quin de Quadriga illa Elementorum paulò aliter Philosophaturi sint.*

Ignem Peripatetici opinantur habitare sub concavo Lunæ. Quem locum ut ipsi tribuerent, inducti sunt corporum levitate & gravitate. Cum enim corpora quædam à peripheria ad centrum pelli; quædam à centro ad peripheriam elevari conspicerent. Hæc Ignem & Aerem; illa Aquam & Terram appellarunt.

Ita nempe arbitrabantur; *Terram* corpus gravissimum esse, adeoque infimum locum, primique elementi titulum obtinere. Hâc leviorem esse *Aquam*; adeòque secundum à Terra locum ipsi concesserunt. Aquâ leviorem dicebant esse *Aërem*, adeòque tertium locum ipsi largiebantur. *Ignem* denique omnium corporum levissimum esse, & reliqua corpora transcendere docebant, adeoque huic supremum locum sub regione s. concavo Lunæ jure competere.

Quod ipsum quandoque experimentis stabilire satagunt. Cum enim Terreis, Aquosis, Spirituosis, oleosisque particulis mistis, diversæ naturæ partes diversa & propria loca occupent, quatuor Elementorum existentiã se demonstrasse opinantur. *Et cum particulæ oleosæ supremum locum occupent, easdem verò flammam concipere notum sit, pari ratione & ignem suum elementalem cætera elementa transcendere, & supra Aërem sub Lunæ concavo, naturalem sedem creationis tempore nactum esse fingunt.* Unde interrogati quare Ignis sursum tendat? rationem hanc afferunt: quod quælibet res malit esse in loco proprio, quam alieno, adeoque Ignis tendat ad Lunæ concavum, tanquam sedem propriam.

Hæc ut & alia figmenta orbi hactenus impoſuerunt, ut omnino mirum ſit, tot cæteroquin ſummos ac doctiſſimos viros, in his credendis adeò faciles fuiſſe, & adhuc eſſe, ut iniquum ferè ducant de iis dubitare, nefas negare. Sed miſſis his, naturam *Ignis* paulò intimius percontabimur, ex quo ſua ſponte patebit, quâ ratione corporis naturalis Principium dici poſſit.

Ignis ergò Naturam explicaturi ſequentibus verbis nos expedire poterimus. *Ignis eſt motus velociſſimus Sulphuris acidi volatilis.*

Quod ut demonſtremus duo nobis agenda ſunt: *Primò* enim oſtendendum erit ipſum *formale Ignis* eſſe *motum.* Deinde verò, materiam movendam ſ. motam, eſſe *particulas acidas volatiles.*

Prius itaque quod attinet, notum eſt, materiam Ignis, in quovis corpore inflammabili eſſe Sulphur quoddam, de quo ſingulariter notandum eſt, quod quamdiu particulæ hæ ſulphureæ quieſcunt, nullum calorem nec flammam de ſe ſpargant, *motæ* verò illico & calorem & flammam impertiant, adeoque Ignem formaliter ſic dictum conſtituant. Hæc omnium conflagrabilium rerum inductione ſtabiliri poſſent, ſed potiora ſaltem attingemus.

Lignis ineſſe ſulphur, quodam cuivis equidem conſtare arbitror; quomodo enim aliàs flammam concipere poſſet. Nunquam tamen obſervatum eſt, ligna per ecitra particularum ſulphurearum *motum* flammam aut calorem prodidiſſe. Hoc verò non ſemel innotuit: *ligna ex mutua attritione excalefacta, tandem in manifeſtam flammam erupiſſe. Teſtantur hoc molendinarum ac curruum axes, longiori ſ. diuturniori motu non raro incenſi.* Sed cui alii Ignis hic productus tribui poterit, quam particulis ligni ſulphureis & quidem *motis.*

Sulphuris hujus manifeſtiſſima in carbonibus cernuntur veſtigia; ex his ſiquidem ſulphur ſeparari poteſt aurei coloris & uſus non ſpernendi, quod ipſum materia eſt ignis igniti carbonis; ſulphure enim hoc à carbone ſeparato non igniri amplius carbo poterit, ſed in cinerem convertetur, qui nunquam flammam concipiet. Sulphur itaque quemadmodum Ignis materia erat in carbonibus, ita etiam in lignis erit.

Hoc

Hoc verò lignorum ſulphur, quam diu quieverit per ſe nunquam accendetur; quod ſi verò ex alterius ligni celeriori attritione flammam conceperit, ſoli *ſulphurearum* conflagrabilium *particularum* per ligni ſubſtantiam ſparſarum *motui* hoc ipſum tribuendum erit, cum præter attritionem nihil aliud hîc intercedat, à quo Ignis productio emanare poſſet.

Ignis adeoque *ratio formalis*, quâ à Sulphuris ſubſtantia differt, eſt ſaltem *motus*.

Idem obſervatur in colliſione ſilicis cum ferro, quorum Sulphura per ſe ſcintillulas, nunquam ederent, niſi mutuo corporum attritu, ad motum excitarentur.

Spiritus ſ. oleum Vitrioli plurimas continet particulas Sulphureas acidas tam ex acido embryonato in terræ viſceribus mineram Martis vel Veneris rodente inque iis coagulato ortas, quàm ex ipſa Venere vel Marte profectas. Hæ particulæ ſulphureæ quieſcentes, omnis caloris expertes ſunt, *quam primum autem affuderis oleum Tartari p. d. vel aliud Alcali fixum, motus & effervescentia inſignis excitabuntur, tanto cum calore, ut vitrum vix manibus teneri queat. Idem contingit in miſtione Spiritus Tartari non phlegmatici illius acidiuſculi Officinarum, ſed genuini Alcalici amaricantis, cum ſpiritu vitrioli; utrobique autem calor à motu excitatur.*

Sulphur calcis vivæ (quod an unicum ſit, ex inſitis calcarii lapidis principiis, an adventitium ex igne, non multum diſputabo, cum caloris cauſam hic ſaltem inveſtigem) quamdiu extra motum eſt conſtitutum nullum emittit fumum, nec calorem; *ſtatim verò* ac aqua ſuperfuſa fuerit, ut Alcalicæ lixiviales calcis vivæ particulæ liberatæ, acidum illud Sulphur, ad motum provocare poſſint, motus excitatur tantus cum calore inſigni, ut manibus tangi non poſſit.

Similis quoque ſtrepitus & calor ex motu particularum *ortus, obſervatur in præparatione Pulveris bezoardici mineralis dicti.* Dum enim Spiritus Nitri butyro Antimonii affunditur, effervescentia & calor maximus oriuntur, *nulla ratione alia, quam quod motus excitetur particularum Sulphurearum Antimonii.*

In

In butyro enim Antimonii duo potiſſimum obſervanda ſunt. Particulæ nempe Salino Acidæ ex Mercurio ſublimato ortæ, & ſulphureæ Antimoniales, quæ conjuncta conſtituunt butyrum Antimonii, cujus proinde à Salibus Mercurii ſublimati acidis, tam in ſignis adurendi vis eſt (quando corroſiva iſta Salia Aquâ aliquoties eluuntur, Sulphura Antimonii manifeſtiora fiunt, adeòque citra ullum corroſionis internorum periculum, vomitus excitant, & Mercurius vitæ, quanquam immerito appellantur.) Butyro verò Antimonii quando affunditur Nitri Spiritus, hic more acidorum omnium rodendo agit, tam in Salia Acido-Salina Mercurii ſublimati, quam ſulphura Antimonii, & motus particularum excitatur maximus, quem inſignis comitatur calor, certiſſimus Ignis producti vel producendi index. Hic verò calor actu neque in butyro Antimonii neque ſpiritu Nitri, ſeparatis, deprehendebatur, conjunctis verò demum & *motis* innoteſcebat, Adeoque & hoc experimento manifeſtè patet *ſolum motum caloris ſenſum produxiſſe.*

Fœnum & linum madidè repoſita interdum flammam concepiſſe, experientiâ conſtat. Hujus verò ratio è ſolo particularum motu petenda eſt; quod enim dicta, non tam ſicca quam madida incaleſcant, ex eo eſt, quod mediante humido particulæ Salinæ & Sulphureæ ſolvantur; ut liberè moveri queant, quæ liberatæ ſenſim ſubjectis ſuis exhalare conantur, hæc verò cum denſiori mole in tumulum excreverint, ſolutæ ſulphureæ particulæ ex inferioribus præcipuè partibus liberè evaporare neqeunt, quare conglomeratæ celerrimè moventur, motuque ſuo reliquas ſibi ſimiles in fœno vel lino particulas à compedibus ſuis liberant: quem *motum comitatur calor ac tandem Ignis* formaliter ſic dictus.

Hæc verò ut tantò evadant evidentiora, videamus aliud ex hordeo pro cereviſiæ coctione parato, petitum experimentum. Omnis ſiquidem ille, in hordei præparatione, ut ad cereviſiæ coctionem aptum evadat, hunc in finem ſuſcipitur labor, ut Salia Hordei Alcali & acidum ſ. Sulphur (quæ hic ſynonimorum rationem habere liceat, ſtatim enim omnis circa hanc rem dubitatio ſolvetur: quando particulas iſtas ſulphureas conflagrabiles; acidas eſſe, evidenter demon-

demonſtraverimus) ritè ſolvantur, quò deinde coctione in aqua communi tantò promptius miſceri, ac cereviſiam conſtituere poſſint.

Hunc in finem hordeum aquâ communi, maceratur dies tres circiter vel quatuor, donec intumeſcere incipiat, *quod ſignum eſt, particulas Alcalicas & ſulphureas jam eſſe ſolutas ac in ſe invicem agere cœpiſſe.* Poſteà tumentia hæccè hordei grana in acervos congeruntur. Ita expergefactus *motor*, *calidum ſeminis innatum*, *Acidum* in Alcali agit atque hoc in Acidum & concreditas ſibi ſeminales hordei Ideas movere incipiunt & explicare, ut hordeum germinare incipiat. Hîc verò notandum, quod in illa particularum mutua actione, magna jactura fiat & particularum in ſurculos abeuntium & earum quæ ſenſim exhalant. Hæc ne modum excedat moderato calore denuò exſiccatur hordeum, ſic particularum motus ob humidi ſolventis defectum, adeoque ſpatium liberum denegatum, retardatur.

Dum verò ante dicto modo, hordeum madidum in acervos reponitur, calor excitatur nunc remiſſior nunc intenſior, prout acervi denſius aut rarius congeſti fuerint. Hujus verò *caloris nulla præter particularum motum cauſa* alia. *Sulphureæ nempe ac Alcalicæ Salinæ particulæ ſolutæ, ſenſim exhalare nituntur*, at, cum denſiori granorum coacervatorum mole libera tranſpiratio ipſis denegetur, tumultuantur, cæterasque in grano relictas ſulphuris particulas, ulteriùs ſolvunt, ut hordeum germinare incipiat, non aliter ac in ipſis terræ viſceribus. Quæ quod ita ſint vel ex eo patet, quod quo acervus rarior vel denſior fuerit, eò calor excitetur remiſſior vel intenſior. In rariori namque acervo particularum ſulphurearum exhalatio liberior eſt, *neque adeò tanto impetu* intra acervi penetralia *moventur*, *unde calor remiſſior*; ſecus fit in denſiori acervo. Cujus habitâ ratione, Mindæ in patria mea forte & alibi, æſtivo tempore acervos hordei germinantis rariores congerunt, ne externo calore accedente, internus acervi calor ſulphureis particulis nimium motis juſto major evadat, unde grana adurerentur, cereviſiaque poſtea empyreumaticum ſaporem ſaperet. *Quare etiam æſtivo tempore acervos frequentius movent, ut particulis ſulphureis exitum patefaciant.* Hyberno contra tempore denſiores acervos congerunt, ut quantum

externæ figentes frigoris particulæ, illas in hordei granis pro medica germinatione movendas particulas ſulphureas figere poterant, tantùm ipſæmet ſulphureæ particulæ, intra hordei acervum denſius conglomeratæ, celeriusque motæ, reſarciant.

Dictus verò calor in macerato ſolum hordeo non verò ſicco obſervatur; in illo enim ſolutæ ſunt particulæ ſulphureæ, ut moveri poſſint, ſecus fit in ſicca. Unde quoque quando liberas ſatis eſſe apparet particulas, ut cereviſiæ coctioni inſervire poſſint, leniter torrentur & exſiccantur, ſic humido evaporante, colliquantur quaſi ſulphureæ particulæ & coagulantur in reliquis Alcalicis, granaque indureſcunt, atque hac ratione ab omni impoſterum motu (niſi ars vel alia externa acceſſerint) vindicatæ ſunt, neque calorem etiam ullum emittent, manifeſtiſſimo certè indicio, *ſolum* particularum *motum* in madido hordeo *caloris* ſenſum excitaſſe. *Humidum enim uti notiſſimum, Salium ſolutioni inſervit*, adeòque & particularum motui, quare humido ſublato, ipſe ſimul motus ceſſabit, & qui motum conſequebatur calor, neque enim præter *motûs retardationem* ullum hîc interceſſit aliud, à quo *caloris deficientis* ratio peti poſſet.

Particulæ verò hæ nunc ſopitæ, quando aquæ incoctæ fuerint, denuò ſolvuntur, & vel per ſe vel adjecto tantillo fermenti moveri incipiunt; ex quo *motu* novus prodit *calor* (Germani das Bier arbeitet ſich warm) qui tamen ſopitâ particularum actione, *illicò perit. Idem quoque de uvarum ſucco dici poterit.*

Quid igitur quæſo Ignis formaliter aliud, quam motus? Dicta verò ſi cui nondum ſuffecerint, *conſideret hic velim flammam, quantâ celeritate moveatur; adſpiciat liquores ferventes ac bullientes, perpetuò motos, intumeſcentes ac in bullas exſurgentes*; conſideret celerrimum, pinguium particularum in accenſo elychnio *motum*; *& nullus dubito quin allatis experimentis ac rationibus motus, motum dixerit formalem Ignis rationem obtinere.*

Neque verò hoc ignorabant ſapientiſſimi majores noſtri quod luculenter de Prometheo, quæ excogitata fabula eſt docet. Prometheum enim ferunt, cum prævidiſſet Ignem ad humanos uſus nunquam non commodum & neceſſarium eſſe, adeò ut inſtrumentum

tum ſit inſtrumentorum, auxilium auxiliorum ; conſilium cœpiſſe, furto auferendum è cœlo Ignem, atque ad homines deportandum. Furti verò modus adeò apte deſcribitur, ut natura Ignis neminem facile ex illa latere poſſit, Perhibent enim *virgam ex ferula ſolis currui admotam eſſe, & accenſam.* Quo ipſo nihil certè voluerunt indicare aliud, quam Ignem revera nil niſi motum particularum eſſe, quid enim aliud *Solis Ignei currus* à currendo nomen habens, adeòque velociſſimum motum ſignificans, quo Sol circa proprium præcipuè axem incredibili celeritate fertur docere poterit ?

Atque hæc circa particularum Ignis motum dicta ſufficiant, *quando hoc ſaltem addiderimus unicum, quod particulæ ſulphureæ in uno corpore quando velociùs moveri cœperint*, Ignemque conſtituerint, facile alius corporis ſulphura ad motum incitare valeant, *quæ unica ratio eſt, quâ Ignis ignem accendat, ſ. fax facem*, quod veteres *virga ex ferula Solis currui ad mota* docuerunt.

Poſtquam igitur in antecedentibus demonſtravimus, *τὸ formale Ignis eſſe motum particularum* ; alterum adhuc reliquum eſt theſis noſtræ ſupra de Ignis natura exhibitæ membrum, in quo diximus, *Materiam motam eſſe particulas acidas volatiles.* Quod ut demonſtremus, *in medium afferemus ſulphur commune* tanquam exemplum & vulgo notum. *Hujus accenſi particulæ velociſſimè moventur*, uti ex præcedentibus ſufficientiſſimè conſtare arbitror ; *motæ verò particulæ hæ, cujus ſaporis ſint, ſi quis ſcire deſideraverit, admoto vaſe eas-dem ſaltem excipiat, guſtet, & aciditatem penetrantiſſimam experietur.* Hoc unicum de ſulphure petitum experimentum, etſi aciditatem Ignis abunde teſtetur, animum tamen induximus eandem pluribus experimentis ſtabilire præſertim cùm videamus, ſolidam harum particularum cognitionem, maximam lucem non ſubſecuturis ſaltem in hoc diſcurſu meditationibus, ſed praxi quoque medicæ allaturam : propterea tantò faciliùs ab æquo Lectore prolixitatis veniam nos conſecuturos confidimus.

Exordiamur *itaque à ſpiritu ardenti vini generoſi, quem in antecedentibus nihil eſſe aliud demonſtravimus quàm oleum vini per fermentationem in phlegmate ſolutum*, atque ab hujus *particulis acidis volatilibus*

præcipuorum ſpiritus vini effectuum cauſas, inebriationis nempe caloris ac ſaporis, &c. derivemus.

Inebriamur equidem, quando vinum è ventriculo, volatile ſuum Acidum ad cerebrum mittit, ubi cum ſpiritibus animalibus alcalicis ſubtiliſſimè effervesçit (ex quo particularum motu ac ſpirituum animalium actione, hilaritas illa, largiori vini potui indulgentium, probabili ratione demonſtrari poſſet, præcipuè cum conſtet, triſtitiam illam ſic dictorum Melancholicorum è ſola ſpirituũ animalium ab Acido quodam fixiori fixatione proficiſci. Ex quo haud obſcurè colligitur animi illam adactiones promptitudinem, libero ſpirituum motui tribuendam eſſe. *Experientiâ quoque conſtat, ſummos alioquin viros, nunquam graviſſimis conſiliis dandis aptiores fuiſſe quàm cùm pluſculum bibiſſent.* Idem exemplo ſuo teſtantur Poëtæ: de his verò cùm non adeò hujus loci ſint, alibi) qui tandem, copioſiore, ex largiſſimo potu, Acido accedente, ſuperantur, adeòque figuntur *tunc ſpiritus animales, motûs ac ſenſûs organa ſopiuntur, ſ. quod idem eſt, ſomnus ebrios occupat ac torpor ſæpè tantus, ut mortuorum inſtar de loco in locum trahi ſine ullo ſenſu queant, & ſæpè morti tradantur.* Ita multi notante etiam Cl. Sennerto ebrii, ſe currui domum reverſuros commiſerunt, & pro dormientibus habiti, reverſi mortui ſunt inventi. *Idem Sennertus pueri meminit, qui abſentibus parentibus, poſtquam magnam ſpiritus vini copiam exhauſiſſet, humi proſtratus animam exſpiravit.*

Hoc verò fit ab iis vinis, quorum Acidum fortius eſt, quale eſt Gallicum & potiſſimum Hungaricum, quam plurimis exteris exitioſũ, quæ nõ tantùm ſpiritus noſtros animales conſtantiſſimè figere, verùm etiam Acidum ſanguinis Vitale ſ. Calidum Innatum ſupprimere, tandemq; ſanguinem omninò coagulare poſſunt. *Hinc Poëtæ ſomnum fratrem mortis appellabant; ejuſdem enim parentis Acidi ſcilicet figentis ſpiritus animales filii ſunt.* Verùm hæc ſole meridiano clariora evadent, ſi ea diligenter rimati fuerimus, quibus vis atque poteſtas ebrietatem arcendi tribuitur.

Atque hîc primas tenent Salia *Volatilia Alcalia, Sal volat. CC. ac inter illa maximè celebratur ſpiritus ſalis Ammoniaci cum Alcaliſato ſale factus. Hujus enim aliquot guttis inter vini generoſioris potum largiorem abſumptis, experti loquuntur ebrietatem arceri, adeò ut ſpiritus hicce ab aliquibus* der

Sauff

Sauff *ſpiritus appelletur. Horum verò Alcalium* volatilium operatio in quo conſiſtat, nemini obſcurum eſſe poteſt, niſi qui rerum naturalium & operationum Chymicarum omninò rudis fuerit.

Quotidiano namque in Chymia experimento conſtat, omnem horum ſalium vim, in labefactandis ſpiritibus acidis conſiſtere; nec Sp. ſalis vitrioli ſaltem cum iis effervescunt, ſed ipſe etiam ſpiritus vini ratione Acidi ſui ſalis in ſpiritu ſalis Ammoniaci coagulatur. Quò ultimo experimento neſcio an evidentius ullum excogitari poſſit, quo demonſtretur vis alcalium volatilium, ad ſpiritûs vini acidum debilitandum.

Neque Alcalia volatilia ſolum Aciditatem hancce vini manifeſtam reddunt, ſed fixa etiam. Sali Tartari enim ſi ſuperfuderis ſpiritum vini etiam rectificatiſſimum, Aciditas ſpiritus vini in ſale Tartari remanebit, quod experimento ſalis Tartari clarum eſt. Abſtractus quoque ſpiritus vini ante rectificatiſſimus, nunc phlegmaticus redit, atque exuta inſuper aciditate dulcis evaſit: de quo deinde, ejusque ratione pluribus.

Præter hæc adhuc alia hanc vini inebriativam aciditatem evincunt. Braſſica rubra comeſta ebrietatem arcere perhibetur. Eadem quoque Chirurgorum conſenſu Vulnerarium, Medicorumque experientiâ antiphthiſicum habetur. Jam verò cum vulnera omnia inflammans & dolorificum *Acidum* habeant (quod ſtatim evidentiùs patebit) adeoque & pulmonum ulcus, atque hoc abſolvant Vulneraria, ſpecialiter verò braſſica; neceſſariò ſequitur, quòd braſſica vini vaporoſam *aciditatem* corrigendo, crapulam arceat.

Tandem oleoſa crapulam fugantia aciditatem vini teſtantur. Amygdalas namque amaras crapulæ adverſas eſſe notiſſimum eſt, adeò ut vix Logicum reperias, qui Potentiam naturalem alio quàm hoc ab Amygdalis crapulam arcentibus repetito exemplo demonſtrare malit. Hujus verò hæc unica & ſolida ratio eſt, quod oleoſa omnia acidum debilitent ac ſupprimant. Ita ſpiritus vini rectificatiſſimus (quem nihil niſi oleum reſolutum eſſe antea probavimus) quamvis ipſe volatile quoddam *ac dum* poſſideat (uti jam demonſtratum eſt) *rodentem tamen Aquæ fortis aciditatem ita hebetat, ut etiam intra corpus tuto uſurpari poſſit, cum antea ſolus Odor atrophiam toti corpori*

afferre ſoleret. Eâdem ratione Emulſiones ſeminum frigidorum (quia cauſam caloris Acidum nempe abſorbent) Melonum &c. item amygdalarum, acidum putredinis volatile ad ſanguinem delapſum motuque ſuo calorem, febrim ardentem dictum, producentem corrigunt. Quare eâdem prorſus neque ulla alia ratione *Amygdalas amaras crapulam præcavere exiſtimo, quam oleoſitate ſua acidum vini vaporoſum inebrians obtundendo, ut ad Cerebrum pertingere nequeat.*

Quemadmodum verò vini vis inebriativa in particulis acidis quærenda eſt; ita eadem quoque in Cereviſia ejusmodi particulis tribuenda erit, præſertim, cùm acidi hujus ſalis manifeſta jam in hordeo poſt germinationem toſto cernantur veſtigia. Acidum enim hoc, cujus ſupra jam facta mentio, cujusque motui ratio caloris in acervis hordei tributa fuit, *poſt toſtionem ex defectu humidi adeoque ſpatii liberi coagulatur, unde dulceſcit.* Quod ſi cui parodoxum viſum fuerit, advertat ſaltem quomodo Acetum aliaque Acida in Saturno vel Marte coagulata dulceſcant, *advertat item, quod Saccharata omnia nil niſi ſalia acida ſint in aliis particulis coagulata.* Hinc non tantum in ſpiritum ardentiſſimum abeunt, citiſſimè inebriantem; verùm etiam fermentationibus promovendis vel etiam incipiendis aptiſſima ſunt. Quod experiuntur Syrupi Officinarum, manifeſtum acorem ſapientes, *corpora item ſcorbuto infecta; his ſaccharum quam maximè nocet: non quod ſaccharum Lieni ſit inimicum, uti ex hodiernis, autoritatibus potiùs quàm rationibus fulti, multi opinantur, ſed quòd aciditate ſua vitioſas effervescentias varias excitet, unde viſcerum tumores &c. & ventriculi vitale fermentum vitiatur.* Verum ne extra oleas: ſufficiant hæc de vini vi inebriativa ex *aciditate* particularum ejus petita, allata. *Conferamus itaque nos ad cauſam caloris in vino demonſtrandam.*

Atque idem hoc, ex iisdem Vini particulis *acidis* evidentiſſimè demonſtrare conabimur. *Quare ut hoc citra omnem obſcuritatem fiat, provocabimus Bacchi* illos *continuos cultores, atque ex illorum facie cadaveroſa inflammantis vini aciditatis manifeſtiſſima colligemus teſtimonia.* Tubercula namque illa temulentorum, quibus facies gemmarum inſtar ornata conſpicitur, quæque cavitatibus ſuis materiam

teriam albicantem purulentam abſcondunt, è ſola vini aciditate profecta ſunt, & quidem ſequenti ratione.

Aciditas illa vini (quam ex inebriativa vini ratione luculenter ſatis demonſtratam exiſtimamus) volatilis, *quando caput ac cerebrum petit, ipſamque muſculorum faciei ſubſtantiam penetrat, fermentum ventriculorum muſculorum manifeſta ſua aciditate inficit, ſanguinemque inibi pro nutritione advectum coagulat, ejusque colorem purpureum in albicantem mutat.*

Quemadmodum idem hoc videmus in abſceſſibus ex pleuritide, peripneumonia, Hepatitide, &c. profectis, in quibus extravaſatus ſanguis coagulatur ab acido, putreſcit, atque in pus mutatur, idem docente Hippocrate *S. VI. aph.* 20. *in ventrem vel alium locum ſi ſanguis præter naturam effuſus fuerit, is ſuppuretur eſt neceſſe.* Verùm ne hæc citra rationem aut experimenta dicta videantur, afferemus quædam ſcopo noſtro uti ſperamus non inutilia.

Notandum itaque eſt, quod *ſanguinis noſtri color purpureus oriatur ex miſtione partium ſulphurearum acidarum* (ſeu calidi innati) cum ſpiritibus noſtris alcalicis (ſeu humido radicali) quæ miſta, motu mutuo reſolvuntur, caloremque intensè rubentem producunt, ut meritò hi ſpiritus primarium ſanguificationis inſtrumentum ſalutari debeant. Cor verò fermento ſuo particulas Chyloſas adductas ita ſaltem diſponat ac liberas reddatut cum ſpiritibus dictis commixtæ, ac beneficio fermentationis per minimas quoque atomos cum iisdem conjunctæ, Tincturam ſuam liberè impertire queant. Confirmantur hæcce certiſſimis experimentis. *Spiritus ac Salia Volatilia Alcalia e.g. ſpiritus ſalis Ammoniaci vel Sal volatile CC. ſi cum ſpiritibus ſulphureis digerantur, Tinctura exinde prodit rubicundiſſima*, non alia ratione, quam quod ſalium horum volatilium Alcali ſubtile, Acidum ſulphur ſpirituum Vini, Cujus ratione inebriant, flammas concipiunt, calorem ac inflammationes producunt, adoriatur, medianteque digeſtione cum eò intimè combinetur, ac ſubtiliſſimè efferveſcat; unde tandem ſulphur illud ſpiritus vini reſolutum manifeſtum reddatur, ac tingat vinum colore ſanguineo. Quemadmodum Tinctura

Tartarii

Tartari nihil aliud eſt, quam ſpiritus Vini ab Alcali Tartari volatiliſato tinctus.

Sulphur commune quando in lixivio ſalis Tartari vel Cinerum Clavellatorum coquitur, color inde oritur obſcurè rubicundus propter eandem rationem, quòd Alcalia illa cinerum, ſulphuris colorem exaltent. Color autem, ut dixi, obſcurè rubicundus eſt, quia Alcalia fixa propter terreſtres ſuas, quibus alligata ſunt, per Ignis colliquationem particulas, particulas ſulphureas adeò per minima penetrare haud poſſunt, ac Alcalia volatilia.

His tandem ſanguineis Tincturis ſi affuſus fuerit Acidus liquor alius, protinus lacteſcent: unde & pulveri, ex ſolutione ſulphuris Communis in lixivio Cinerum Clavellatorum, mediante Aceto præcipitato, Lactis ſulphuris nomen tributum eſt.

Eâdem igitur omninò ratione, dum aciditas ex putrefacto ſanguine extravaſato orta, ſanguinem tingens præcipitat Sulphur, ſanguis albeſcit cum fœtore & pus appellatur. Fœtorem verò huncce ex particularum ſulphurearum præcipitatione ortum eſſe, docent ſulphurum ſolutiones omnes, Sulphuri enim communi in lixivio quovis ſoluto, ſi affuderis acetum, protinus fætor ſatis gravis nares feriet, cum ante aceti additionem, odoris planè expers eſſet. *Idem obſervatur in præcipitatione Sulphuris Antimonii ex ſcoriis Reguli ejusdem cum Aceto facta. Pus itaque nihil eſt aliud quam ſanguis, cujus ſpiritus vitales alcalici ac balſamici ab hoſtili acido ſuppreſſi ac ſubjugati ſunt, adeoque ſulphureæ particulæ cæteroquin rubicundæ præcipitantur, & in albicantes mutantur cum fœtore uti jam ante explicatum eſt.*

Atque ex hoc acido ſanguinem in pus vertente ratio patet, quare Pus nonnunquam oſſa reddat carioſa, niſi apoſtemata maturè aperiantur. Patet item quomodo Pus abſceſſuum cerebri convulſivos cerebri motus excitare poſſit. Patet quoque ratio aphoriſmi illius Hipp. 47. ſ. 11 *Dum pus fit, dolores ac febres accidunt, magis quam confecto.* Dum enim pus fit, particularum acidarum motus (prout in omnibus omninò præcipitationibus obſervatur) adeſt, ex quo motu ſulphurearum particularum ratio caloris

loris (quod in præcedentibus clarè ſatis demonſtratum eſt) petenda eſt ſ. febris illius ſymptomaticæ dictæ, omnibus vulneribus vel abſceſſibus, ubi pus generatur conjunctæ. Dolores verò ex iis dein particulis *acidis motis* nervoſasque partes ac tendines rodentibus proficiſcuntur. Quando verò pus jam confectum eſt, & dolor & febris minuuntur, quia utriusque cauſa tollitur motus nempe particularum. Finitâ namque præcipitatione omnis particularum motus ceſſat. Sed redeamus in viam quâ ante egreſſi ſumus.

Evidentiſſimè quidem ex dictis conſtare exiſtimo, quomodo ex nimio vini generoſioris uſu, Tubercula illa in faciebus temulentorum conſpicua generentur. Quemadmodum enim ex dictis experimentis patet, quomodo *Spiritus alcalici Volatiles ſulphureis ſolutionibus purpureum colorem concilient; Acida verò iis affuſa ex rubro in albicantem colorem præcipitent.* Ita etiam Volatilis illa vini aciditas ex largiori & frequentiori potu, poſtquam ad cerebrum & musculos faciei penetraverit, ibi quidem crapulam, uti demonſtratum eſt: hîc verò ſanguinem coagulando, eundemque præcipitando, Tubercula illa vulgò Varos producit, & quidem cum calore ſeu inflammatione.

Quod quidem evidentiſſimè confirmari poteſt iis *medicamentis*, quibus externe applicatis *tubercula hæc ſanantur.* Inter quæ primas tenent *ex ſaturno præparata.* Hæc tumorem minuunt & inflammationem; cauſam utriusque volatilem, nempe vini vel alius quoque inebriantis liquoris *aciditatem* ſuſcipiendo. Quam promptè enim Saturnus omnis generis Acida ſeu ſulphura abſorbeat, metallorum quoque, non eſt obſcurum iis, qui docimaſticam exercent. Patet idem experimentis aliis quamplurimis. *Ita Acetum in Saturno coagulatum, fit ſaccharum Saturni, vel etiam Ceruſſa.* Immatura Metallorum ſulphura, in Saturno coagulata conſtituunt Lithargyrium. *Laminæ Saturni, ulceribus tibiarum ſcorbuticis applicatæ eadem ſanant, cauſam ulceris acidam rodentem abſorbendo.* Eâdem ratione Acidum illud vini inflammans faciem, tuberculaque dicta excitans, in medicamentis ex Saturno paratis coagulatur.

Ex his verò omnibus, quamvis meridiano Sole clariùs elucescat; vini aciditatem, caloris illius & tuberculorum faciei unicam causam fuisse; maximè tamen expediet, cæterarum rerum conflagrabilium Oleosorum (quæ resoluta, spiritus vini constituunt) potissimum, intima viscera examinasse, omnemque illorum vim, calorem, s. inflammationem producendi, particulis earum acidis materialiter tribuendam esse, demonstrasse.

Oleosa quidem & destillata potissimum calida esse, nemini adeò hebes ingenium est, aut sensus, cui non notissimum sit; ast verò hoc, particulis oleosorum *acidis* acceptum ferendum esse, perpauci sunt qui sentiant. Quamvis itaque ipsum hoc per se verissimum sit, aliquot experimentis tamen, secus docentes, ad nostras partes pertrahere conabimur. Magnus Helmontius C. 14. de Febribus, conqueritur de vulgo, siniſtrè medicamenta Chymica culpante, ac præcipuè in olea destillata Chymica invehente, tanquam nimis calida, docetque simul, quod Olea cæteroquin calidiora, adeò temperata, effici possint, ut nemini de eorum noxa, justè conquerendi ansa supereſſe possit. Modum verò subjungit, docens; quòd olea redigi debeant in sal volatile, medicamentum maximè temperatum. Salium verò horum accipiendi seu parandi rationem, alio in loco docet (*Tria prima Chymicorum*) conjungenda nempe olea esse cum Sale Alcali, & trium mensium artificiosâ occultaque Circulatione in salem volatilem mutatum iri.

De hac volatilium salium parandorum ratione, ejusque causis, etsi multa dici possint, hîc tamen labore hoc supersedebimus, præsertim cûm de his dicendi commodissimum locum nobis, de Causis volatilisationis fixorum salium quando necessario agendum erit, prævideamus, & hoc saltem notabimus unicum; quâ ratione olea calidissima, mutatione in Salia, temperata facta sint. Hoc verò statim sine ambagibus patet. *Alcali* nempe quo cum circulata sunt, *reddidit illa temperata*. Calidum itaque Oleorum necessariò Acidum fuit (quod per Alcali saturatum est, & ad temperiem redactum. Neque enim ulla subesse potest, ratio alia, quâ Alcali illud in oleum agere potuerit, vel potius Oleum in Alcali (aciditate enim sua Olea

rodunt

rodunt alcalia & in illo coagulantur, more Acidorum omnium) atque adeò pro indubitato habendum, olea vim ſuam calefaciendi amittere quando Acidum eorum per additum Alcali ſaturatum fuerit, ex quo ſponte ſua ſequetur, particulas illas olei calidas, *acidas eſſe. Oleoſis quidem ineſſe Acidum, adeò manifeſtum eſt quotidianâ experientiâ, ut nefas ferè videatur de illo dubitare.* Videamus tamen in gratiam hæſitantium aliquot & quidem obvia experimenta. *Obſervarunt Chirurgi, olea deſtillata aliaq; pinguia, cranii oſſiumque affectibus, maximum detrimentum afferre, præcipuè verò cariem*; hæc verò quomodo à pinguibus proficiſci poſſet, niſi iis ineſſet Acidum quoddam rodens oſſa? cum caries nihil ſit aliud quam oſſis eroſio: hæc verò à Solis acidis fiat. *Cranium verò quoniam Os eſt poroſum, acida facilè ſuſcipit, quare & indictis affectibus Chirurgi à pinguibus rectè abſtinent. Sed acidi hujus Oleorum qui plura veſtigia quærit, adſpiciant lucernas illas ac lampades Orichalceas, obſervetque in iis viriditatem illam parietibus adhærentem, quæ nihil eſt aliud, quàm ſal quoddam acidum, ex oleo olivarum, in orichalceis particulis corroſis, Vitrioli inſtar coagulatum*; Adſpiciat item Oleum Chamomillæ, quod ex Cupreis vaſis deſtillatum particulas quasdam Veneris, aciditate ſua corrodit, atque ex iis cæruleum colorem accipit, quem tanto coloris gradu non poſſideret, ſi ex Vitreis Alembicis deſtillatum fuiſſet, manifeſtiſſimo certè indicio, colorem iſtum ex atomis auri chalci, *olei aciditate* corroſis, ortum fuiſſe.

Atque propter hanc Oleorum ac pinguium aciditatem, Chirurgi (Barbett. p. 215.) pinguium ac oleorum crudorum uſum, in ulcerum curatione ſuſpectum habent, quòd ulcera reddant ſordida, ſuaque aciditate, rodens ulcerum acidum, augeant. *Ex quo per ſe patet, quam cauti eſſe debeamus in uſurpatione oleorum olivarum, lini &c. pro Clyſteribus in dyſenteria. In hac enim cùm rodens Acidum, ex variis & diverſis cauſis ortum, inteſtina exulceret, & inflammet, ex Oleis ejuſmodi pro Clyſteribus intempeſtivè injectis, non leve detrimentum & periculum, vitæ ægrotantis expectandum eſt.* Neque adeò probandos eſſe duco Clyſteres illos, ex Oleo lini &c. paratos in affectu Iliaco. Cum enim in hoc caſu, inteſtina inflammatione afficiantur, dicti Clyſteres non poſſunt non nocere, quod oleorum acidum

inflammationem inteſtinorum augeat (quod tamen poſtea clariùs patebit) unde non rarò in Gangrænam & ſphacelum degenerare inflammatio poſſit.

Utverò tantò certiùs conſtet, particulas illas Olei *Acidas*, non *corroſionis* tantùm, ſed & *inflammationis ac caloris cauſas* exſtitiſſe, ſiſto experimentum quotidiè obvium, Ardorem Ventriculi nempe (Germanis der Sodt/ fortè à Sieden bullire, efferveſcere) In hoc affectu, effluvia calida è ventriculo adſcendunt ad fauces maximè moleſta. *Oritur verò ardor hicce, non è vinis ſolummodò auſteris ac acidiuſculis, Gallicis præſertim* (quæ ut antè demonſtratum eſt, propterea citiſſimè inebriant, capitis dolores ac febres Ephemeras dictas producunt) *verùm etiam pinguibus aſſumptis, maximè verò ſi iis ſuperbibatur* (*ſic enim ſalia acida ſolvuntur, celeriùsque moventur; quemadmodum ſi pinguibus vervecinis citiùs ſuperbibatur, dolores colicos excitant rodendo, ſalia illa acida ſoluta*) *Sive verò è vinis acidiuſculis, ſive pinguibus proficiſcatur, iisdem tollitur mediis, præcipitantibus ſcil. Aciditatem.* Ex quo meridiano ſole clariùs patet, & pinguia, non ſecus ac vina Gallica acidiuscula, acidis ſuis particulis, ardorem illum excitaſſe, præcipuè cùm jam demonſtratum ſit, ejuſmodi corrodentes ac acidas particulas, Oleis ac pinguibus reverà ineſſe. *Plura de his ac præcipuè Aphtharum, tam in infantibus, quàm adultis, febribus ardentibus infectis, dici poterant, forte ad praxin medicam non omninò inutilia*; verùm ne nimis prolixi evadamus, cogimur hæc in alium locum differre.

Atque jam ſolida intelligitur cauſa, quare Oleoſa & pinguia affectibus Eryſipelatoſis illita, tantum periculum, & ſæpè partis affectæ mortificationem ſ. Sphacelum afferant. Plurimi ita ſentiunt; quod pinguia poros corporis obſtruant, adeòque inſenſilem illam tranſpirationem ſ. effluvia, ab exitu impediant. Quæ ſententia à verò aliena non eſt. Effluvia namque illa poris corporis quotidie exire ſolita, ſi impediantur, inordinatè moveri incipiunt, motuque ſuo calorem excitant, & febrim augent. Quod teſtantur, qui balneo egreſſi, corpore nudo aërem frigidum excipiunt, & propterea in febrim incidunt, è qua, unicô ſæpè ſudoriferô, poros corporis denuò apetiente, effluviisque, obice remoto, viam parante, liberantur. Et Clariora

riora hæc fient, ſi conferantur, quæ ſupra de formali Ignis ratione ſeu motu particularum ſulphurearum in fœno madidè repoſito, & hordeo pro cereviſia coquenda parando, diximus.

Salvis tamen aliorum ſententiis, præter illam ab oleoſis pororum conſtipationem adhuc aliud in pinguibus externè uſurpatis reformidandum eſt, *Acidum nempe ſal illud toties nominatum.* Cum enim Eriſypelatos; affectus, è ſanguinis ab Acido coagulatione profecti ſint, ſal pinguium acidum, morboſum Eryſipelatis Acidum auget: unde putredo creſcit, oſſa corroduntur, & tandem calor partis naturalis innatus, à peregrino alio omninò ſupprimitur, ſ. quod idem eſt ſphacelûs partem occupat. Hæc verò cum peculiarem ac propriam ſibi meditationem exigant, fuſius aliquando ſi Deo ita viſum fuerit, de his in Gangrænæ, ſphaceli & ſpinæ ventoſæ Cauſarum examine, me acturum promitto.

Hoc tamen & hîc demonſtrandum erit experimentis aliquot noxam illam è pinguedinibus illis profectam, ſali illarum acido, jure meritoque tribuendam eſſe. Fiet hoc, quando oſtenderimus peculiares omnes illos modos, quibus olea ad inflammationes ſedandas apta redduntur, in Acidi ſalis conſumptione, vel correctione conſiſtere. Taceo hîc modum illum, oleorum vim inflammandi corrigendi Helmontianum, per Alcali additionem, cujus jam ſupra facta mentio eſt, & affero modos alios, è quibus non eſt ultimus is, cum ſpiritu vini qui inſtituitur. *Oleum enim lini e.g. ſi cum ana ſpiritus Vini miſceatur, & ad Ignem continuè agitatum, coquatur ad ſpiritus Vini conſumtionem uſque redditur medicamentum non ſpernendum, quô non externè ſolum in pleuritide, peripneumonia Hepatitide, multò ſecurius priori illo crudo, uti poterimus, verùm etiam in dictis affectibus, internus ejus uſus non contemnendus eſt, quod plurium celebrium medicorum experientiâ ſtabilitum novimus.* Confirmat idem ratio. Cum enim in dictis affectibus, potiſſimum peccet Acidum quoddam coagulans, facilè hoc ab oleo, proprio Acido ſpoliato, ſuscipitur. Oleum lini enim, dum cum ſpiritu vini coquitur, Oleoſum ſpiritus vini evaporans volatilius, Olei lini aciditatem ſecum rapit.

Patet hoc ex ſupra memorato jam experimento de Aqua forti & ſpiritu vini. Hæc enim ſi miſceantur & per Cucurbitam in Arena deſtillentur, *ſpiritus vini prius adſcendens* magnam aciditatis partem ſecum rapit, ita ut in reſiduo gratior aciditas percipiatur, *cujus internus uſus tutiſſimus; uti cæterorum ſpirituum. Salis, Nitri, Vitrioli, ſeparatorum, eſſe poteſt.* Deinde alii ſequentem rationem, Olei lini pro uſu medico parandi, tenent. Extinguunt nempe in eo Chalybem Ignitum, aliquoties celeriter movendo oleum, ne flammam concipiat, atque hoc repetunt uſque dum ſibilus ceſſet olei; poſtea miſcent illud cum Calce viva, abſtrahendo ab illa oleum, ſervantque uſui Medico. Hujus præparationis ratio omnis, in particularum Olei Acidarum deſtructione conſiſtit. Chalybs enim ignitus, dum oleo lini immergitur, particulas ejus acidas conflagrare facit (hoc ſi tibi nunc quidem obſcerum viſum fuerit Lector, clariſſimum tamen evadet ex ſequentibus quando deinde, flammam materialiter, nil niſi particulas Acidas eſſe demonſtrabitur) hinc ſibilus cum fumo. Taceo, quod in Marte omnis generis Acida facillimè coagulentur. *Reperitur hæc Chalybis extinctio, donec ſibilus ceſſet, tunc enim Acidum olei deflagravit.* Si verò quid reliquum ſit illud calx viva conſumit. Quemadmodum enim hæc, Acidum ſalis Ammoniaci aſſumit, ita ut urinoſum liberetur; ita quoque *Acidum* olei lini in illa coagulatur. Quanquam Olea, hujusmodi ab Alcalibus deſtillanda non facile ſint. Maximam enim partem deſtruuntur, & in Aquam Elementalem convertuntur, uti ex ſubſecuturis patebit. Oleum verò hoc modo paratum, in inflammationibus vel combuſtionibus aliisque caſibus, ubi uſus ejus requiritur, valdè laudatur; non aliam ob cauſam, quam quod acidum ſuum rodens & inflammans amiſerit.

Eodem modo Oleum Olivarum cum calce viva miſtum & deſtillatum, maximis contra inflammationes & combuſtiones extollitur laudibus. Ratio verò præparationis æquè ac prioris, in particularum olei acidarum, mediante Alcali fixo calcis vivæ, deſtructione quærenda eſt. Hinc quoque olea cocta omnia ſalubriora deprehenduntur crudis, quod coctione, magna particularum *acidarum* copia exhalet.

Sed videamus adhuc alium olea præparandi modum, cum lateribus

ribus nempe ſ. tegula rubra antiqua. Igniunt nempe tegulam antiquam in particulas fractam, donec omninò excanduerit: poſtea exempta fragmenta reſtinguunt oleo claro veteri, quousque tantum olei imbiberint, quantum capere poſſint: poſtea hæc in tenuiſſimum pulverem contuſa Retortæ induunt, oleumque inde eliciunt, cui ſingulares vires in Paralyſi, ſpaſmo, Iſchiadicis, podagricis, aliisque articulorum doloribus &c. tribuunt, ſi verò proceſſus hujus ſive Operationis cauſam inveſtigemus, omninò apparebit *nihil hic obtineri aliud, quam particularum olei acidarum deſtructionem.*

Ad quid enim tegula antiqua, niſi ut Solis diuturno calore ſit exſiccata, humiditateque omni privata, quo vacua quaſi reddita, tantò majorem olei quantitate combibere poſſit? quare & Igni illam exponunt. Hæ tegulæ verò candentes dum oleo immerguntur, prout antea ex Chalybe ignito oſtenſum, particularum olei *acidarum* quædam pars cum fumo in auras abit; pars verò illarum in tegula coagulatur; reliquum oleum *aciditate* jam orbatum Retortam tranſit, & propter ſolam hanc particularum acidarum ſeparationem, tantam in dictis affectibus præſtantiam acquiſivit, ut etiam *oleum philoſophorum* dicatur. Quomodo verò dictis morbis mederi poſſit, etſi in promptu ſit, ſolidis argumentis demonſtrare, loci tamen limitumque quos nobis præfiximus anguſtiæ, hoc non permittunt. Ex his experimentis ergò luculenter ſatis patere arbitror, *quod olea per particularum acidarum ſeparationem, demum inflammationibus ac doloribus leniendis apta fiant; ſecus verò ſine his præparandi modis cruda uſurpata, dolores ac inflammationes augeant.* Ex quo ſponte ſua ſequitur, noxam illam ex oleis intempeſtivè uſurpatis non rarò obſervatam, *particulis olei acidis* imputandam eſſe.

Sed accedamus propiùs ad naturam, ſ. potiùs materiam Ignis, in oleis ac pinguedinibus demonſtrandam. Dicimus ergò materiam flammæ oleorum conflagrantium eſſe particulas olei Acidas, jamjam demonſtratas. In ſevo enim ſi non eſſet Acidum, non aderet. Patet hoc experimentis plurimis: potiora hæc ſunt. Olea per ſpiritus vini evaporationem vel abſtractionem à calce viva parata, vel etiam è lateribus deſtillata, non adeò deflagrant ac cruda. Jam

vero

verò in antecedentibus pluribus Experimentis confirmatum eſt, omnem illam oleorum præparandorum rationem, in particularum Acidarum deſtructione conſiſtere. E quibus non poteſt eſſe obſcurum, easdem particulas & flammæ oleorum materiam eſſe, cum illarum defectus impediat, quo minus adeò ut cruda flammam alere poſſint. Atque hinc patet ratio, quare candelæ, è ſevo vervecino paratæ citius deflagrent, quam ex alius generis ſevo quæ conficiuntur. *In ſevo namque vervecino major quàm in reliquis pinguedinibus Acidarum particularum copia deprehenditur.* Hoc etſi ex multis aliis tùm verò ex hoc unico luculenter patet, quod *ex commeſtione pinguium vervecis frequentiſſimè dolores colici excitentur, qui ſine particulis Acidis rodentibus fieri nunquam poſſunt* (quod ipſum ex Curatione dictorum dolorum, ſeu operatione medicamentorum, invictiſſimis rationibus evinci poteſt) quod verò doloreshi tùm oriantur potiſſimùm, quando ſuperbibitum fuerit dictâ pinguedine, ex eo eſt; *quod ſalia pinguedinis corroſiva, humido ſoluta, potentiùs agant.* Quemadmodum è liquato ſalſo butyro aquæ injecto, ſalia aquæ junguntur, & butyrum dulceſcit. Atque adeò luculenter patet, propter hanc Acidarum particularum copiam, pinguedinem vervecinam citiſſimè deflagrare.

Et eadem hæc, neque ulla alia ratio eſt, quare pinguia recentia citiùs deflagrent, flammaque conſumantur vetuſtis. Ita oleum è Ceto piſce paratum (Thran Germanicè) recens, vetuſto citiùs flammam concipit ac deflagrat, quod notiſſimum iis eſt, qui rei familiaris curam habent. Vetuſtiora namque pinguia, temporis longinquitate, magnam volatilium particularum Acidarum copiam perdiderunt, adeoque materiam ſeu copiam flammæ amiſerunt, quibus cum abundent recentiora, mirum non eſt, ſi hæc citiùs flammâ conſumantur. *Acidæ ergò particulæ ſunt, quæ flammam materialiter conſtituunt, quibus conſumptis nulla omninò flammæ ſ. Ignis excitandi ſpes eſt.*

Verùm antequam alia & potiora pro ignis materiali cauſa, & quidem acida demonſtranda, experimenta adducamus, tribus ſaltem verbis liceat hîc explicare rationem illam, quâ pinguia accenſa item candelæ conſumantur. Videmus namque quotidie, longitudinem

accenſæ

accensæ candelæ sensim minui, quorsum verò particulæ hæ recedant multis obscurum. Vulgus quidem, cùm corporis oculis particulas has subduci cernit, in nihilum planè redigi illas arbitratur: ast verò cùm nihil eorum quæ sunt, in nihilum abeat, alia subesse ratio necessariò debet. Quam etsi non pauci, ex iis etiam, qui pro eruditis & Philosophis haberi volunt, investigatione non adeò dignam censebunt, neque tamen hi nos deterrebunt, quo minus hujus rei causas solidè demonstremus. Liceat ergò ex subsecuturis Demonstrationibus hîc duo præsupponere. *Primo quidem quòd semina rerum in Acido manifesto aut occulto habitent. Deinde verò, quòd cuncta corpora ex Aqua, tanquam causa materiali, per semina in varias species coagulata sint.*

Cum ergò & pinguedines omnes (lege posterioris postulati & dicti de omni & nullo) ex aqua materialiter, per semen in Acido habitans (lege prioris postulati) coagulatæ sint; Flamma verò omnium accensorum (uti in superioribus multis experimentis stabilium est, & pluribus adhuc confirmabitur secuturis) sit *Acida* materialiter, invictissimâ inde colligendum est consequentiâ, quod Acidô seminali pinguedinis per flammam consumptô, reliquum Acidô illo seminali jam orbatum, in aquam resolvatur Elementalem, instarque vaporis insensibiliter dissipetur; quemadmodum Aqua spirituum vini rectificatissimorum accensorum, simul in vaporem abit.

Quod ne cui dubium sit, aliud saltem afferam experimentum, quo pinguedines per acidi seminalis privationem, eodem modo in aquam elementalem converti, patere possit. *Pinguedines* nempe *à Sale Tartari crebrius abstractæ*, in aquam reducuntur purè Elementalem; sed quâ ratione aliâ, quàm quòd sal Tartari Alcalicum fixum, acidum seminale pinguedinis volatile, Ignis seu flammæ materiam absorbeat, unde nec esse, formâ hâc remotâ, materiam nudam conspici, h. e. nihil præter aquam elementalem reliquum esse. Sive jam Acidum hoc seminale in flammam abeat, sive in sale Tartari absorbeatur, utrobique ex Acidi hujus privatione, Aqua Elementalis prodit: quæ quidem ut jam dictum, in pinguibus accensis insensibilis vaporis instar in auras abit.

Sed missis his, progrediamur ad alia experimenta, pro flammæ

aciditate demonſtranda. *Atque hæc quidem ex ſulphure accenſo (quod ſupra jam innuimus) luculentiſſimè patet. Flamma enim hæcce in merum ſalabit acidum, quod proindè aquâ exceptum ſpiritum acidiſſimum conſtituit.* Ita & idem patet ex acido Ignis Carbonum candentium in plumbo coagulato. Quemadmodum enim uti ſupra jam dictum, in plumbo omnis generis acida facillimè coagulantur: ita etiam *Acidum Ignis*, lignorum accenſorum lubenter ſuſcipit, adeò ut juxta rationes *Doctiſſ.* TACHENII centum libræ plumbi ſola calcinatione decem libras ex igne luerentur, atque tum minium conſtituat, cujus purpureus color nonniſi ſulphuri Carbonum in Saturno coagulato tribui debet, quemadmodum *Sulphur Antimonii* in Mercurio coagulatum colore rubicundiſſimum affert. Hæc verò quod reverà ita ſint, probat Analyſis. *Minio* enim *ſi addatur Alcali* quoddam fixum, *ſal Tartari* vel etiam *Boray Veneta*, Acidum hoc Ignis in Saturno coagulatum horum Alcalium auxilio ſeparatur plumbumque reducitur. Quibus neſcio profecto, an quid evidentiùs ad flammæ aciditatem demonſtrandam excogitari poſſit. Nihilominus tamen, quod jam de Acido flammæ in Saturno coagulato diximus, idem quæſo in Marte quoque videamus. *Mars enim Calcinatus in croceum pulvererem vertitur, quem non dubitamus eidem Ignis aciditati acceptum referre Marti incoagulatæ.* Nam eundem planè crocum, iiſdemque virtutibus Medicis imbutum impetramus, cum ſpir. Vitrioli vel ſalis &c. acidis ſi paraverimus; ex quo patet, utriusque Croci & Igne & Acidis ſpiritibus parati, unam aciditatem cauſam eſſe. Dictos verò Crocos eandem omninò poſſidere virtutem medicam plurimis paradoxum videbitur cùm communiter modò adſtringere, modò aperire, pro diverſa præparationis ratione dicatur ferrum. Verùm cùm jam *Doctiſſ. TACHENIUS*, paucis ſaltem verbis, aſt ſolidis certè, hæc demonſtraverit, ut non facilè quempiam forè crediderim qui in iis non lubentiſſimè acquieſcat, labore hoc ſuperſedere licebit. *Hoc ſaltem tribus verbis monebo, ipſam limaturam Martis crudam, omnibus illis, ſine Acido Ignis ſive Acido vitrioli ſulphuris, ſalis, factis præparationibus multis nominibus anteferendam eſſe.* Crocus verò iſte nihil omninò differt à rubigine; hæc autem ab acidis fit.

Sed mittamus hæcce & ignis particulas examinemus ex uſu

ejus

ejus Medico, quem HIPP. tanti æſtimat, ut quæ ignis non ſanet, illa pro immedicabilibus habeat. Uſum verò ejus in externis potiſſimùm ulceribus mali moris exſtirpandis conſiſtere, norunt *Chirurgi*. *Norunt* verò & iidem, *omnium* omninò *ulcerum cauſam eſſe Acidum quoddam rodens, quo ſublimato ulcus ſanetur*. Externa vero *quæ ulcus tollunt trium potiſſimùm generum ſunt*. Operantur enim *Acidum* rodens l. *ſaturando*; qualia ſunt *ſpiritus ſalis Ammoniaci cum Alcali fixo ritè præparatus*; *Decoctum item Calcis vivæ Alcali fixo impregnatum. Oleum Tartari per deliquium*. Vel Acidum rodens *abſorbendo* & aſſumendo: qualia ſunt ſaturnina omnia.

Ita novi, qui ſolis ſaturni laminis tenuioribus, tibiis acido rodente eroſis applicatis, ulcera ſanarunt. Quemadmodum enim Acetum in Saturno facillimè coagulatur, Acidum item Ignis pro Minio (quod jam jam demonſtratum eſt) Sulphura item Metallorum immatura & impura acida pro Lithargyrio: *ita etiam Acidum illud muſculoſam carnem rodens, in illo coagulatur; quô acido abſorpto ulcera ſanantur*. Vel denique *potentiori Acido debilius ſupprimendo*, uti operatur *Viridæ æris*, quod conſtat ex particulis Veneris & Aceti ſalibus acidis, coagulatione iſtâ concentratis; quarum vis, propter phlegmatis ſeparationem tantò potentior eſt communi aceto.

Hoc Viride æris præſtat illa ferè omnia, quæ *unguentum illud illud Iſidis* Pata vinis dictum, quo Chirurgi Noſocomii S. Franciſci, in ulceribus omnibus ſanandis feliciſſimè utuntur. Particulæ vero illæ acidæ concentratæ, Acidum illud putredinis ulcerum ſupprimendo, agunt. Idem quoque ſentiendum de uſu *Aquæ fortis*, *ſpiritus Salis*, cæterorumque acidorum ſpirituum, quorum non eſt uſus, niſi in acido putredinis exſtirpando, aciditate quâdam potentiori. Atque in horum cenſum referendus quoque *Ignis* eſt, cujus potentiſſimum Acidum, dum debilius Acidum ulcerum putredinis ſupprimit, ulcera ſanantur. Quem cauteriorum actualium mirandum propè uſum noverint illi, qui Noſocomium Patavinum St. Franciſci quotidie viſitarunt. Germani enim hoc auxilii genere, tanquam duriori & aſperiori plerumque abhorrent.

Ut verò tanto certiùs conſtet, particulas Ignis acidas eſſe, hujus-

que Acidi ſalis ratione, Cauteria actualia dicta, operari, videamus tandem illa, quæ combuſtis opem ferunt medicamina. Hæc vero omnino eadem ſunt cum illis, quæ in antecedentibus Acidum exulcerans corroſivum imbibere experientiâ demonſtravimus; *Saccharum Saturni* nempe, *Ceruſſa*, *Lithargyrium*; Olea cum ſpiritu vini, ſive etiam deſtillatione ex tegulis, ſive diuturniore coctione correcta. Quotum quidem oleorum operandi ratio in quo ſita ſit ex antecendentibus non poteſt eſſe obſcurum, ubi demonſtravimus, Olea dictis rationibus parata, acidas ſuas particulas amiſiſſe; unde vacua quaſi reddita, aliud Ignis acidum è partibus ambuſtis libenter ſuſcipiunt. *Atramentum ratione Martis Acidum loci ambuſti ſuſcipit. Lixivium ratione ſalis Alcali ambuſtis medetur. Fila illota inflammationes Eryſipelatoſas ſedant, propter Alcali ſalivæ.*

Quæ hîc de natura & particulis Ignis noſtri culinaris attulimus, eadem quoque *intelligenda ſunt de Cæleſti illo Fulminum Igne.* Neque enim hîc *aliud eſt* quàm *velociſſimus motus particularum acidarum volatilium*; quanquam hæ fulguris particulæ fortiores ac penetrantiores culinari Igne appareant ex eo, quod in illis ſopiendis & exſtinguendis, non occultum Alcali aquæ fontanæ ſufficiat, ſed manifeſtiùs illud lactis requiratur. Multa quæ hîc de fulguris natura, ejusque operatione dici poterant ſtudio prætereo, tùm quòd juſto prolixior futura eſſet hæc mea diſſertatio, tum etiam quod ſub finem hujus nonnulla de iis afferendi locus & occaſio erunt.

Atque ex dictis quidem de Ignis natura ejusque particulis, non difficile erit *caloris* naturam cognoſcere. Effluvia nempe illa ſenſim à corpore incenſo diſcedentia, quamdiu intra flammæ ſphæram continentur, motu ſuo celerrimo flammam ſeu ignem formaliter ſic dictum conſtituunt, poſtquam vero illam exceſſerunt, ſenſim tardiùs moveri incipiunt, adeoque pro majori vel minori illorum à flamma diſtantia, velociùs vel tardiùs moventur. Atque hæc effluvia ſunt, quæ temperato ſuo motu, calorem corpori noſtro temperatum & gratum afferunt, quod ſit aciditate ſua, nervoſa capillamenta ad leves ſpaſmos incitando. Quemadmodum enim ipſe Ignis acidis ſuis particulis nervoſas partes rodendo, graviſſimos motus excitat convulſivos: ita particulæ ejus tardiùs motæ, leviores ſaltem ſpaſmos excitant.

Quan-

Quanquam verò caloris ſenſus è motu particularum acidarum temperato dependeat, non tamen inde ſequitur, uti nonnullis viſum, *Frigoris* rationem ex earundem particularum quiete petendam eſſe, adeoque frigus mere privativam rationem obtinere, cùm indubitatis rationibus conſtet, *frigus non minus ac calorem poſitivum quid eſſe.* Quomodo enim aqua pluvialis, in nivem vel grandinem figurâ adeo exactè Geometrica coagulari poſſet, niſi revera ſal aliquis coagulans hyberno tempore in Aëre hoſpitaretur.

Teſtantur idem ulcera & vulnera; quæ niſi probè ab Aëre frigidiori defendantur, in Gangrænam abeunt & ſphacelum. Aſt dixerit quis; in his Gangrænam ex merè privativa Cauſa ortam eſſe? *Frigus haud rarò homines, dormientes præſertim, necat; ſed quâ ratione alia quàm ſpiritus, vitales dictos, figendo.* Figere verò, caloremque nativum exſtinguere non privativum, ſed revera poſitivum eſt. *Et ex cujus quæſo privatione, aqua coagulatur in glaciem*, ſoliusne motus? Nemo quidem hoc dixerit facilè; præſertim qui attenderit, poſſe quoque certis ſalibus, entibus omninò poſitivis, ſimile frigus excitari. *Sal Ammoniacum enim Nitrum* &c. *aquis injecta, nivis ad exemplum, frigus ſatis intenſum producunt.* Senſum Rigoris, paroxiſmum febrium intermittentium præcedentem à cauſa privativa proficiſci, quis dixerit? Sed cum in rebus per ſe, ſuaque luce claris, nullis vel paucis indigeamus & rationibus & experimentis, mitto hæc, & ad ignis naturam revertor.

Cùm igitur plurimis hactenus, & ut ſperamus invictiſſimis rationibus æquè ac experimentis, demonſtratum ſit; *Ignis* formalem rationem nihil niſi *motum eſſe velociſſimum* particularum; particulas verò motas ſeu *materiam Ignis*, *eſſe particulas Acidas Volatiles*; videamus quæſo, quâ ratione & veritate, Ignis inter Elementa vel principia corporis naturalis referri poſſit.

Peripatetici rogati, ut ignem oſtendant, non poſſunt afferre alium, quàm quem externis ſenſibus lucentem & comburentem deprehendunt. Hic verò ſi ita formaliter corporis naturalis compoſitionē ingrederetur, corpora non tam conſtituerentur, quàm deſtruerentur. Formaliter enim Ignis conſideratus, ſive prout in motu jam exiſtentes

particulæ, alias ſibi homogeneas quieſcentes hactenus particulas acidas ad motum excitant: non tam exſtructor ſeminum eſt quàm illorum deſtructor; quo modo ergò Corporis Naturalis Principium ſalutandum erit?

Quamvis verò nunc luculentiſſimè conſtet, ignem formaliter ſic dictum, nullatenus ad corporis naturalis compoſitionem concurrere, neque præterea ulla ratione ineſſe; videamus tamen qua ratione Ignis miſto ineſſe dici debeat. Atque hoc quidem ex antecedentibus obſcurum eſſe non poteſt. Inſunt enim cunctis corporibus conflagrabilibus particulæ Acidæ (ſufficientiſſimè in antecedentibus demonſtratæ) quæ Ignis nomine jure ac meritò ſalutantur. Ab igne enim culinari ſola quiete vel etiam motûs gradibus differunt. *Talem ignem habet ventriculus omnium animalium; nec ſtomachus ſaltem ſtrictè ſic dictus, ſed omnium quoque muſculorum animalis ventriculi*, omnia item vegetabilia, lactuca, endivia, non tactu ſaltem, ſed poteſtate etiam frigida appellata.

Quod attinet ignem illum in ventriculo ſtrictè ſic dicto habitantem, quo mediante cibi coquuntur, & ad corporis noſtri nutritionem apti redduntur, Acidus ille eſt, uti patet ex ructibus acidis ſanorum, lactis item hauſti coagulati evacuatione. Unde etiam *HIPP. ſect. VI. Aph.* 1. *In diuturnis Lienteriis* inquit (propter acidum ventriculi fermentum ſeu Ignem deficientem ortis) *ſi ructus acidus qui prius non extiterit, ſupervenerit bonum eſt ſignum*, (fermento enim hoc acido ſ. Igne ventriculo reddito, cibi ritè ſolvi incipient, neque uti antea immutati excerni.) Ut verò appareat, quâ ratione Ignis hicce in ciborum coctione operetur, notandum ſ. potiùs ſupponendum hîc eſt (in ſequentibus fortè ſolidiùs demonſtrandum) cuncta nutrienda non vegetabilia ſolùm & mineralia nutriri Alcali, ſed Animalia quoque. *Dum igitur animalia* v. g. *homo maſticat, carnes vel nutrimenta alia, Alcali ſalivæ, menſtrui inſtar, reliquas in cibo latentes particulas alcalicas ſibi homogeneas extrahit, quæ hac ratione ſolutæ, cùm in ventriculum ſanum delapſæ fuerint, ab Acido illo Igne vel etiam fermento facilè ſuſcipiuntur*: nec ſuſcipiuntur ſolùm, verum etiam ſeminali quâdam proprietate imbuuntur, quâ determinantur particulæ

culæ iſtæ ad ſolùm hominem nec aliud animal nutriendum. Antequam Alcalicis illis cibi particulis, ſalivâ ſolutis, accederet, Acidum illud Stomachi fermentum, indifferentes erant ad hoc vel aliud animal nutriendum. Nam & plura animalia iiſdem ferè quibus homo nutriuntur alimentis, quanquam crudis. Stomachi verò ſeminale fermentum Ideam illis imprimit & ſigillum quaſi, quo ipſo ab alimentis in aliorum animalium ventriculis propria idea inſignitis, ſpecificè differunt (*quare miror quòd Clyſteres nutrientes credant*) quod ex diverſis illis diverſorum animalium excrementis facilè colligitur. *Ex Alcali illo ciborum & acido ventriculi fit ſalſum, quod multos decepit, cum Acidum non deprehenderent guſtu fermentum.*

Neque verò Ignis ejuſmodi, in ventriculo animalium ſtrictè ſic dicto ſolùm reperitur, verum etiam quàm plurimis aliis animalis partibus. *Quilibet namque muſculus habet ſuum, ventriculum*, qui adducta alimenta, æquè ac ſtomachus, ſeminali partis acido imprægnat, quo fit ut advectum alimentum in hanc v. g. tendinis, nervi, arteriæ, hujusve muſculi, non alterius, partem transformetur.

Idem quoque in Mineralibus patet, nam & in illis Mercurius, alimentum Metallorum (ut ita loqui liceat) per ſe, ad hujus vel alterius Metalli formam ſuſcipiendam indifferens, pro ſeminalis Sulphuris Acidi (ſeu Ignis) diverſitate in hoc, vel aliud metallum mutatur.

Neque igne hocce vegetabilia ſunt deſtituta. Taceo hîc Ignem illum hordei germinantis, pro Cereviſiæ coctione parati, cujus jam in antecedentibus facta mentio eſt, cuique principium motûs particularum, caloris ſc. ac fermentationis, jure tributum eſt. Nam & *cuncta vegetabilia* ejuſmodi *igne ſ. particulis acidis gaudent*, quo ſi deſtituerentur, omnis motûs ac germinationis, fermentationis etiam, omninò incapacia eſſent, neque etiam calcinata, vel granum ſalis fixi nobis largirentur. Quod ſi cui dubium viſum fuerit, conſideret ſaltem quorumvis vegetabilium, ſive frumenti, ſive uvarum, pomorum, cæterorumque fructuum omnium expreſſos ſuccos, quàm citò illi, poſt diuturniorem fermentationem nempe acorem ſapiant, & confeſtim omni dubio liberabitur. *Sed in horum quoque Acido*

vis

vis vegetabilis ſeminalis habitat, quod vel ex ſola fermentatione Tartari crudi, cum Sale Tartari obſervari poteſt. *Fermentationis quidem principium activum, inter Tartarum crudum, ſ. Cremorem Tartari & ſalem Tartari, nullum aliud eſt, quàm Acidum illud Cremoris Tartari, quod in ſalem Tartari ceu fœminam, materiam & principium merè paſſivum, maris inſtar agit:* ſemen tamen idea vel etiam Archæus, in Acido Tartari uvas efformat, illis è vite pendentibus ſimillimas. Hæc omnia quamvis adeò certa & veritati omninò convenientia eſſe, certiſſimus ſim; ut ne unicum contrarium exemplum quidem, his opponi poſſit; in ſubſecuturis tamen hæc majorem forte lucem accipere poterunt. Neque interea hîc præterire poſſum & ſapientiſſimos illos Naturæ inrerpretes Majores noſtros, Ignem cunctorum corporum Principium ſalutaſſe: è quibus eſt *Pythagoras*, *Heraclitus*, *Stoici*, *Phænicesque* omnes: an verò ullâ vel probabilitatis ſpecies ſubeſſe poſſit, intellexiſſe hos per ignem, illum culinarem & comburentem, atque huic conſtitutivi principii corporis naturalis rationem tribuiſſe, quem nonniſi corporum deſtructorem quotidiè obſervaſſent? credat hoc Judæus Appella. Neque enim hoc cum aliis ipſorum inventis conſiſteret. Quare omninò probabile eſt, intellexiſſe eos per Ignem, particulas illas animalium, vegetabilium & mineralium acidas, quibus Doct. *Tachen* ex *Hipp.* nomen *Ignis mollis* tribuit. In hiſce enim particulis cum rerum naturalium ſemina ac Ideas reconditas eſſe, longâ experientiâ innumerorumque ſingularium obſervatione acquiſitâ & Ratione confirmatâ, deprehendiſſent, eaſdemque particulas omnis motus in corpore naturali *autores* obſervaſſent, *ignem rerum eſſe principium affirmarunt.*

Neque cum his pugnant *Thales*, *Homerus*, *Heſiodus*, *Orpheus*, ipſeque ſacræ Geneſeos ſcriptor *Moſes*, uno ore omnes *ex* aqua cuncta primitus producta eſſe docentes: neque *Phænices* cum *Phænicibus*, qui non Ignem tantùm uti ante dictum, ſed etiam aquam pro principio naturalis corporis habuerunt. Hi namque *aquam principium ſaltem materiale rerum naturalium dixerunt*, quibus non contrariantur illi, Ignem formale corporum Principium eſſe, docentes. Verò namque verum non contradicit.

Hoc

Hoc tamen de particulis illis acidis ſ. Igne probè notandum, quod principii nomine appellentur ſaltem ratione illius formæ vel ſeminis, cujus ſunt domicilia, cujus item ſunt organa motus. Semine namque iſto vel formâ ſeparatâ, æquè ac alia corpora in primum Chaos, aquam nempe Elementalem relabuntur. Ita cunctos ſpiritus, ſaliaque acida, Pinguedines, Olea, mechanicè in aquam reduci poſſe, præter *Helmontium* aliosque quotidiana in Chymia experimenta docent. Sed hîc manum de tabula. Studio enim hic multa prætereunda ſunt, quæ multis ad litigia potiùs inania promptis, quam experimenta facienda, Philoſophis nauſeam & bilem moverent. Hoc tamen non pigebit afferre; cujus gratia hactenus omnem illum pro ignis natura ſolidè inveſtiganda laborem ſuſcepimus. IGNEM nempe per ſe conſideratum (citra habitam rationem ſeminis ſeu formæ ſpecificæ in particulis Illis acidis habitantis) nulla ratione Elementum ſ. Principium corporis naturalis habendum eſſe; Quomodo n. hoc Principii rationem tueri poſſet, quod contra Principiorum leges in aliud prius reſolvi poteſt? At verò omnes illæ particulæ Acidæ cujusvis corporis, quibus, non aliis, rationem Ignis in miſto naturali reperibilis tribuendam eſſe, quamplurimis experimentis in antecedentibus demonſtravi: omnes inquam illæ, in aquam Elementalem reduci ultimatò poſſunt.

Quare tandem aliquando hiſce circa Ignis naturam inveſtigandam, occupatis meditationibus finem imponemus, iisdem verbis easdem claudentes, quibus auſpicati ſumus, *Ignem nihil eſſe aliud quam motum particularum acidarum volatilium velociſſimum.* Cum velociſſimum dico, excluſos volo motus totius mixti tardiores, quibus nec Ignis, nec calor producitur, ſed tùm demum, quando ſingulæ minimæ quoque ſalis acidi particulæ ſ. atomi, velocius agitantur, quod in miſtorum fermentationibus manifeſtè patet.

Atque nunc citra omnem obſcuritatem intelligitur, quomodo Ignis miſto naturali, citra miſti deſtructionem, ineſſe poſſit; quod *Peripatetici* valde ſemper admirati ſunt. Cum enim Ignem cuncta conflagrabilia deſtruere, quotidiè adverterent, in maximam delapſi ſunt difficultatem, quâ ſe extricare hactenus non potuerunt; quo-

modo ſcil. Corporum hicce deſtructor citra tumultum in miſta habitare poſſit.

Difficultas verò hæcce ex antecedentibus facilè ſuperatur; ubi demonſtratum, *Ignem formaliter ſic dictum ſ. Culinarem quem videmus, nihil niſi motum particularum acidarum velociſſimum eſſe.* Qualis cum non obſervetur in particulis illis Acidis, cuivis miſto conflagrabili inſitis, mirum non eſt, corporis compagem non deſtrui, ſi ipſi motus & diſſolutionis autores quieverint; ſ. breviſſimè ita. *Particulæ Acidæ quieſcentes Ignis ſunt corporum*, quæ niſi ad motum velociſſimum incitatæ, corpora non deſtruunt, ſed perficiunt potiùs.

Hæc de Natura Ignis dicta ſufficiant, jam pauciſſimis ſaltem de *Aëre*, cujus plenam hiſtoriam qui expetit, adeat alios, præcipuè verò HELMONT. qui §. 3. *Gas* aquæ, Cœlum pro *Aëre*, accipit, locaque alia. Hoc ſaltem unicum notabimus; Rationes illas, quibus *Peripatetici* Aërem ad Corporum naturalium conſtitutionem concurrere, probare conantur, minus ſolidas eſſe. Omnium verò evidentiſſimum arbitrantur eſſe experimentum, *ſi Vegetabilia crementur*: v.g. ligna, *è quorum combuſtione fumus*, qui adſcendit, *loco Aëris ab iis habetur.* Quod quidem quàm falſiſſimum ſit, nemini dubium eſſe poteſt, qui fumum in fuliginem coagulari ſalinam obſervarit; quæ profectò immane quantum diſtat à natura Aëris. Neque adeò fumus incenſo ligno ſuperiora petens magis teſtatur exiſtentiam aëris in miſto, quàm ſal fixum in cineribus relictum exiſtentiam Terræ, tanquam Elementi ad compoſitionem miſti pertinentis. Cum igitur nullo potiori argumento *Peripatetici* nixi, exiſtentiam aëris in corpore naturali demonſtrare poſſint, haud ægrè ferent: Aërem Principiorum naturalium ordine excluſum eſſe. Neque enim ex eo quid conſtare dicendum eſt, in quod reſolvi oculisque exponi non poteſt.

De *Terra* & *Aqua* quæ ſupra dixi, nolo hîc cum tædio repetere.

Cùm igitur ſatis, uti arbitror, demonſtratum ſit, *Quatuor ſic dicta*

dicta Elementa nulla ratione pro principiis Corporum Naturalium habenda esse, inutiles planè sunt quæstiones & disputationes; an Elementorum dictorum formæ integræ, an verò refractæ mixtis inesse dici debeant; cùm præterea *falsissimum* sit, *è quatuor Elementorum conjunctione, formas naturalium corporum specificas proficisci*, cui formæ Elementorum propriæ subordinentur. Quibus enim argumentis aut experimentis hunc specificarum formarum ortum demonstrare poterunt? Aſt verò si *naturam seminum ac Idearum*, solidiùs cognitam atque perspectam haberent *Peripatetici*, de ratione Formarum longè aliter philosopharentur.

Et quomodo quæso, quave probabili aut saltem tolerabili ratione, mirabilem illam Vegetabilium, tum à se invicem, tum verò à mineralibus & animalibus differentiam, virtutes, ex Elementorum dictorum mistione explicabunt? Cadentibus itaque quatuor hisce Elementis, Principiorumque ordine exclusis, sua quoque sponte ruunt illa, quæ iisdem superstructa erant; omnis nempe doctrina *Peripateticorum* de Temperamentis & quatuor humoribus, nunquam in lucem revocanda.

Examinatis igitur *Peripateticorum* Principiis s. Elementorum Quaternario; videamus nunc quoque *Principia* illa PARACELSI, ejusque assectarum. *Sal* nempe *Sulphur* & *Mercurium*, quibus tanquam primis initiis cuncta composita constare, omnium naturalium rerum generationes, alterationas & corruptiones, inniti contendunt; adeò ut vix hodie vel Chymici cujusdam famulum Carbonarium, vel etiam barbitonsorem reperire liceat, qui non ubique, *Sal Sulphur* & *Mercurium* crepet. Videamus (inquam) quid tribus istis Genuini Principii nomine dignum insit.

MERCURIUM itaque quod attinet, antequam videamus, quo jure quâve injuria titulum veri Principii obtinuerit, explicandum hîc erit, quid per nomen *Mercurii* intellectum velimus. In hoc enim demonstrando autores ipso Mercurio inconstantiores observantur.

Metallorum quidem & Mineralium *Mercurium* omnes concedunt esse illum, quem vulgi vocamus; de cujus præparatione, ut Philosophorum Fiat, videri possunt Philosophi Adepti. Quomodo item è metallis iterum separari possit, hodie adeò ignotum non est, disceptantibus licet inter se, de rei veritate, acriterque digladiantibus Clariss. Viris.

In animalibus saltem & vegetabilibus, quid *Mercurii* nomine appellandum sit, multum semper negotii facessit Philosophis. Haud pauci, inter quos *Beguinus* in *Tyrocinio Chymico*, Mercurium dicunt esse liquorem acidum, permeabilem, penetrabilem, &c. à quo omnis nutricatio, sensus, motus, &c. Verùm dum Acidum, liquorem de natura Mercurii esse arbitrantur, haud parum à via aberrare videntur; cùm citra omnem dubitationem constet, *Acidum ad Salia pertinere*, adeoque *Mercurium* istum *à salino principio nulla ratione differre*, quin etiam hâc ratione Principii rationem sustinere non possie, dummodò cuncta Salia Acida, in aliud prius, aquam nempe Elementalem, reducibilia esse, manifestum sit.

Alii *Mercurii* nomine salutant illas particulas animalium & vegetabilium, quas cæteroquin spiritus appellare solemus, quos inter est Excell. *Sennertus* l. de *Cons.* & *Diff.* c. 11. qui tamen ipse citatô loco non diffitetur, *Mercurium* huncce, à sale volatili vix ac ne vix quidem separari posse; in subsequentibus autem si non Re, saltem Ratione Sapientum, eundem à sale volatili separabilem esse, arbitratur; Sed pace tanti viri, salvâque ejus & aliorum sententiâ, *Mercurius* hoc modo acceptus, nec Re nec Ratione à sale volatili distingui potest. In antecedentibus enim sufficienter credo demonstratum est, *Spiritus* illos, tam vegetabilium quàm animalium, revera *nihil nisi sales in phlegmate solutos esse*.

Neque verò hâc ratione, *Mercurius* Principium corporum naturalium appellari poterit. Nam quod in antecedentibus quoque ostensum, quamvis è vegetabilibus ope fermentationis, particulæ spirituosæ separari possint, illæ tamen naturaliter citra artificio-

tificioſam fermentationem, formaliter in mixto non præexſtiterunt, niſi quod materialiter ſaltem in oleis latuerint. Cum & hoc accedit, quod dicti *Spiritus & olea vegetabilium*, revera non Principia ſed *Principiata* ſint cum in aliud prius, aquam nempe Elementalem, ultimatò reſolvi poſſint. Et quod potiſſimum eſt, Mercurius hicce omninò idem cum Salino Principio eſſet; quod non facilè conceſſuros credo *Paracelſi* diſcipulos.

Prætereo hîc infinitas ferè Mercurii differentias, quæ apud *Scheunemannum* videri poſſunt, & ad illos me confero, qui *phlegma* ſeu *Aquam* in vegetabilibus & animalibus deprehenſam, *Mercurii* nomine appellant: qui quidem quàm proximè rem acu videntur attingere. Nam ſi quid in corpore naturali *Mercurii* nomine appellandum, certè aqua erit, ſeu phlegma: cæteræ particulæ ferè omnes corporis naturalis, quamvis & ipſa materialiter nil niſi aqua ſint, ſub aliis tamen formis, Sulphuris nempe vel Salis, latent. Atque huic Phlegmati revera illud competit, quod Philoſophi æquè ac Aſtrologi *Mercurio* tribuerunt. Philoſophi equidem Mercurium verſipellem appellârunt *Proteum*, quivé ejus rei cui ſe adjunxerit, colorem ſuſcipiat. Quo ſignificare voluerunt, *Mercurium* pro formarum ac ſeminum varietate, in varia ac ſpecie diverſa corpora coagulari, adeoque per ſe indifferentem eſſe ad hanc vel aliam formam, vel etiam innumeras, ſucceſſivè recipiendas. Quod revera in aqua Elementali meridiano Sole clarius videmus. Hæc enim virtute ſeminum diverſorum & formarum, modò in hoc, modo aliud vegetabile tranſmutatur; uti ex ſubſecuturis facile clarius patebit. Unde eligantiſſimè quoque Magn. *Helmont. Mercurialem vegetabilis, vel animalis partem, phlegma vocat ſivè aquam, à Semine nondum maturatam* ſeu formâ ſeminevè partis imbutam.

Aſtrologi quoque *Mercurium* ſuum *cæleſtem*, illius planetæ viribus affici, quibus conjungatur, docent, adeò ut cui planetæ jungatur, ejus vires augeat, & pro Planetæ diverſitate modò beneficus evadat, modò maleficus. Idem quoque in phlegmate ſeu aqua elementali manifeſtum eſt, quæ cui Planetæ ſeu ſemini juncta fuerit, ejus naturam ſuſcipit.

Ita aqua juncta ſemini *vegetabili* fit vegetabile, juncta verò ſemini *animali* aut *minerali*, & horum naturam amplectitur.

Neque hoc ſolùm, verùm etiam pro ratione ſeminis, modo beneficam, corporique noſtro ſalutarem, modò malignam & deleteriam naturam ſuſcipit. Ita *in Napello* v. g. planta, noſtræ ſanitati pernicioſiſſima, & *Rore Marino*, vel *Majorana*, inſignibus morborum medelis, juxta ſe in uno ſolo poſitis, aqua cunctorum nutrimentum, *in Napello*, Napelli vim venenatam; *In rore Marino, Majorana*, ſalutarem venena depellendi virtutem induit.

Quæ hic de vegetabilibus dicta ſunt, eadem quoque in animalibus & mineralibus ita ſe habent. Nam & animalia *aqua* nutriuntur. Præterea enim quod *aquam* potent (*cui contra omnem certè rationem à quibuſdam celebribus cæteroquin Medicis, vis nutritiva omninò denegatur, quaſi nutrimenti ſaltem vehiculum quoddam foret*) *nutriuntur vegetabilibus; quibus præter aquam nullum aliud nutrimentum eſt.* Adeoque aqua, quæ jam v. g. à ſemine graminis in gramen mutabatur, nunc in homine v. g. pro fermenti cujuslibet partis, in muſculorum ventriculis habitantis diverſitate ſpecificâ, in diverſas partes mutatur.

Idem etiam in Mercurio Metallorum ſtrictè ſic dicto obſervamus; nam & hic materialiter nihil niſi aqua eſt (docentibus omnibus rectè philoſophantibus) quæ ſaltem à ſemine quodam Metallico in ſiccum illum humorem, ſive aquam, manus non madefacientem, primò coagulata eſt, (ita natura à ſimplicibus ſemper ad magis compoſita progreditur) quæ deinde indifferens eſt, ad variorum Metallorum formas ſuſcipiendas. Unde Mercurius hicce rectè omnium Metallorum materia & mater ſalutatur.

Verùm, cum in ſubſecuturis plura de his diſſerendi anſa futura ſit, hæcce de Mercuriali illo Principio dicta ſufficiant; Nihil ſcilicet in miſto naturali reperiri poſſe, cui nomen *Mercurii*, tanquam veri & non in alia priora reducibilis principii, jure competere poſſit, præter Aquam Elementalem. Hæc ſola in aliud prius naturaliter reſolvi nequit; cætera omnia, quas vulgo Chymicorum Mercuria-

lis

lis principii rationem habere videntur, ad Salia pertinent. Neque adeò peculiare à ſalibus principium conſtituere poſſunt, cum & præterea quod contra naturam veri principii eſt, in alia priora reſolubilia ſint.

Progrediendum itaque eſt, ad alterum *Paracelſi* Principium *SULPHUR* nempe examinandum. Verum cùm in antecedentibus ſulphuris natura, cùm loco proprio, tùm de natura *Ignis* quando prolixè ſalis egimus clarè ſatis explicata ſit, atque demonſtratum, quo jure *Sulphur* inter principia corporis naturalis ſtare poſſit, nolo hic dicta repetere, ſed benevolum lectorem ad præcedentia remitto.

Tertium igitur nunc reliquum eſt Principium, *SAL* nempe, cujus naturam, induximus animum, paulò ſolidius (faxit DEUS feliciter,) explicare. Cùm verò infinita ſint quæ de natura ſalis afferri poſſunt (Nulla enim eſt, nec minima Naturæ operatio, quæ absque ſalium miniſterio perficiatur) certos illos tamen limites ab *Illuſt. Societate Britannicâ* mihi præſcriptos, non facilè excedam. Quod adeo varias illas Salium diſtinctiones in *Alcalia*, *Acida*, vel *Neutra*, attinet; præſupponimus illas hic potius, quâm ut in iis ab Excell. *Boyle Helmont*: *Tachenio &c.* clariſſimè demonſtratis, recenſendis, multum laboremus.

Salem quidem, naturaliter citra ignem accedentem, miſtis ineſſe, quamvis adeo verum ſit, ut nihil magis, non tamen defuerunt, qui terreſtribus partibus hoc ſaltem accidere arbitrati ſunt, ut per ignem in ſalſum convertantur: prout opinati ſunt *Schegkius & Riolanus*, ducti forſan hac ratione, quod è multis rebus, v.g. lignis, ſilicibus poſt calcinationem ſalia ſeparabilia eſſe obſervarent; quæ tamen ante calcinationem omnis ſaporis (cujus principium ſali tribuebant non immeritò) expertia erant. Verùm hi obſervare debuiſſent; quamvis rerum ſapores, rectè à Sale deriventur, non tamen inde neceſſario ſequi, cuncta inſipida ſale carere. *Poſſunt enim particulæ ſalinæ impediri, ut ſaporem conciliare non queant*, quod potiſſimum in lignis & ſilicibus fit, arctiſſimâ particularum concretione, quâ

quâ fit, ut particulæ ſalinæ non facilè moveantur. Ut enim ſaporem rei percipiamus, neceſſaria eſt *ſapidarum particularum ſeu ſalium ſolutio*. Niſi enim ſolutæ ſint particulæ iſtæ, illarum actiones & punctiones, ab organo guſtûs non percipientur. Quod adeòque miſta quædam ante incinerationem inſipida, poſt illam ſalinum ſaporem habuerint, ex eo ſolummodo eſt, quod ſalia per ignem ſolvantur, & quæ per totam mixti compagem ſparſa erant, colliquentur; adeòque particularum harum ſolutarum virtus unita, tanto potentius ſe exſerat.

Salia vero hæcce, à particulis terreſtribus multis paraſangis diſtare, non obſcurum eſſe poterit illi, qui ſalia in aquis ſolubilia eſſe; terras minimè, adverterit. Et, ſi ſalia nil niſi particulæ terreſtres ſunt per ignem in ſalſas mutatæ, *quæ quæſo ratio eſt, quare cineres ſemel elixiviati, denuoque calcinati ne granum Salis fixi largiantur*, aut quare particulæ terreſtres quævis igni expoſitæ ſalſum non induant ſaporem.

Quamvis itaque nullum dubium ſit, quin particulæ ſalinæ reverà citra calcinationem in miſto præexiſtant, non leve tamen dubium oritur, *an Salia illa Alcaliſata per calcinationem* v. g. lignorum producta, *formaliter ita ante calcinationem in miſto præextiterint*, an verò non. Atque hoc primùm argumentum eſt, cujus ſolidam rationem à me exegit *Illuſtr. Societas Regia Britannica*. Cum enim ante annum ferè in Epiſtola mea ad Præcell. Dn. *Joëlem* LANGELOTTUM exarata, Cauſas volatiliſationis Salis Tartari explicaturus, circa fixorum Alcaliſatorum Salium naturam monuiſſem nulla ratione hæc formaliter ante calcinationem in corpore naturali præexiſtere, paulo durius hoc dictum viſum eſt *Illuſtriſſimæ Societati Regiæ*, ut etiam ad hæc fuſius ſolidis rationibus atque experimentis demonſtranda, graviſſimi juxta atque humaniſſimi autores extiterint. Ut verò tanto promptius inceptum Iter aggredi, ac abſolvere poſſimus non abs re facturum me credo, ſi quid per *Sal fixum* hoc loco intellectum velim, præmoneam.

SAL FIXUM quidem illud dicitur, quod per ſe ſuperiora non

non petit, ſed aërem, ac pro gradibus fixitatis, etiam *ignem tolerare poteſt*, *neque* adeo ullum *odorem de ſe ſpargit*, atque hæc Salia non ſunt, unius Generis.

Reperitur enim v. g. *in ſucco uvarum* ejuſmodi *Sal fixum*, quod Sublimia non petit, aërem tolerat, odorem vero nullum largitur, quod uno nomine *Tartarum* vocamus, qui in cunctis vegetabilium ſuccis reperitur; quem celebres ceteroquin Viri, *Sala* ac *Zvvelferus* neſcio quo auſu, *Salium ordine excludere* non erubuêre; alii verò plus nimio eidem tribuentes Salium volatilium eſſentialium, è vegetabilibus parandorum, titulum conceſſerunt. Hæc verò *Tartari* fixitas ex eo eſt, quòd Alcali in illo cum Acido ad punctum Saturationis uſque commiſtum ſit, & propterea Alcali ab Acido figatur. Quam Naturæ operationem ſequuntur illi, *qui Sali volatili* v. g. *Cornu Cervi*, *Urinæ*, *Spiritum Salis acidum affundunt*, quô Salia volatilia figuntur, ut ſuperiora impoſterum non petant, atque etiam quadantenus ignem tolerent. Ita Spiritus Salis, Salibus volatilibus Urinæ fuliginis affuſus, producit Sal armoniacum, quod, uti notiſſimum, omnis odoris expers eſt, & propterea non immeritò Fixum appellari poteſt.

Præter hoc verò *Fixorum Salium Genus adhuc aliud eſt*, quod per vegetabilis nempe calcinationem producitur, quibusque particulæ terreæ figentes commixtæ, qualia ſunt *fixa Salia*, *Tartari*, *Abſinthii*, *Centaurii minoris*, quæ ad differentiam à cæteris, Alcaliſata dicuntur, &c. cinerumque omnium.

Quibus præſuppoſitis igitur, quando quæſtio movetur; *An Salia fixa ante calcinationem in miſto præexiſtant*, *an verò per ignem demum fiant*, *probe notanda eſt Salium fixorum*, *antea demonſtrata diverſitas*, ne Fallacia decipiamur plurium interrogationum (uti ſcholis dicitur:) Quod ſi enim quæſtio mota accipienda erit, de priori ſalium fixorum acceptione, omninò dicendum eſt, eadem ante calcinationem formaliter in miſto præexiſtere. Tartarum enim cunctis vegetabilium ſuccis, reverâ & formaliter ineſſe, adeò manifeſtum eſt, ut jure de illo nemo dubitare poſſit; Sit tamen ſequens non obſcurum ejus teſtimonium,

Fermentatio ſcilicet ſuccorum è pomis, pyris expreſſorum, quæ *abſque Tartaro illo, ſeu conſtitutivis ejus principiis, Acido & Alcali, nulla eſſe poſſet.* Neque aliter credo ſe intellectum vult, Excellent. *Charleton*, dum certam ſcorbuti ſpeciem, è ſale fixo profectam, docet; variis namque in locis haud obſcurè fert, ſal, non Alcaliſatum, ſeu ſtrictè fixum dictum, ſed Tartarum potiùs intelligendum eſſe.

Quod ſi vero Quæſtio ante allata, de ſale fixo alcaliſato Tartari v. g. *Abſinthii, an hæc formaliter ante calcinationem in miſto præexititerint, intelligenda ſit, omninò hoc negandum exiſtimo*, ſiquidem Sal alcaliſatum, demum per ſalium volatilium colliquationem cum terreſtribus particulis per ignem factam producitur.

Quando itaque in ſubſecuturis, Fixi Salis mentionem fecero, de Sale Alcaliſato hoc acceptum velim. De hoc verò Alcaliſato ſale, tria potiſſimum demonſtranda mihi propoſui, prout ab Illuſtr. Societate mihi demonſtranda injuncta ſunt. *Primò* quidem oſtenſurus ſum, Sal illud Alcahſatum nullatenus in mixto præexitiſſe. *Secundò* fixum redditum fuiſſe, per particularum terreſtrium commiſtionem; & *Tertiò* denique illius figentis terræ ſeparationem, unicam Volatiliſationis fixorum ſalium, cauſam eſſe.

Quod itaque *primam* attinet *theſin*, *Salia fixa, in miſto formaliter non præexiſtere* ſed per ignem primùm produci; videamus quibus rationibus potiſſimùm ac Experimentis nitatur.

Conſtat verò ſibi veritas, Experimenti illius *Tacheniani* docentis, quà ratione, ex herbis, ac vegetabilibus incineratis ritè factis, triplo vel quadruplo major ſalis fixi copia impetrari poſſit, quàm ex iis vulgari modo quæ comburuntur.

Quod ut tantò clarius conſtet; tribus ſaltem verbis, aliquot vulgares ſalium fixorum, ex vegetabilibus parandorum, rationes, afferam; non quod hæc ignorari exiſtimem, ſed ut ex præparationis horum obſervata diverſitate, theſis noſtræ veritas, tantò clarius eluceat.

Maximè autem vulgaris omnium modus hic eſt; quo *herbæ*

vel

vel vegetabilia prius exsiccata in cineres igne aperto rediguntur, quibus aqua affunditur, quæ sale fixo è cineribus imbuta, decantatur, calori exponitur, ita phlegmate largiori exspirante, quæ per totam aquam hinc inde sparsæ erant particulæ salinæ, propter amplioris loci defectum (fixæ verò sunt particulæ salinæ istæ, ut cum aqua simul evaporare non possint) coëunt, & pro seminalis Acidi diversa ratione, hanc vel aliam, Geometræ quasi circino ac regula, delineatam figuram, induunt.

Huic planè affinis est iste, quo *Extracta herbarum*, v. g. *Absinthii*, leni calcinatione, in cineres rediguntur, exque iis affusa aquâ sal fixum educitur;

Deinde *alii sunt, qui Plantam non adeo valido igne incinerant*, quique cineres Retortæ indunt, spiritumque quendam Acidum inde separant, quo tanquam proprio & seminali Acido, reliquum in Retorta sal, elixiviatum & inspissatum, in crystallos redigunt.

Quos imitantur alii, dum loco seminalis illius acidi, *tantillum sulphuris extremè calcinato sali injiciunt*, cujus acidæ particulæ, proprio semine gravidæ, formam quandam sali fixo imprimunt loco illius, cujus fortiori calcinatione jactura facta erat. Atque hujus novæ formæ accessione *præcavetur, ne in primum Chaos vel aquam Elementalem resolvantur salia*, quod necessariò fieret, si omni Acido inque iis habitante semine ceu parte Formali privata essent.

Dictis vero hisce modis, jure ac *merito anteponendus est ille Tachenianus*, qui *plantas recentes non exsiccatas, lenissimo quantum fieri potest incinerat igne*, ut nunquam luculentam flammam concipiant, sed in nigros saltem cineres convertantur, qui in olla super ignem subinde agitando, leniter calcinantur, donec albescant, sicque aqua simplici eluuntur, *Lixivium ad mellis consistentiam inspissatur*, lenique denuò igne ad brunitiem usque urgetur; quo facto tandem solvitur, & crystallisatur; Atque hic omni studio attendendum, quod *lib.* 1. cinerum ultima ratione paratorum, Salis alcalisati purissimi IV. ferè uncias præbeat, cum

quatuor libræ cinerum prioribus modis calcinatorum vegetabilium, vix unciam unam Salis fixi largiantur.

Cujus tam insignis diversitatis, è sola calcinationis, vel præparationis ratione varia, profectæ, causas si diligenter rimati fuerimus, maxima quadam animi voluptate innotescet nobis, quid de salis fixi ante calcinationem in mixto præexistentia, habendum sit.

Præparationis vero hæc diversitas in solo ignis temperamento consistit; præter hanc enim, nulla alia hic interceſſit actio, à qua tam insignis diversitatis ratio peti posset. In vulgaribus namque præparationum modis, vegetabilia aperto incinerantur igne, in hoc *Tachenii* verò, ita incinerantur leni igne nempe, ut manifestam flammam nunquam patiantur. Præter hæc quoque, in prioribus & vulgaribus modis vegetabilia exsiccata prius incinerantur; in posteriori vero hoc, non siccata sed recentia, in cineres redigun-tur. Sed quare hoc? *Exsiccatione quidem Salium volatilium ab aëris ambientis actione jacturam fieri*, in superiori Epistola mea aliquot Experimentis demonstratum reperitur.

Particulas verò nonnullas, revera abiisse, aqueis tanquam vehiculo immixtas, non potest esse obscurum illi, qui propter harum factam jacturam, salis fixi in calcinatorum cineribus deprehensi copiam, valde imminutam attenderit. *Majorem enim* v. g. *Absinthium recens combustum, salis copiam largitur, quam idem exsiccatum*; unde invictissima consequentia consequitur, particulas illas exsiccatione è vegetabili discedentes, ejusdem cum cineribus, Salinæ nempe naturæ fuisse: quomodo enim aliâs pro harum vel præsentiâ vel absentiâ, copia Salis major vel minor esse posset, cum non ex quolibet fiat quodlibet.

An verò fixæ vel volatiles fuerint particulæ istæ, neminem dubitare sinit natura fixorum, quæ adeò sponte sua superiora non petunt, ut etiam pro fixitatis gradibus fusionis ignem ferant. Volatiles ergo sint necesse est particulæ avolantes istæ.

Quibus præsuppositis igitur, cum ipso Sole meridiano clarius constet; particulas volatiles, vel Salia volatilia, fixorum saliū incineratione facto-

factorum materiam esse, neminem latere poterit natura fixorum salium, seu potius, an formaliter ita ante incinerationem in misto præexstiterint. Cum enim videamus, *salia* cæteroquin *volatilia, igne mediante, fixam naturam induere* quid poterit dici aliud, quàm *sal fixum in cineribus repertum*, non præextitisse ante incinerationem formaliter in vegetabili, sed *ex volatilibus demum productum fuisse.*

Quod quidem tantò patebit clarius, quantò accuratius rimati rationem fuerimus, *quare vegetabilia, aperto igne incinerata longè minorem Fixi Salis quantitatem præbeant*, iis, lento lenique igne quæ calcinantur; Non verò ideò lenis hic ignis requiritur, quod fixorum salium in aërem abiturorum fuga coërcenda sit; salia fixa enim, v.g. *Tartari* citra sui jacturam ignem fusiones etiam, (h. e. intensissimum, ut instar soluti auri fluant) tolerare possunt; verùm ut Salia volatilia fuliginem constituentia, intra mixti compagem conserventur. Manifesta enim apertaque flamma, si vegetabilia attingeret, hujus particulæ acidæ volatiles (quàm plurimis in præcedentibus & Rationibus & Experimentis ostensæ) celerrimè motæ, illas in vegetabili delitescentes volatiles particulas, ad motum celeriorem incitando, in auras abigerent.

Quod si verò reverà & formaliter ita in vegetabili præextitisset, nulla calcinationis varietate, copia ejus augeri vel minui posset: *Non augeri*; sic enim necessariò præsupponenda esset materia, ex qua generetur primum, neque adeò naturaliter & formaliter in fuisse citra calcinationem dici posset, utpote quod calcinatione mediante demum fieret; *Neque minui etiam*, sic enim naturam fixi salis amitteret; sed necesse foret, ex *Absinthio* v. g. diversis licet calcinationum modis accidentibus, eandem semper salis fixi copiam produci.

Verùm ut quæ dicta sunt, tantò evadant clariora, inspiciamus quæso experimentum è *Tartari* calcinatione petitum; Quod si enim *fuliginem è Tartari calcinatione* adscendentem (spiritum Tartari alioquin appellatam) exceptam, capiti mortuo reddamus

copia ſalis fixi valde augetur, quod quæſo quâ fieri ratione poſſet, *niſi particulæ iſtæ volatiles, materiam ſalis fixi conſtituerent.*

Cum itaque mechanicè jam demonſtratum ſit, quàsdam particulas cæteroquin volatiles, ignis calcinatione, in fixum alcàliſatum mutari, (quod certè citra violentam calcinàtionem in miſto præextitiſſe dici non poterit) quis jure non ſuſpicabitur; eâdem prorſus ratione & illud ſal fixum, quod citra particularum volatilium additionem in cineribus deprehendebatur, per volatilium colliquationem productum fuiſſe?

Particulæ volatiles, è *Tartari* v. g. calcinatione diſcedentes, ſi conſervari poſſent omnes, omnes quoque naturam ſalis Alcaliſati induerent. Et quod ſi, eædem particulæ omnes, è miſto calcináto diſcederent, ita ut nulla illarum conſervari poſſet, ne unicum quidem ſalis fixi alcaliſati granulum, inde nobis promittere poſſemus.

Etſi verò in violentis v. g. *Tartari*, *Abſinthii* calcinationibus, magna ſatis volatilium jactura fiat, adeoque Fixi Salis quantitas tantò, pro ignis gradibus, minor evadat; omnium tamen, ut nullæ omnino in miſto reliquæ maneant, amiſſio ſeu exhalatio contingere non poteſt. Particularum enim harum volatilium fuga, non fit in inſtanti, ut ſimul uno momento evolarent omnes, quotquot in eo latuerunt. Sed ſenſim aliæ alias fugientes, ſequuntur. Quod ipſum exemplo ſuo quotidiano docet *fuligo*, quæ quod nihil ſit aliud, præter volatilium particularum, mutuò coagulatarum congeriem analyſi illarum conſtat. *Fumus* verò *fuliginem producens*, ſenſim, è vegetabili accenſo diſcedit, unde fit; ut quæ poſtremò fugam moliebantur particulæ, propter longiorem in igne moram, colliquentur, adeòque figantur, & quidem duplici ratione; vel ab ipſis nempe particulis acidis, mixtorum partibus, flammam accenſorum (uti ex naturâ ignis tradita patet) alentibus, quæ eædem faciunt, fumum coagulari ſeu figi in fulignem; vel etiam à particulis terreſtribus, coagulatis in igne ſalibus volatilibus, in commixtis, ſed de his in ſubſecuturis;

Hoc ſaltem hic notare lubet; Cum fieri aliter non poſſit, quin violentâ illa vegetabilium calcinatione, quædam, ac ultimò quæ

deſer-

deſerturæ mixtum erant particulæ, in ſe invicem & cum particulis terreſtribus colliquentur, & figantur; neque etiam fieri aliter poſſe; quin ex cunctis vegetabilibus combuſtis, Sal fixum alcaliſatum impetretur. Quod quidem tum primum inde accipere licet, quando in rerum incinerationibus fumus, ſeu volatilium ſalium fuga ceſſat. Hâc enim ceſſante, innoteſcit nobis, reliquas particulas jam coagulatas & fixatas eſſe, ut evolare non queant; Si verò nondum deſierit fumus, vel minimus etiam volatilium particularum motus, qualem in carbonibus ignitis deprehendimus, reliquus ſit, fruſtra Sal alcaliſatum inde expectamus.

Is enim magnus mihi erit Apollo, qui ex carbonibus, ſeu lignis, nondum omninò in cineres redactis, vel unicum Salis Alcaliſati granulum, prolicere noverit.

Neque etiam carbones, lignaque leniter uſtulata, ſub terris & aquis tot ſecula durare poſſent, ſi Sal alcaliſatum formaliter ipſis ineſſet, utpote quod ad primum quoque aquæ aut humidi attactum illicò liqueſcit.

Tantum igitur abeſt, Sal fixum alcaliſatum, in miſto formaliter ante calcinationem præexiſtere, ut ne unius grani veſtigium, vel ipſe Argus inveſtigare poſſit.

Hæc quamvis per ſe veriſſima ſint, incredibilem tamen lucem ex ſubſecuturis ſibi lucrabuntur. Quod ſi enim ullum vel mente concipi Experimentum poteſt, quo fixorum Salium generatio, evidenti ratione oſtendi poſſit, certè illud eſt, quod ex *Fuligine* habemus. Hæc enim *calcinata, copiam Salis alcaliſati ſatis magnam largitur.* An verò dicemus, Sal hocce alcaliſatum in fuligine citra calcinationem præextitiſſe? abſit; neque hoc permittet natura fixorum ſalium, quæ adeò in igne conſtantia ſunt, ut inſtar vaporis vel fuliginis nunquam adſcenſura ſint. Unde igitur ortum illorum derivabimus?

In fuligine quidem Salia ineſſe, nulla indiget demonſtratione, cum nulli credam ſuper hac re ſcrupulum ſubeſſe. Quod verò *ſalia fuliginis ſint volatilia*, præter celerem ex accenſis vegetabilibus diſceſſum,

ſum, & hoc docet; quod mediante ſpiritu Salis in Sal armoniacum abeant, acido verò hoc Salis ſpiritu per alcaliſati ſalis additionem ſeparato, in merum ſal volatile urinoſiſſimum ſolvantur. Quare, ſi materiam quæramus, è qua ſal fixum producatur, erunt certè ſalia illa fuliginis volatilia, *Acidum* unum, alterum *urinoſum* ambo ex vegetabilis calcinatione profecta.

Modum verò, ſeu formalem fiendi rationem, ſi deſideramus, manifeſtum eſt, eſſe illum, *colliquationem volatilium Salium, inter ſe, ac cum particulis terreſtribus.* Cum enim præter ignis actionem hic nulla ſit alia, quæ Efficientis cauſæ Phyſicæ rationem tueri poſſit, *ignis verò proprium ſit, Salia colliquare,* (per horum enim cum terreſtribus particulis colliquationem vitra producuntur) omninò affirmandum eſt, & ipſum Sal alcaliſatum, per particularum colliquationem, ab igne factam, productum fuiſſe. Quod tandem ipſum, intenſiori ignis gradu, in vitrum tranſit. Sed ut dictorum veritas, tanto clarius pateat, videamus quæſo *Experimentum ipſum.*

Fuligo quidem aperto vaſe *calcinata*, aliquam Alcaliſati Salis quantitatem largitur; Sed longè majorem, ſi ſequenti ratione rem aggreſſus fueris, copiam impetrabis. *Calcinetur, nempe fuligo vaſe clauſo, igne in principio intenſiori; poſtea teratur, denuoque igni commiſſa, baculo ferreo agitetur, usque dum colorem cineritium induat.*

Sed quare hic requiritur vas clauſum? ut nempe fuga volatilium, ceu materialis cauſæ fixorum Salium, impediatur. Quare item intenſus ſtatim ab initio ignis gradus urgetur? Sic enim eò citius colliquantur particulæ volatiles, & figuntur antequàm fugam adornare poſſint. Quid quæſo colligi inde aliud poteſt, quam & in fuliginis calcinatione, Sal fixum, è volatilium colliquatione, productum fuiſſe? Cum iisdem mediis, Fixi Salis copia augeatur, quibus volatilium Salium jactura præcavetur.

Si verò cuipiam volupe fuerit ſuſpicari, ac ſi Sal illud alcaliſatum, à fuligine productum, mediantibus volatilibus fuliginis ſalibus.

ſalibus, ad ſuperiora evectum fuerit (cum Fixa volatilium ope ſuperiora petere communiter credantur) atque adeò Sal hocce formaliter in fuligine præexſtiterit ante calcinationem; huic quid reſpondendum ſit, in promptu erit. Et quidem ut dubio huic tanto ſolidius ſatisfieri poſſit, conſideranda paucis hic eſt Veritas & Ratio illius axiomatis; Quomodo *Alcaliſata Salia à volatilibus in ſublime rapiantur.*

Conjungatur igitur e. g. *Sal Tartari alcaliſatum, cum proprio Sale Tartari volatili, vel* alio etiam *Cornu Cervi, Urinæ,* ſublimentur; ita quidem non negaverim, volatilium horum auxilio, quasdam Salis Tartari alcaliſati particulas, ſimul elevari; hoc tamen omni ſtudio notandum, non poſſe Salibus hujusmodi volatilibus, omnes fixi ſalis, & ſingulas particulas, ſeu *Sal fixum* formaliter ſic dictum, evehi, ita; ut ſublimatum ſal, definitionem ſalis fixi, conſervare poſſit. Separantur enim ſublimatione iſta, ſalinæ ſalis fixi particulæ, à terreſtribus, quæ conjuncta *Formam* ſalis fixi conſtituebant, quam adeoque ſeparatione iſta perdunt.

In dicto igitur exemplo, quamvis, *ſal Tartari volatile*, quasdam ſalinas fixi ſalis Tartari particulas, ſeparatas, ſecum in ſublime rapiat, *non tamen ipſum Sal Tartari fixum, formaliter ſic dictum, evehit.* Quod ne obſcurius dictum videatur, alio videamus rem experimento.

Vini Spiritus, Sali Tartari ſuperfuſus, cum eo digeſtus, & deſtillatione abſtractus, particulas quasdam, Salis Tartari alcaliſati, ſecum rapit (de cujus ſolidis cauſis, in ſubſecuturis dicendum erit, quando cauſas volatiliſationis fixorum Salium, explicaturi ſumus) unde etiam *Spiritus vini* appellatur *Tartariſatus.* Hæ verò particulæ, mediante ſpiritu vini ſublimatæ, non retinent Salis fixi alcaliſati definitionem, cujus formalis ratio erat, *conjunctum eſſe cum particulis terreſtribus*; Particulæ enim terreſtres nullæ ibi ſimul ſublimantur, ſed in fundo cucurbitæ relinquuntur, neque adeò dici poteſt, ipſum ſal Tartari fixum, ſimul ſublimatum fuiſſe, cum quædam ſaltem particulæ ejus, ſalinæ nempe, evectæ deprehendantur. Sed properemus jam ad rem ipſam.

Ponamus igitur; præter ſalia volatilia, Salia etiam fixa alcaliſata,

in vegetabili ante calcinationem præexſtitiſſe (quod tamen in antecedentibus demonſtratum eſt, à rei veritate quàm longiſſimè abeſſe) nunquam tamen fieri poterit, ut alcaliſatæ illæ particulæ, à volatilibus fuliginem conſtituentibus, integræ eleventur; & quamvis nonnullas fixi Salis particulas, ſublimari, inficias eundem non ſit: illæ tamen tunc fixorum ſalium naturam exuerunt, ac volatilitatem induerunt.

Atque his, ſi fortè cui aſſenſum præbere non placuerit, hunc rogatum volo, ut modum afferat ac rationem, quâ Sal illud alcaliſatum, formaliter in fuligine exiſtens, citra novam accedentem & quidem violentam calcinationem, inde ſeparari poſſit, quod commodiſſimè omnium per aquæ affuſionem fieri deberet; in hac enim alcaliſata Salia citiſſimè ſolvuntur. Quod ipſum verò quemadmodum fruſtra, & facilius è pumice aqua expectatur, ita & *fruſtra laborabunt* illi omnes, *qui in fuligine, ſal quoddam alcaliſatum formaliter præexiſtens quæſiverint.*

Et, ſi Alcaliſatum fuliginis Sal, per volatiles particulas evectum fuiſſet, quanta volatilium copia, ad hoc opus fuiſſet? *Cum enim Fixi Salis ad volatile, ſubtripla ferè debeat eſſe ratio*, conſideret quæſo quis copiam Fixi Salis, è calcinatione fuliginis ritè inſtituta, profecti; ipſamque conferat ad pondus fuliginis, unde colligere poterit, an tanta volatilium copia in fuligine exiſtere potuerit, quæ tantæ Alcaliſati ſalis copiæ elevandæ, ac præcipuè ad tam excelſa loca, fuerit.

Cui & hoc accedit, quod *ipſa fuligo è fuliginis calcinatione adſcendens, capiti mortuo reddita, in Sal alcaliſatum mutetur.* Sed nolumus rem ipſo meridiano ſole clariorem, longiori explicatione obſcuram reddere, cum res ipſa loquatur in tam ſubtiliſſimis, adſcendentis fumi particulis, fixas illas Alcaliſati Salis particulas, neutiquam latere potuiſſe.

Quæ cum revera ita ſint, quid de ſalis fixi è fuligine calcinata, productione dicemus? Nonne ultrò fatendum nobis erit; ignis demum ope, illud ipſum productum fuiſſe, neque adeò formaliter ante calcinationem in fuligine præextitiſſe. Atque hoc eſt, quod potiſſimum

ſimum nobis demonſtrandum erat; Sententiam verò hancce tamdiu nobis tenendam eſſe duco, quamdiu allata jam Experimenta ac rationes, firmo ſtabunt talo, neque ab ullo mortalium modus afferetur, quo Alcaliſati ſalis, unicum ſaltem granulum, citra calcinationem produci poſſit; quod certè nunquam fiet, niſi quis Tartarum in herbarum ſuccis latentem pro ſale Alcaliſato habiturus ſit; Quem errorem ne quis erraret, in antecedentibus, *Fixum Sal Tartari, ab Alcaliſato cinerum, probe diſtinguendum eſſe monui.*

Circa dicta verò, unicum præ cæteris dubium ſupereſt, ac experimentum non negligendum, cum videam Celeberrimum *VVilliſium è Reg. Soc.* hoc ipſo Alcaliſati Salis, in miſto, ante calcinationem præexiſtentiam, indubitato demonſtrari poſſe, exiſtimare. Cum enim cineres Plantarum ſemel elixiviati, denuò licet calcinati, nihil omninò ſalis fixi exhibeant, colligit inde Vir Clariſ. Sal fixum, non per calcinationem primùm, productum fuiſſe, ſed reverà in mixto præextitiſſe, alioquin terram elixiviatorum cinerum, calcinatione accedente, Sal fixum, conceſſuram fuiſſe.

Verùm quod pace tanti Viri dixerim; res hæcce longè alio fundamento nititur. Nemo enim unquam dixerit, ſolo igne Alcaliſatum Sal productum fuiſſe. Ad rerum namque productionem præter externam cauſam Efficientem (Finalis enim, mores potiùs, quàm Naturam ſpectat) internæ quoque; *Forma* requiruntur & *Materia. Materiam* verò *Alcaliſatorum Salium*, in antecedentibus jam plurimis Experimentis demonſtravimus, *eſſe ſalia volatilia. Formam* diximus eſſe colliquationem ſeu fortiſſimam unionem, volatilium ſalium inter ſe & cum particulis terreſtribus; *Efficientis* cauſæ rationem habet ignis; hic enim colliquando Salia formam alcaliſato ſali concedit. Hæc verò ſaltem externa cauſa eſt, neque mixti compoſitionem ingreditur, neque adeò quicquam producit niſi *materia* adfuerit *ex qua*, quid producendum ſit: Ex nihilo enim negativo naturaliter nihil unquam factum eſt. Cùm igitur in antecedentibus demonſtratum ſit; *Materiam fixi Salis, eſſe Salia volatilia*; ſequitur, quod iis omnibus in ſal fixum mutatis, ſemelque elixiviatis, nullum ſal fixum denuò per ignem produci poſſit, ob materiæ ſcilicet defectum.

Neque adeò quæ ignis beneficio è miſto producuntur, omnia formaliter eidem inſuiſſe, dici poteſt. Quamvis enim, quæ, ex quo eliciuntur, eidem inſuiſſe negare nemo auſit, cum quod quis non habet, hoc dare non poſſit, multa tamen ita ſunt comparata, ut materialiter ſaltem in miſto præextiterint, formam verò ſuam, quâ nobis ſe conſpicienda præbent, in violenta ignis calcinatione demum conſecuta ſint. Quod præter alcaliſatum ſal quâ rale, vitri è vegetabilium Salibus productio teſtatur. *Quis enim dixerit vitrum formaliter in vegetabili præextitiſſe?* Quamvis materialiter eidem inſuiſſe jure meritoque dici debeat. Quod ipſum quoq; de *Spiritibus vini* in antecedentibus notavimus, *neque hi enim ante fermentationem formaliter in vegetabilibus reperiuntur*, ſed *materialiter* ſaltem ſub oleorum forma latent. *Formam* verò ſpirituum, oleorum demum reſolutione ope fermentationis factâ, nanciſcuntur.

Alcaliſatum itaque ſal, cum formaliter in miſto citra violentam calcinationem, non exiſtat, non video, quâ ratione inducti, viri cæteroquin Clariſſ. lixiviale, fixum, alcaliſatum ſal, in animalium ac hominis præcipuè corpore finxerint. Inſunt quidem & humano corpori ſalinæ particulæ, quæ in hoc cum lixivialibus conveniunt, ut acidis contrariæ ſint, eademque ſaturent, communiterque *Spiritus* apellantur *Animales* (quamvis corporeæ omninò ſint ſubſtantiæ, adeoque impropriè Saltem ſpiritus appellentur) *Hi* enim *varia morboſa acida, auſtera, acria, & ſexcenta hujus generis alia vel ſuperant, vel ab iis ſuperantur, unde ſanitas vel mors proficiſcuntur.* Atque hoc ſenſu ſpiritus hi, ſalia lixiva appellari poſſent, quia lixivialium more, varia acida corrigunt. Quo ſenſu & *Bili lixivum Sal ineſſe*, concedi poteſt. Habet enim hæc, alcali quoddam, *quo omnis generis putredines, earumque aciditates arcet*, quæque ideò ſummo jure Balſamus vocatur totius corporis. Hâc enim deficiente, Chylus puerorum in vermes tranſit, ſeu lumbricos, febres excitantur, adeò ut dubitari poſſit, utrum è defectu potius bilis, an abundantia ejus, ardentium febrium cauſa repetenda ſit. Et ut fatear quid ſentiam, potioti certe jure videntur gaudere illi,

illi, qui defectum bilis, quam, qui ejus præsentiam accusant; quæ tamen quod ab hoc loco paulo alieniora videntur, hic non dicta vòlo, dabitur si DEO ita visum fuerit, alias aliquando de his dicendi locus, revertamur itaque ad rem.

Dicta verò salia, in humano corpore demonstrabilia, quamvis quandam, operationis ratione, cum alcalisatis convenientiam, habeant; multis tamen parasangis, ab iisdem differunt. Tò *formale enim Alcalisatorum salium, consistit in conjunctione cum particulis terrestribus, per violentam ignis calcinationem facta*, qualis in animali corpore, cum nulla dari possit, neque ipsa etiam alcalisata salia in illo generari potuerint.

Neque ex cibis, vel vegetabilibus comestis, proficisci possunt, utpote quibus formaliter ne granam Alcalisati Salis inest.

Neque etiam ipsa alcalisata Salia, ore accepta alcalisati naturam conservare possunt, contra ac suspicatus est, *Vir quidam Clariss.* propterea ab *Alcalisatorum salium usu in certa scorbuti specie, abhorrens*, quod scorbuti causa, quam Alcalisatis Salibus in sanguine habitantibus tribuendam arbitratur, hoc ipso augeatur. Delapsa enim ad Stomachum, quando fuerint Acidum ventriculi fermentum seminale, aut putredinis; illorum salinas alcalicas particulas arripit, & terra figens præcipitatur, adeoque Alcalisatorum naturâ exuta; volatilem induunt. Quod ipsum quàm sit verissimum statim patebit; Quando de causis volatilisationis, Alcalisatorum Salium, dicendum erit.

Formaliter itaque etsi *Alcalisatum sal animalibus non insit*, quæstio tamen moveri posset, anne materialiter saltem, prout vegetabilibus, insint; ita ut ignis calcinatione inde separari possint. *Atque hîc notandum*; quod Animalia calcinata vix Alcalisati Salis vestigium quoddam ostendant. Cujus hæc ratio est, quod *Animalium Salia penè omnia, nil nisi urinosa sint, volatilia Alcalia*, & pauco admodum Acido manifesto scateant. Stomachi enim fermentum & Pancreaticum succum si excipias, vix manifestum

festum Acidum in animali sano reperies, cætera singularum partium fermenta, quamvis cuncta acida sint, occulta tamen sunt, & vulgi sensus fugiunt. *Cum verò Alcalisata salia fiant ex Acidi & Alcali volatilium colliquatione cum particulis terrestribus*; propter manifesti Acidi in animalibus defectum, fit; ut Salium illa colliquatio fieri non possit. Tantillum igitur Alcalisati Salis est, quod è viperarum licet magna copia, vel sanguinis humani sani, impetratur. *Reliqua omnia Alcalia sunt volatilia urinosa.* Quod *si* verò *sanguis calcinaretur, scorbutico Sale Acido infectus, valdè probabile est, hunc plus Alcalisati salis daturum, propter Acidum sal manifestum Alcali urinosum figens.*

Verùm hæc de Alcalisati Salis ante calcinationem in misto formali præexistentia dicta sufficiant. Sufficientissimè ex his constare arbitror, quomodo Alcalisatum sal non Naturâ, sed arte potiùs; ignisque adminiculo productum sit, adeoque *Formaliter* in misto non præextiterit, sed *materialiter* saltem eidem infuisse dicendum sit. *Atque hoc primum fuit circa salia alcalisata demonstrandum.*

Progrediendum igitur nunc esset, ad *alterum membrum de Sale Alcalisato* demonstrandum: *quod nempe unio, volatilium Salium cum terrestribus particulis, tantæ Alcalisatorum Salium fixitatis causa sit.* Verùm cùm in tertio & subsecuturo membro, demonstrandum sit; *Volatilisationis Alcalisatorum Salium rationem, in terrestrium particularum separatione sitam esse*, satiùs nos facturos arbitramur, si hoc præmittamus. Quod si enim solidè demonstraverimus, terrestribus partibus separatis, Fixitatem omninò sublatam, & Volatilia facta esse Salia; per se, suâque luce patebit; ipsam terrestrium particularum unionem cum Salinis, unicam Fixitatis causam fuisse.

Aggrediamur itaque rem ipsam, manifestaque inspiciamus experimenta & rationes fortissimas, quibus sententiæ nostræ veritas invicta, elucere valeat. Primô verò locô producemus experimentum, quo terestrium particularum apertissima separatio, & post separationem, facilis Fixi volatilisatio constare possit.

Fiat igitur Lixivium Salis Tartari, sive alius Salis Alcalisati, *satis forte,*

forte, huic per vices infundatur Spiritus Salis, eâ ferè quantitate, ut Punctum Saturationis inter hunc & Sal alcalisatum appareat: quod inde cognoscitur, si particularum motus s. effervescentia lenior observata fuerit. Ita enim nulla erit Salis Alcalisati particula, quæ non saturata fuerit à Sale fixo.

Quod si ritè attenderis, *videbis Terram quandam è sale Tartari præcipitari*, in ipsum vasis fundum: Tum filtra supernatantem salinum liquorem. Sic *Terram* salis Tartari in filtro relictam videbis; *Liquorem salinum expone calori, ad humidi evaporationem, saliumque Crystallisationem; Crystallisatum sal in mortario lapideo teratur cum ana salis Tartari alcalisati, sic volatile sal quoddam urinosum inde adscendere naribus deprehendes.*

Hæc est tota ἐγχειρήσεως ratio, cujus quæso, causas liceat accuratiùs inspicere, ut quid pro nostra sententia asserenda obtineat, patere possit.

Quòd vero spiritus salis ope, Terra salis Tartari præcipitetur, è præcipitationis natura, Acidi item ad Alcali concursus ratione, causa petenda est. De quibus hîc saltem præsupponemus; (nam integram præcipitationis doctrinam hûc afferre velle, prolixum nimis foret) *Nunquam observatum* esse *Acidi* & *Alcali* solutorum *concursum, absque intestino particularum motu*, s. effervescentia. *Deinde*, ex mutua ista particularum actione, præcipitari quicquid in alterutro istorum continebatur heterogenei. *Ita si quid in Alcalino quodam solutum fuerit liquore, hoc Acido liquore affuso exinde præcipitabitur.* Et si quid contra in Acido solutum fuerit menstruo, Alcali beneficio inde dejicitur. In nostro Experimento, Terrestres particulæ Alcalino sali adhærentes, ab acido spiritu salis præcipitantur. Dum n. acidus salis liquor, cum sale Alcali Alcalisati salis conjungitur; Terrestres particulæ, diversæ planè à sale Alcali naturæ, necessariò inde præcipitari debent.

Cùm igitur Terra ista alcalisati salis, adeò manifestè sensibus quoque externis pateat, neminem puto tanto laboraturum studio contradicendi, ut hæc negare ausit.

Terrâ

Terrâ hâcce præcipitatâ, ſupernatans liquor ſalinus, bina continet ſalia; alterum *Alcali*, cujus jam Terra præcipitata; Alterum *Acidum* quo mediante præcipitatio facta. Acidum verò hocce Alcali, per Terræ ſeparationem volatiliſatum, denuò figit.

Quod ut appareat, neceſſaria eſt acidi ſpiritus figentis, ab Alcali ſalis Tartari volatiliſato ſeparatio; quod commodiſſimè fit; additione novi ſalis Tartari alcaliſati. Sic enim Acidus ſpiritus, Alcali volatile citiſſimè deſerit, & cum fixo Alcaliſato conjungitur; quare Alcali volatile liberum redditum, ſuperiora petit more omnium volatilium. Volatile verò hocce Urinoſum, an ex ſale Tartari; an verò ex ſpiritu ſalis profectum ſit, quis dubitare poterit?

Ne verò cuipiam videatur, particulas haſce terreſtres præcipitatas, externè ſaltem ſali Tartari adhæſiſſe, neque adeo intimè per particularum colliquationem, eidem conjunctas fuiſſe; experiatur quæſo quis dictum experimentum, loco Salis Tartari Alcaliſati. Oleum ejus p. d. ſubſtituendo: Oleum hocce (impropriè quamvis dictum) inſtar aquæ fontanæ limpidum clarumque conſpicitur, adeò ut non facilè quis ſuſpicari poſſit, tam pellucidarum particularum poris, alias maximè opacas, contineri: nec tamen non continentur. Ope enim ejusdem ſpiritus ſalis, in lucem producuntur. Neque tamen ante, poris ſuis, loculisq; excidunt, quam ſaturationis illud punctum attigerint ſalia. Quod valdè miratus, cum primâ vice de hac Terræ præcipitandæ ratione cogitarem, periculumque facerem, an prout mente conceperam, experimenti veritas apparitura eſſet. *Cum enim aliquot vicibus aliquam Spiritus Salis partem, Oleo iſti p. d. affunderem*, eâ ſpe, fore ut tantum particularum terreſtrium præcipitaretur, quantum Spiritus Acidi à ſale Alcali ſaturatum eſſet, eventus voto non reſpondebat, ut etiam ſpes illa terreſtrium particularum è Tartari Oleo præcipitandarum, firmiter licet ante concepta, me fefelliſſe viſa fuerit.

Sed tamen, non omni abjectâ ſpe felicis ſucceſſûs, perrexi in ſpiritu iſto Acido affundendo, tandemque obſervavi; liquorem, alio-

alioquin cryſtalli inſtar clarum, turbati, repoſitoque vitrô albicantes particulas, ad vitri fundum, properare conſpexi, ſupernatante liquore claro. Hocce igitur per filtrum penetrante, terreſtres particulæ hoſpitiis ſuis nunc depulſæ, in filtro relictæ ſunt, adhærentibus illis ex præcipitatione aliquot ſalinis particulis, Aquæ beneficio, ſeparabilibus. Supernatantem iſtum, filtrumque penetrantem liquorem ſalinum, ſi in Cryſtallos redegeris, additione novi Salis Tartari Alcaliſati, Acidum Salis Spiritum imbibentis, dividere poteris, ut Tartari Alcaliſati Sal volatiliſatum, nares feriat: quamvis hoc ex Oleo p. d. Sal volatile ſeparatum debilius futurum ſit illo, quod è Sale Tartari ſicco ſeparatum fuerit, propterea, quòd Salia quò facilius p. d. ſolvuntur, eò propius ad ſimplicis aquæ naturam accedant, uti ex ſubſecuturis volente DEO plurибus patebit.

Occaſionem verò, hanc *Terræ præcipitandæ* methodum experiundi, *dedit mihi Sal Ammoniacum*, vel potiùs Caput mortuum ejus, poſt volatilis ſpiritus urinoſi ſeparationem relictum. Cùm enim (quod pace tua B. L. hûc afferre liceat: nulla enim eſt jucundior, quàm circa rerum naturalium cauſas, quæ occupatur meditatio) in ſale Ammoniaco Acidum quendam ſpiritum fixiorem, ſal item urinoſum quoddam volatile, ex urina vel etiam fuligine profectum, deprehendi mente volverem, adverteremque; *Sal illud volatile, ab Acido ſpiritu, omnium commodiſſimè, Alcaliſato Sale addito, ſeparari poſſe*, ita ut Acido ſalis Ammoniaci ſpiritu, Alcaliſati ſalis beneficio abſorpto, urinoſum Volatile ſeparetur; cœpi ſimul cogitare, quid ergo cum Capite mortuo iſtius ſalis Ammoniaci agendum eſſet; in quo itidem duo ſalia reperiri notabam. Alterum *Acidum* ex Sale Ammoniaco relictum, *Alcaliſatum* alterum, è ſale Tartari ſ. Cineribus clavellatis additis, profectum. Et cum ſuperiori epiſtola mea ad Cl. LANGELOTTUM monuiſſem, *ex ſpiritu Vitrioli & ſale Tartari commiſſis, Terram quandam præcipitari*, quæ, uti & in præcedentibus dixi, principium fixationis ſit in ſale Tartari, inepteque magiſterium Tartari Vitriolati

dicatur ; cæpi ſuſpicari, & hîc Naturam prout in omni re ſimilem eſſe, adeoque ex commiſtione illa Spiritus Salis Acidi, ex ſale Ammoniaco, & Alcaliſati Tartari, Terram hujus, prout in tartaro Vitriolato præcipitatum iri, atque Alcaliſatum Tartari hâc ratione, poſt particularum terreſtrium ſeparationem volatile redditum eſſe: *neque requiri quicquam aliud exiſtimabam, præter Acidi Salis Spiritus, ab Alcali volatiliſato ſeparationem* ; quam ut impetrarem *addebam Capiti mortuo ſalis Ammoniaci, novum Sal Tartari alcaliſatum, & ſtatim extra Ignem, adſcendebat ſal quoddam volatile urinoſum*, adeò penetrans, ut nullum magis; atque hoc, nil niſi ſal Tartari volatiliſatum eſſe certò confidebam.

Unicus tamen nihilominus animo obrepebat ſcrupulus. Metuebam namque, ne ſal hicce volatilis, profectus eſſet, è reliquiis quibusdam ſalis Ammoniaci, propter minorem fortè Alcaliſati ſalis quantitatem additam, haud ritè diſſoluti ; quòd tamen vix fieri poſſe cenſebam ; quòd pro ſpiritu ſalis, Ammoniaci conficiendo, ſalis Tartari addendi ad ſal Ammoniacum ſub dupla ſaltem ratio neceſſaria ſit, cùm dimidia ſaltem ſalis Ammoniaci pars, Acidus nempe ſpiritus, ad Alcali Urinoſum anaticam rationem habens ſeparari debeat, & præterea Alcaliſata ſalia magnam Acidorum Salium partem abſorbere queant.

Quibus & hocce accedebat, *quòd nonnunquam anatica Salis Tartari ad Sal Ammoniacum ratio obſervaretur*, qualis in iſto Capite mortuo Salis Ammoniaci, quod tùm tenebam, obſervata fuerat. E quibus omnibus haud obſcurè colligi poſſe exiſtimabam ; nihil in dicto Capite mortuo Salis Ammoniaci non diſſoluti reliquum eſſe potuiſſe, adeòque Salem iſtum volatilem penetrantiſſimum, è Capite mortuo iſto adſcendentem, revera uni Sali Tartari Alcaliſato, per novi Alcaliſati Salis additionem, ab Acido figente, poſt particularum terreſtrium præcipitationem, liberato, acceptum ferendum eſſe. Ut tamen ſcrupulo hocce omninò liberarer, ſequenti rem aggreſſus ſum via.

Cum addito novo Alcaliſato Sale Tartari ; è Capite mortuo Salis Ammo-

Ammoniaci, subtilissimum illum Salem, naribus percepissem, calori exponebam liquorem omnem, pro Salium volatilium omnigena evaporatione quâ facta in residuo liquore salsi saporis, non aliter ac in Capite mortuo Salis Ammoniaci, duo habitare Salia colligebam. Acidum Ammoniaci nempe; quo mediante Alcalisatum Tartari, in priori Capite mortuo à Terrestribus particulis liberatum, adeoque volatile redditum erat; & novum deinde Sal Tartari alcalisatum, cujus auxilio, prius illud Alcalisatum, à figentibus particulis Acidis, in libertatem vindicatum erat. Quare huic posteriori Capiti mortuo, novum addebam sal Tartari alcalisatum, & prius illud Alcalisatum sepositis particulis terrestribus, ab Acido figente liberatum, nares feriebat penetranter. Atque ita omnem mihi exemptum circa hanc rem scrupulum arbitrabar, meque securum esse posse, confidebam, *sal illud volatile è capite mortuo salis Ammoniaci adscendens, revera pro sale Tartari volatili habendum esse.*

Ast verò, cum hancce volatilisandi Salis Tartari, rationem, solius Acidi salis spiritus, in sale Ammoniaco contenti beneficiô, perfici cernerem, ut tanto labore supersedere possem, securiorque; redderet nihil prorsus salis volatilis è sale Ammoniaco eidem commistum esse, solo spiritu salis, experimenti certitudinem tentare decrevi. Feci ut decreveram, & ex voto felicem experimenti sum assecutus successum, quanquam primâ fronte propter neglectum (uti anteà monui,) punctum saturationis, res non adeò uti speraveram successura videretur, cujus ἐγχειρήσεις, operationisque rationes, in proximè præcedentibus exhibuimus.

Atque hoc experimentum unicum tanti æstimandum arbitramur, pro sententia nostra asserenda, ut (nisi plus justo nostra nobis placeat causa) nullum magis clarum aut evidens cogitari possit. Nam quod cæteroquin obscuritatem quandam afferre posset; terrestres particulas, revera è sale Tartari separatas videmus, manibusque tangimus. Easdem verò Fixitatis unicas causas fuisse, non minùs manifestè ex eo patet, quod facillimo labore, solaque Spiritus Acidi denuò figentis separatione, Alcalisatum sal volatile reddi queat.

Sed tamen hocce adeò manifesto experimento præsupposito, paulatim ad obscuriora progrediamur, quibus tamen ex jam allatis tantùm lucis accedet, ut nullus omninò obscuritati locus futurus sit.

Non prætereundus verò modus iste est sal Tartari volatilisandi, cum Aceto, qui instituitur. *Affundunt nempe sali Tartari acetum, abstrahunt hocce, ita Acidus sal in sale Tartari relinquetur*, merumque phlegma è Retorta stillabit; postcà novum acetum sali in Retorta relicto affundunt, & phlegma abstrahunt; *repetunt hoc toties, donec acetum eâdem aciditate quâ affundebatur*, per Retortam destilletur, quin hocce signum erit; tantum salis acidi aceti, à sale Tartari absorptum esse, quantum capere possit. *Sal hocce Tartari, acido aceti sale saturatum, Terra appellatur nonnullis Tartari foliata; alii verò Salis Tartari volatilis nomine idem insigniunt.* Et revera ipsi titulus hicce competit, quòd particulæ terrestres, Alcali Tartari figentes, additione aceti, præcipitatæ sint. Quod ipsum evidentissimè conspicitur, si Lixivio Tartari affundatur acetum, ad punctum saturationis usque, ita illicò *Terra* Tartari fundum petit; *Atque adeò & hocce satis manifestum est experimentum, pro terrestrium particularum præcipitatione demonstranda.*

Quid dicemus verò de occultiori illo modo *Helmontiano*, volatilisandi Alcalisata salia, beneficio oleorum destillatorum. *Verba Tr. prim. Chym.* sunt. *Quando* inquit HELM. *Oleum Cinnamomi* &c. *Suo Sali Alcali miscetur, absque omni aqua, trium mensium artificiosa occultaque circulatione, totum in salem volatilem commutatum est, Verè essentiam sui simplicis in nobis exprimit, & usque in prima nostri constitutiva sese ingerit.*

Cujus operationis rationem veram, non crediderim hactenus à multis explicatam: plurimi acquiescunt in eo: si audierint, sal hoc componi ex oleo destillato, & sale fixo, quorum ab altero, alterum volatile redditum & utrumque Ignis adminiculo associatum. Verum salvis aliorum sententiis mihi nec non satisfaciunt. Neque

que enim dixisse satis est, unum ab altero volatile redditum esse, nisi ipsa volatilisationis causa solidè afferatur. Quæ etsi difficilis admodum prima fronte videatur, facillima tamen evadet si eorum quæ in antecedentibus jam demonstravimus, quædam hîc præsupponantur, & spontè patebit, hujus volatilisationis unicam ac solidam rationem esse, *terrestrium particularum figentium separationem.* Unum verò ut dixi hîc ex antecedentibus repetendum est, *quòd nempe oleis destillatis prout inflammabilibus omnibus insint particulæ Acidæ.* Quod cùm fusè satis ibidem de natura ignis, & Rationibus & Experimentis ostensum sit, citra tædium hîc repeti non potest.

Hocce igitur *Oleorum Acido præsuppositô*; totum negotium perfacilè erit. Quemadmodum enim uti jam jam ostensum, beneficio spiritûs salis Acidi, vel etiam Aceti, horumque conjunctione cum Alcalisato sale, Terra fixorum Salium præcipitatur, atque propterea, Alcalisatum sal volatile redditur: ita & *idem hoc de Oleo Chymicorum Acido accipi debet*, præsertim cum nulla ratio subsit, quare huic oleorum acido denegetur, quod aliis acidis concedere cogimur.

Olea igitur, *dum cum sale fixo digeruntur & circulantur, illorum particulæ Acidæ, hujus Alcalitas arripiunt, arreptas à particulis Terrestribus liberant, adeoque volatiles reddunt.* Neque opus est, ut ante Acidum illud Oleorum ab Alcali volatilisato separetur, quam volatiles particulas percipere possimus, prout in Experimentis cum spiritu salis, aceto, paratis fieri debebat, quorum Acidum, additione novi Salis Tartari, ab Alcali Volatili separabatur. Sed ipsæ quoque oleorum particulæ Acidæ, volatilisato Alcali incoagulatæ, volatilitatem ejus non impediunt. Horum enim Acidum volatilius est: Salis verò & Aceti fixius. Adeoque, quod ostendendum erat, omnis hujus volatilisationis ratio, in terrestrium, æquè ac priorum Experimentorum, particularum separatione consistit. *Ita etiam de Oleo Tartari cum proprio sale circulato sentiendum.*

Hisce valde affinis est *modus alius Sal Tartari volatilisandi, per*

Spiritus Vini ſæpius reiteratam abſtractionem, qui inſtituitur, iisdem quoque fulcris innititur: quod tamen operæ prætium erit ſolidius oſtendere, ut & hoc loco terreſtrium particularum ſeparatio appareat. Vocatur aliàs communiter *Balſamus ſamech*, Sal Tartari illud, Spiritu Vini imprægnatum, cujus ἐγχειρήσεις hæ ſunt.

Abſtrahunt à Sale Tartari Spiritum Vini rectificatiſſimum ſæpius, donec æque rectificatus, à Sale Tartari redeat ſpiritus vini, quam fuerat affuſus. Et ſi enim primâ vice ſummè Alcaliſatus affunderetur, maximeque igneus, ut deflagrans ne unicam aquæ guttulam poſt ſe reliquerit, quæ pyrium pulverem contra exploſionem defendere potuiſſet; ſemel tamen ſaltem abſtractus, maximam Igneæ ſuæ virtutis jacturam paſſus deprehendetur Phlegmaticusque factus erit. Cujus rationibus oſtendendis, hîc locus haud ſatis commodus eſt; erit tamen in ſubſecuturis uberrimus de his dicendi campus. E quibus tum pluribus dicendis, hic ſaltem unicum hocce mutuabimur; ſpiritum vini, per Acidi ſeminalis ſalis, ab Alcaliſato Tartaro abſorpti privationem, in Aquam converſum eſſe. Quod quidem tanto majori jure mihi conceſſum arbitror, quantò pluribus in doctrina Ignis oſtenſum eſt experimentis, ſpiritui vini revera particulas acidas ineſſe, quibus ratio caloris ſeu inflammationis & inebriationis tribuenda ſit.

Quibus præſuppoſitis conſtare poteſt; *quasdam ſpiritus vini particulas acidas in Sale Tartari relinqui*; cujus quoque non eſt obſcurum indicium, quod pondus Salis Tartari, per crebriorem novi ſpiritus vini rectificati abſtractionem, auctum deprehendatur. Atque de hiſce ſpiritus vini acidis ſalibus, eodem jure, quo de oleorum deſtillatorum in antecedentibus aciditate, dici poteſt; quòd horum beneficio, & cum Alcali Alcaliſati ſalis conjunctione, Fixum volatile reddatur, per terreſtrium particularum ſeparationem.

Atque hujus *volatiliſati ſalis, veſtigia quædam, in ſpiritu vini Tartariſato obſervantur.* Dulcedo namque in illo guſtûs ſenſu perceptibilis, arguit; particulas ſpiritus vini acidas, coagulatione ſua, in ſublimatis ſimul alcaliſati ſalis particulis, in dulces converſas eſſe; qualis contingit converſio *in Aceto*; *ſaturno, vel marti, incoagulato.*

Cum

Cum verò hâc ratione non plus volatiliſetur Salis Tartari, quàm mediantibus Acidis illis, ſpiritûs vini particulis, à terreſtribus liberatum fuerit, ſequitur, quòd creberrima ſpiritûs Vini abſtractio hîc requiratur, ſi quis copiam quandam ſalis Tartari volatiliſandi, animum induxerit. Plena enim & omnimoda ſalis Tartari, à particulis acidis ſeparatio, hîc requiritur, uſque dum ſpiritum Vini, integris viribus, nullaque acidarum facta jactura, redditum eſſe, advertatur. Quod ipſum, quàm ſit futurum difficile, illi conſtare poteſt, qui attenderit; quanta fortiſſimi etiam aceti copia, ad ſal Tartari ſaturandum requiratur, cujus tamen aciditas manifeſta & fixior eſt, quæ in ſpiritibus Vini occultior eſt & volatilior. Plura quæ de his dici poſſent ſtudio prætereo, cùm præterea nihil hîc aliud nobis demonſtrandum ſit, quàm & modum iſtum, Volatiliſandi fixa, per *Samech* appellatum, æquè ac priores, in terreſtrium particularum ſeparatione ſitum eſſe.

Neque alia ratio eſt, in fermentatione ſalis Tartari cum proprio fermento, Tartaro ſcil. crudo, cujus Acidum dum cum Alcali Alcaliſati ſalis Tartari conjungitur, *Terra* præcipitari debet figens, quam ſe deprehendiſſe non diffitetur Cl. *Langelottus* inſipidam, *epiſt. ſuæ* p. 6.

Quamvis verò ſal Tartari Alcaliſatum, cum Tartari crudi acido conjunctum, amiſſione Terreſtrium particularum, Alcaliſati ſalis formam exuat, Volatile tamen ejus nondum innoteſcit; quòd ſub jugo hactenus Acidi Tartari contineatur, prout in ſuperioribus experimentis, volatiliſatum ſal Tartari ſub jugo ſpiritus ſalis Acidi ſ. Aceti. *Volatile ergò illud Urinoſum, quod impetratur, non tam è ſale Tartari, quam Tartaro crudo profectum eſſe exiſtimandum eſt*: cum ſal Tartari, hoc loco ſe habeat ad Tartarum crudum, prout ad ſal Ammoniacum; de cujus capite mortuo, quæ ſupra dicta ſunt, ſi cum his conferantur res tantò patebit clariùs. Ac præterea probabilitas quædam his accedit ex eo, quòd *è ſolo Tartaro crudo*, absque ſale Tartari, *ſolius Aluminis crudi, anaticâ proportione, additione*, teſtimonio *Cl. Daniel. Ludovici, impetrari poſſit, ſal Urinoſum penetrantiſſimum*. Deinde cum Sal Tartari volatile *Excell. Langelotti*, prorſus inodorum ſit, uti ipſe coram faſſus eſt, manifeſtiſſimum hoc indicium

dicium eſt, volatile ejus, à particulis quamvis terreſtribus liberatum, ab Acido tamen Tartari, hactenus fixatum eſſe. Cœpi ergo cogitare, annon volatile illud, Tartari crudi potiùs ſoboles ſit, quàm Alcaliſati Tartari. Neque ideo in epiſtola mea ad *Cl. Langelottum* obſcurè tuli, in dicta fermentatione, primariò quidem non ipſum Alcaliſatum Tartari volatiliſari omnimodè, ſed Tartarum potiùs crudum. Quod cùm paulò duriùs dictum viſum fuerit *Illuſtriſs. Societati Regiæ*, volui hîc paucis ſententiam meam clariùs explicare.

Ex allatis igitur experimentis, æquè ac rationibus manifeſtò ſatis patet; quod per *ſolam Terreſtrium particularum ſeparationem*, Alcaliſata Salia fixitatem ſuam exuant, & *volatilia* reddantur; Unde ſimul innoteſcit, ſponteque ſua fluit; *terreſtres particulas*, Ignis vehementiori colliquatione, Alcali Sali conjunctas, tantæ Alcaliſatorum ſalium *fixitatis* cauſas fuiſſe.

In hac verò *fixorum ſalium volatiliſatione*, *ac præcipuè ſalis Tartari*, cum tot Celebres etiam Viri dies ſæpè ac noctes conſumpſerint, paucis quæſo de uſu ejus liceat monere, cujus ſpe inducti, tot labores ſuſceperint.

Maximi ingenii *Helmont.* c.xv. de Febribus, præter alia loca, maximis *hoc Sal extollit laudibus*, *& cùm de uſu ac nobilitate liquoris Alcahest quædam attuliſſet*, *addit*: *Quod ſi verò ad hoc Ignis arcanum non pertingatis*, *diſcite ſaltem Salem Tartari reddere volatilem*, *ſic intimas nacti eritis rerum eſſentias.* Alia elogia, videantur apud alios; quibus tamen, neſcio quantùm tribuendum ſit. Ego certè liberè fateor, ut ſentio; aut majores noſtros Philoſophos, ſub nomine Salis Tartari volatilis, aliud occultare voluiſſe; aut certè exitus promiſſis non reſpondere. Nemo namque credo (aliorum ſalvis ſententiis) experimentum afferre poterit, Metalli cujusdam, ope volatiliſati ſalis Tartari radicaliter ſoluti; aut aliam quoque, è vegetabilibus ſaltem paratam eſſentiam, quæ ope aliorum Alcalium Volatilium Urinoſorum parabilis non foret: quid ergò peculiare à cæteris Volatilibus ſalibus poſſidebit, cum æquè Urinoſum ſit ac illa?

Neque Cl. *Langelottus*, ſatis ſufficienti jure, prærogativam ejus

præ

præ cæteris ſalibus, inde derivaſſe videtur, quòd idem deprehenderit in affectibus externis, tum præcipuè *Gangræna extinguenda, inſignem opem attuliſſe*; cum *eosdem planè effectus ipſi promittere auſim, ex aliorum Urinoſorum ſalium uſu*; cujus haud leves reddi poſſent rationes, ſi hujus loci foret; quô ipſo tamen interno ejus uſui nihil detractum volumus, quem, convenienter, convenientibus morbis applicati, ſatis egregium eſſe, utraque manu, & Ratione & propria Experientia edocti largimur: præcipuè *quando obſtructæ viæ aperiendæ erunt*, aut variæ peregrinæ ac hoſtiles corpori aciditates, ſaturandæ. *Verum ut dixi, eadem commoda, & alia Urinoſa ſalia præſtare poſſunt*, & præterea, ſal volatile ex Tartaro, ab illo è Sale Tartari, non differt.

Quod quandoque advertens, *cœpi cogitare, anne inter tot volatilia ſalia, ſpecifica quædam & ſeminalis intereſſet differentia*, cujus ratione in operandi etiam viribus, quodammodo different, an verò ejusdem omninò cuncta ſpeciei eſſent? & recordatus ſum loci cujusdam *Illuſtr. Boyl. in Chymiſt. ſcept.* docentis; *figurarum quandam in volatilibus ſalib. reperiri diverſitatem*, ita ut ſal volatile CC. parallelepipedi figuram, ſal volatile ſanguinis humani cum ſpiritu vini digeſtum, Rhombi ideam referat. Cujus diverſitatis aliquam cauſam eſſe debere ratus, non dubitavi, eandem ſeminum ſ. Idearum diverſitati acceptam referre.

Quemadmodum enim, ut in ſubſecuturis demonſtrabitur, in rerum naturalium generationibus ſemen ſ. Idea ſe habet, ut Regula vel norma, cujus ductum mechanica ejus inſtrumenta Acidum & Alcali ſequantur; ac præterea oſtendetur, ſemina rerum in Acidis habitare, atque *omnis ſoliditatis & coagulationis cauſas, ex Acido Sale petendas eſſe*; figurarum iſtam diverſitatem, diverſis ſeminalibus acidis tribuendam eſſe duxi.

Confirmabar verò non parum, quòd ſanguinis humani Sal, cum Spiritu Vini digeſtum, talem figuram referret, qualem alioquin in Sale Tartari Cryſtallifato obſervare licet. Cujus non eſt ratio alia; quàm quòd Acidum illud Salis Tartari, & hoc Spiritûs Vini, Sal volatile ſanguinis humani coagulans, ſpecie eadem ſitu;

adeòque Alcali ſanguinis humani quamvis propriâ formâ gaudeat (nullum enim, adeò purum eſt Sal Alcalinum, quod non ſeminali quâdam aciditate imbutum ſit; alioquin, uti in ſubſecuturis, oſtendetur, in aquam Elementalem relaberetur) à potentiori Spiritus Vini aciditate ſeminali tamen, ſuperetur. Quemadmodum *ſi ſali Tartari Alcaliſato, affundatur Spiritus Nitri, potentior hujus Spiritûs, aciditas ſeminalis, Cryſtallos format, non Rhombi, cryſtallis ſalis Tartari competentis figurâ, ſed Nitri potiùs oblongis ſtiriis conſpicuas.*

Adeoque figurarum hæc diverſitas, diverſitatem ſeminum indicans, docet nos, ipſa etiam *Alcalia Urinoſa, ſpecificam quandam à ſe invicem obtinere differentiam.*

Hæc tamen ſeminalis alcalium volatilium *differentia, in Curatione morborum non adeò attendenda videtur*, cùm Alcalia omnia tantillum ſaltem ſeminis poſſideant, quo impediri poſſit, ne ſponte in aquam ſeu principium ſuum reſolvantur, adeòque vacua ſint, *ſeque ad certorum morborum cauſas habeant, ut materia ad formam*, h e. *indifferenter, ad hoc vel aliud hoſtile acidum abſorbendum.*

Neque proinde audiendus videtur *Helmontius*, hanc docens inter Spiritum Urinæ, & ſanguinis humani, differentiam: quod poſterior Epilepſiæ medeatur, prior non; *cùm Experientiâ conſtet; ſpiritum ſalis Ammoniaci, Urinæ ſobolem, in convulſivis motibus præcavendis, vel ſedandis, non adeò ſpernendum eſſe.*

Quare *alcali Tartari urinoſum*, ex Alcaliſato Tartaro per terreſtrium particularum ſeparationem profectum, quamvis à cæteris urinoſis ſalibus ſpecificè differat, ratione ſeminis nempe, quod in Acido Tartari, à cæterorum Acidorum ſeminibus diverſum eſt. *Neque ideo tamen tanta præ cæteris urinoſis ſalibus ipſi Prærogativa debetur*, cùm nullum hactenus allatum ſit, tam egregiæ virtutis ejus experimentum, ſive in corporum ſolutionibus, ſive morborum curationibus, propter quod aliis volatilibus ſalibus jure anteponi debeat.

Atque hæc, *de Alcalibus volatilibus quæ dicta ſunt, eadem quo-*

que

que de vegetabilium Alcaliſatis accipienda ſunt. Neque enim tanta revera eſt inter iſta differentia, uti plurimi opinantur, ut propterea magnus illorum delectus habendus ſit. Ita *fruſtrâ in Alcaliſato Abſynthii quæritur*, quæ in Abſynthio ante Calcinationem fuit virtus; *neque Alcaliſato Euphraſiæ, ulla ineſt ſpecifica oculos ſanandi vis*; *neque Rutæ Alcali aut Lavendulæ, eæ, quæ herbæ inerant inſunt virtutes*; ſed cuncta, *quemadmodum ſapore non differunt*, ut nec peritiſſimus parandorum ſalium artifex eadem diſtinguere ſciat, *ita nec operandi rationem diverſam obtinent, cuncta* nempe variis vitioſis fermentis corrigendis inſerviunt; *neque Rutæ Alcaliſatum aut Lavendulæ, minus Stomachicum eſt quàm Abſinthii.* Cum enim præterea à veritate valde alienum ſit, dari certa vegetabilia, certis humani corporis partibus Idiocratica quâdam facultate dicata (de quibus hîc dicendi locus non eſt) minus decebit; illas virtutes in Alcaliſato, ſeu violento Igne, exuſto ſale, percontari, quas recenti Vegetabili ineſſe, affirmare non audebamus. *Seminales enim vegetabilium Virtutes, Ignis violentiâ non poſſunt non in auras abiiſſe, minimâ ſaltem illarum quantitate ſuperſtite, quæ impedit, ne ſponte in aquam reſolvantur ſalia*; quod fieret, ſi omni ſeminali Acido privarentur.

Verùm tantilla ſeminis pars, quamvis ſpecificam quandam Alcaliſatorum ſalium differentiam cauſetur, medicamenti tamen operationem non faciat diverſam, ut e. g. in Intermittentibus Febribus, *Alcaliſatum Abſynthii, Alcaliſato Centaurei minoris, ſive Hyperici præferendum ſit.*

Quæ cùm reverà ita ſint, *non* poſſum admirari ſatis *curioſitatem illorum, qui Clyſteribus, apoplecticis applicandis, non verentur admiſcere ſal rutæ*, aliorumque pro Cephalicis vulgò habitorum vegetabilium. Sic error errorem parit. *Dum enim falſò ſibi perſuadent, Rutam Cerebri morbis medelam afferre ſpecificam*; ruunt in alium; Rutæ nempe Alcaliſato ſali eaſdem, quæ ante calcinationem aderant, ineſſe ſpecificas Virtutes; & tandem in tertium; Poſſe nempe Alcaliſatum Rutæ, putatitias. Virtutes, laboranti cerebro, etiam Clyſteribus (quorum tamen ultra valvulam inteſtinalem nulla operatio) communicare.

Rutæ certè ad Cerebrum, non eſt magis ſpecifica virtus, quam talorum leporis, ad Cerebri convulſivos motus ſedandos: *nemo verò facilè dixerit; oſſiculis pedum, cum cerebro tantam intercedere affinitatem, ut huic medicaminis rationem tribuere auſit.* Quomodo enim hoc modo *Cranium humanum* Cerebro medicamentum eſſe, Jure affirmari poſſit? aut cujuslibet vegetabilis, vel alius rei, cum qualibet humani corporis parte, ſpecificam congruentiam fingere licebit. *Certè ſi Ruta v. g. eandem morbi cauſam, quam in cerebro offendit, offenderet in ſiniſtri pedis pollice, mederetur ipſi*, adeoque non minori jure cum pollice pedis ſiniſtri affinitatem habere dici poſſet, quàm nunc cum Cerebro. Sed de his obiter. Hæc enim peculiarem ſibi poſtulant operam, quia brevibus explicari ſatis non poſſunt: ſufficiat ſaltem notaſſe paucis; *Alcaliſatorum ſalium tantum delectum habendum non eſſe*, neque etiam Fixorum. v. g. Salis Tartari volatiliſata ſalia, præ cæteris quid obtinere, quod prærogativa dignum ſit.

Atque hæc de Alcaliſatorum ſalium volatiliſatione allata, adeò arbitramur eſſe evidentia, ut nullus dubio locus eſſe poſſit. Neque excogitari unquam modus poterit, Alcaliſata ſalia volatiliſandi, qui non in terreſtrium particularum ſeparatione conſiſtat.

Quod ipſum quoties cogito, non poſſum ſatis admirari, *Zvvelferum*, Virum, in Pharmacopolarum erroribus emendandis, ſatis ſtrenuum & felicem, in Alcaliſati Tartari volatiliſatione tamen, adeò graviter lapſum, ut cùm hæc ſcriberet, omnis ferè Philoſophiæ oblitus fuiſſe videatur. Quod invitus ſcriberem (neque enim defunctos jam Cl. Viri manes turbare animus eſt) niſi & hodie quosdam Viros, Clariſſ. etiam, hoc ipſo ſeductos adverterem. Ita verò ille Pharmacopææ Regiæ pag. 247. *Tartarum Calcinatum, & in Cella collocatum, ſponte ſuâ in liquorem limpidum, ponderoſum, & ſalinum, reſolvendum vel liquandum eſt (Oleum Tartari aliàs dictum) Liquor hic, in Retorta, ſeu Alembico vitreo humili, ſuper Ignæ arenæ, abſtrahatur ad ſiccitatem Salis in reſiduo manentis: Relictus hic Sal, porrò in cella collocatus, nonnunquam aſtris etiam expo-*

ſitus

ſitus (ô inutiles curas !) *ab humiditate aërea attracta liquetur, quæ denuò in Arena ut factum antea, abſtrahatur, eoque liquore abſtracto, ſemper aſſervato, Salem in Cella & aëre denuò per ſe liquefieri facito & deſtillato ; quod toties, donec omnis Sal Tartari, hoc modo à Volatili illo attracto Sale univerſali aëris, volatiliſatus, tranſierit per Alembicum, repetendum. Et hac demum ratione, certior eſſe poteris. B. L. Virtutes Salis Tartari per Alembicum tranſiiſſe, teque accepiſſe ſuccincto ſermone Secretum magnum. Tuæ & proximi Saluti deſtinatum, quo felix utere.* Verùm B. L. potiori jure certus eſſe poteris, Alcaliſatum Tartarum hâc ratione penitùs deſtructum, adeòque nihil ejus virtutis per Alembicum tranſiiſſe, *Teque accepiſſe ſuccincto ſermone Aquam Elementalem.*

Hoc ipſum verò non facile demonſtrari poterit, niſi quæ in ſubſecuturis de natura ſeminum & Calidi innati dicenda erunt, huc afferantur. Quod ipſum tamen cum paucis abſolvi nequeat, quædam ſaltem monebimus, deinde uberiùs explicanda ; *Salia*, nempe *Alcaliſata*, nihil reverà aliud eſſe fundamentaliter, quàm *Particulas Aqueas, à Tantillo Acido Seminali, in rigidas ſeu ſalinas mutatas*; quo seminali acido deſtructo, illicò in aquam mutantur. *Unde fit, ut quo pauciori Acido gaudeant Alcaliſata, eò citiùs p. d. fluant, & in aquam abeant.* Violenta verò ignis actio, magnam Acidi hujus (per ſe volatilis) jacturam cauſatur ; adeoque quotidianâ videmus experientiâ, *quò gradu Ignis fortiori calcinata fuerint Alcaliſata, eò citius p. d. eadem reſolvi.* Atque hoc per Acidi coagulantis defectum fieri, manifeſtiſſimè inde patet, quòd aliud Acidum, ſulphuris v. g. loco amiſſi redditum, fluxum iſtum p. d. impediat.

Salia igitur fortiter Alcaliſata, humido aëri ſi exponantur ; tantillum quod de Acido Seminali reliquum eſt, amittunt, Aëre, menſtruali ſua virtute idem ſolvente ; adeoque tantum Alcaliſati Salis in aquam Elementalem reſolvitur, quantum ſeminalis Acidi ablatum fuerit ; cui aquæ, reliquæ ſemine nondum orbatæ particulæ ſalinæ innatant. (Salia namque quia fundamentali ſuo puncto Aqua ſunt, & ad ejus naturam proximè accedunt, in aquis promptè ſolvuntur)

vuntur) quæ si abstractâ aquâ, Aëri denuò expositæ fuerint, seminalibus particulis consumptis, ipse in aquam resolvuntur. Atque hoc repetitur toties, donec Acido seminali omni, penitus destructo, ceu parte formali, nudam materiam h. e. Aquam elementalem conspiciamus. Cui quæso quænam insignes inesse poterunt virtutes medicamentosæ? *Mirum profectò est, virum, adeò in veterum, aliorum que erroribus aperiendis sedulum, sal Tartari volatile, ab elementali aquâ distinguere non potuisse.* Et reverâ hîc videmus, quantum obsint Experimenta, citra rationem, Causarumque investigationem considerata. Nubem nos faciunt accipere pro Junone, ut interdum ea æstimemus, quorum postea, si cognoverimus, nos pœnitere possit.

Præter hoc igitur, quod in præcedentibus de Alcalisato Sale jam demonstratum est; non præexistere illud formaliter ante Calcinationem in misto, patet nunc in dicto experimento *Zvvelferiano*, eadem in aliud prius, Aquam nempe elementalem reducibilia esse; quò ipso veri principii rationem amittunt. Neque hoc de Alcalisatis tantùm Salibus; sed & aliis, è quorum colliquatione Alcalisata produci, in antecedentibus demonstravimus, accipiendum est. Adeòque Tria illa Chymicorum, *Sal*, *Sulphur* & *Mercurius*, propter rationes allatas, *nullo modo principia naturalium rerum, vera & genuina, dici possunt.*

Postquam igitur in antecedentibus ostensum, *nec Quinarium* Modernorum; *nec Quaternarium Peripateticorum*; *nec Ternarium Paracelsistarum*, Principiorum numerum, sibi constare posse: *Videndum nunc erit, quid Binario nostro*, Veritatis ac Soliditatis insit: cùm non sufficiat, quæ pro veris hactenus corporum principiis haud meritò habita sunt, indicâsse, nisi & quænam pro veris habenda sint, explicetur. Quod quidem expediviſse arbitrabimur, ubi cuncta sublunaria ex *Aqua* & *Seminibus* beneficio *fermentorum* s. *Spiritus Universi* conjunctis, composita esse demonstraverimus.

Qui rerum generationem, progressionem dicunt à Non-Ente ad Ens esse maximum certè errant errorem, si per Non-Ens intellexerint *Negativum*, ac non potiùs tale quoddam, quale cæteroquin

Priva-

Privativum, Scholæ appellare consueverunt; quod, etsi reverà quid positivi sit, nondum tamen est id, quod esse debebat & poterat. Ex hoc enim rectissimè rerum Generationes incipere dici possunt, cùm contra ex Nihilo negativo, nihil unquam naturaliter quicquam productum sit.

Prima quidem rerum productio fiebat, citra ullam præexistentem materiam, ex Nihilo negativo, ab omnipotenti Ter Optimo Terque Maximo Deo, virtute verbi sui efficacissimi FIAT. Ita enim dicit *Geneseos scriptor Moses*: cùm dixisset Deus *Fiat Lux*, factam esse lucem, &c. quam productionem, *Creationem* appellare solemus. Cùm verò; pro absoluto suo arbitrio & Voluntate, creâsset Deus creaturas, non simplices, sed compositas, ex ejusmodi Principiis; quorum intestinis dissidiis, individuo, non quidem necessaria annihilatio, sed mixti dissolutio tamen & interitus imminere posset, quò tandem individuis singulis extinctis, species ipsæ omnes (utpote quæ extra & citra individua non existunt) ad interitum festinâssent; adeoque mundus hicce universus, adeò affabre in Sapientissimi, Optimi & Potentissimi Creatoris gloriam exstructus, ante corruisset, quàm Creatoris Bonitas, Sapientia, Potentia, exinde cognosci potuisset: *placuit ei, pro immensa sua Sapientia, rebus corruptioni obnoxiis, Virtutem infundere sese multiplicandi, sibique simile generandi*, ut quam individuis perpetuitatem denegârat, eandem species possiderent.

Hoc ipsum clarè satis explicat *Moses*, dum Universi Creatorem absoluto sex dierum Opere dixisse scribit, *Crescite* & *multiplicamini*. Quorum prius *Crescite* individuorum conservationi dictum videtur, ut illa augmentum capere ac nutrire possent: posterius verò *multiplicamini* ipsas rerum species concernere credo, cujus beneficio, rerum generationes expediantur, ut idem ex seipso renasci quasi, & simile procreare possit, generatione verâ & univocâ. Clariotibus verò verbis ipsum expressum legimus vers. 11. c. 1. Gen. *Germinet terra germen, herbam producentem semen; arborem fructiferam facientem fructum juxta speciem suam, cui insit semen suum.* Atque ab illo ipso temporis, quo hæc dicta erant, articulo:

in

in hunc uſque diem, hæ naturæ leges obtinuerunt, ut cuncta individua ſui in ſpecie conſervationem quærerent.

Generatio itaque rerum creationem ſecuta, certè ex non-ente nullo modo initium ſumit, ſed illis particulis; quibus virtute verbi benedictionis, illa ſeſe multiplicandi vis inſita eſt; entibus reverà poſitivis & realibus.

Hæ verò particulæ, Generationum principia, non inſunt omnibus eædem; ſed quælibet ſpecies, in producendo ſui generis individuo, ſpecificum, à cæterarum ſpecierum omnium ſemine, diſtinctum ſemen poſſidet. Ita in ſemine hominis nulla deprehenditur potentia producendi Leonem, neq; contra Leoni ſemen erit, homini producendo aptum. Neque in ipſo v. g. Homine, ſemen propriè unicum eſt & omninò ſimplex; ſed prout ad humanum corpus efformandum variæ concurrunt partes Organicæ, tam internæ quàm externæ, quarum conjunctione humani corporis fabrica exſtruitur; ita neceſſe erit, ſingulas partes, propriam ſibi virtutem formatricem agnoſcere, adeòque hanc formatricem virtutem compoſitum quid eſſe; non quidem in ordine ad ſubjectum v. g. Hominem producendum, cujus intuitu reverà ſimplex eſt, quia potentia, quæ ipſi ineſt, particularis eſt, & determinata ad unicum actum; hominem ſolum, nec aliud animal Leonem, equum, canem producendum; ſed in ſe conſideratam, ad diverſas partes individui, quarum ratione, compoſitam dicendam eſſe videtur. Neque enim, eadem numero formatricis virtutis particula, quæ cerebrum exſtruxit; & brachio vel manui producendis apta erit. Neque ſtomachum, Cor, Hepar, aut pulmones, quæ fabricarunt particulæ, externis corporis differentibus muſculis, vel etiam inteſtinorum convolutionibus figuram largientur. Aut ſingulis his, univerſalem quandam potentiam, aditam ſpecie diverſos actus, ineſſe dicendum erit. Quo conceſſo, ſponte ſua ſequetur, ex uno eodemque humano quoque ſemine, diverſa ſpecie animalia produci poſſe. Nam ſi ſingulæ formatricis virtutis particulæ, adeò indifferentes ſunt, ad actus ſpecie diverſos producendos, quid prohibet, quominus integrum ſemen, cujus partes ſunt particulæ iſtæ, indifferenter quoque ſe habeat ad anima-

lia

lia ſpecie diverſa producenda? ita ut perinde ſit, quod nam ſive equi ſive canis ſemen, ad alterius animalis generationem concurrat. Hoc verò quemadmodum contra omnem rationem eſt, & quotidianam experientiam, non ſapientum tantùm, ſed ipſius vulgi etiam: quibus conſtat; non fieri ex quolibet quodlibet, adeoque illa quæ fiunt, in proprio ſemine ante delituiſſe: Ita quoque abſurdiſſimum erit, & ab omni ratione alienum, tot diverſarum figurarum uſuumque partium, corporis v. g. humani, particulares generationes, unicæ ad omnes partes indifferenti virtuti plaſticæ tribuere. Quod ut clariùs innoteſcat, videamus unicum ſaltem nutritionis exemplum, quæ ſpecies quædam generationis eſt. Bos v. g. varias diverſæ naturæ partes integrales habet; *cor*, *hepar*, *pulmones*, *lienem*, *ſtomachum*, *inteſtina renes*, *venas*, *arterias*, *nervos*, *membranas*, *tendines*, *oſſa variè figurata*, *cartilagines plurimas*, *cutem*, *cornua* &c. quibus ſingulis, virtus inſita deprehenditur augmentum capiendi: (Neque enim bos ſed vitulus naſcitur.) Quod fit ſæpiùs reiterata alimentorum exhibitione, quâ ceſſante & ipſa ceſſat tandem animalis nutritio. Adeoque ipſa alimenta, ſingulis bovis partibus incrementum afferunt.

Aſt verò *nutritur bos*, & incrementum ſuſcipit, quoad ſingulas partes, *ſolius graminis & aquæ ſimplicis beneficio*. Quod mirum profectò videretur, & fabulæ quàm verò ſimilius, niſi hoc ipſum quotidiè ferè videre licitum eſſet. Unde fit, ut plerumque oculis ac animis hæc vileſcant, & ut res nullius aut certe parvi momenti, omninò non advertantur; cùm tamen hæc res, inveſtigatione haud intermiſsâ, digniſſima ſit pariter & jucundiſſima, quæ ſolidè intellecta, incredibilem lucem affert, ſapientiſſimorum majorum noſtrorum placitis, de natura Formarum, Idea Platonica, Metempſychoſi Pythagorica, obſcuritatibus alioquin graviſſimis, immerſis, ac propterea à poſteritate, in alienum à tantorum virorum ſententia, ſenſum detortis, intelligendis.

Quid ergò dicendum erit, de nutrimento & augmento bovis, è gramine & aqua ſimplici, quod accepit? Numquid dicere licitum erit, tot diverſas partes bovis diſſimilares, in gramine & aqua formaliter ac reverâ exſtitiſſe, *Oſſeas*, *Muſculoſas*, *Cartilagineas*, &c. ita, ut

particulæ graminis carneæ, musculosæ, bovis carni appositæ saltem, cartilagineæ cartilagineis, tendinosæ tendinosis &c. nutrimentum, propter particularum quoad substantiam similitudinem, præberent? Nemo quidem hoc dixerit, qui præsertim attenderit, non solum bovem graminibus vesci, verùm & oves, equos, insecta varia, ipsumque hominem.

Nam & antiquissimis temporibus, ante plenam fructuum, frumentorumque copiam, horumque commodam præparationem, homines radicibus ac herbis variis spontè nascentibus, enutriti fuerunt, hodieq; Indiæ Occidentalis Incolæ, è radice certa panem coquunt, *Cassaba* ipsis dictum, quotidianum cibum; nosque Europæi, frequentissimè lactucis, variisque graminum generibus vescimur; & *adhuc* acerrimè *disputatur, quisnam cibus vegetabilium an animalium, nobis magis proprius & competens sit.* Ast in dictis animalium speciebus, maxima partium difformitas est. Quamvis enim in iis, quoad partium integralium communem naturam, qua v. g. ossa brutorum, non minùs ossa sunt, quàm hominis, cæterorumque animalium, & caro ovilla, & à bovilla conceptu communi non differat; Ossa tamen, ab ossibus diversorum animalium, proprio quodam conceptu, aliud quippiam & Proprium obtinent. Et ipsam ovillam carnem, à bovina, vel Gallinæ, multum differre sapor & odor docent. Tum verò præcipuè Insecta, viridantes frondes & prata depascentia, à cæteris jam allatis animantibus immane quantum, & naturæ proprietate, & organorum formatione distant, & tamen eadem hæc communi cum cæteris animalibus nutrimento, conservantur.

Quòd si igitur, tot diversarum figurarum & proprietatum causas, è gramine repetere vellemus, quid quæso de gramine fiet? nonne dicendum esset; in gramine latere tot animalium non similares saltem partes, verum etiam Organicas, *brachia, pedes, cor, hepar, pulmones, caput, &c.?* quod valde sensuum & Rationis testimonio absurdum foret. *Quis* enim *nescit, quot distet parasangis natura plantarum, ab animalium.*

Vim ergò hanc animalium, ac v. g. *bovis formatricem, non tam extra corpus bovis, in gramine quærendam esse, quàm potiùs in ipso animalis corpore, & quidem singulis ejus partibus, diversam collocandam esse,*

Ratio

Ratio ſuadet: ut diverſæ animalis partes, contineant quiddam, quod in aliis partibus reperire non liceat, cujus beneficio alimentum adductum in naturam hujus v. g. Renum non verò Pulmonum mutetur; Quò ipſo alimentum per ſe cæteroquin indifferens, ad hanc vel aliam partem nutriendam, ita determinetur, proprioq; quodam partis ſigillo, ita inſigniatur, ut non poſſit non, hanc partem neceſſariò nutrire.

Atque ejusmodi ſigillo proprio inſignitum alimentum, alterius partis ſigillum vel etiam Ideam nunquam ſuſcipiet, niſi à potiori quodam & potentiori fermento, debilius ſuppreſſum fuerit. Quod potiſſimùm contingit in ventriculis animalium, ſtrictè ſic dictis.

In ventriculum hominis, ſi deſcenderit Caro muſculoſa, v. g. ovis, proprio fermento & Idea inſtructa; ſed debilior, quam ut fermento ſtomachi potenti & manifeſtiſſimo reſiſtere poſſit; *ſuperatur, & quæ ovilla caro erat, fit humana.* Eodem modo Ventriculus canis, oſſium commeſtorum fermentum, & Ideam ſuperat, ut & muſculoſæ carni nutrimento eſſe poſſint. Neque alia ratione gramen propria Idea & fermento (quid per fermentum intellectum velimus in ſubſecuturis pluribus explicabitur) inſignitum; à fortiori v. g. bovis ventriculo ſubigitur, talique Idea notatur, quâ ad ſolum bovem, non aliud animal nutriendum, determinatur. Idem gramen ſi in equi vel Inſecti ventriculum, vel huic quandam analogam partem, delapſum fuiſſet, & horum naturam induiſſet.

Neque novâ Idea ſaltem in ſtomacho ſtrictè ſic dicto, veſtiuntur alimenta, ſed quilibet etiam muſculus, tendo, nervus, arteria &c. brachium, item pulmones, renes, hepar &c. propriam virtutem poſſident, quâ ex communi cæteroquin alimento, proprium faciunt.

Atque hujus *formatricis virtutis natura, quàm admiranda ac omninò Divina eſt*; ita nihil à priſcis etiam Philoſophis, cognitu magis habitum eſt difficile; quàm quid ſit in ovo, quod ipſum reddat fœcundum; quid in conceptu, quid in ſemine, quod iis fœcunditatem afferat? Ipſe *GALENUS libro de fœtus formatione*, fruſtra ſe id, à ſui ſeculi Philoſophis diſcere conatum fuiſſe profitetur, nec quo animus ſciendi cupidus ſatiaretur, apud eos inveniſſe; atque adeò triſtitiâ magnâ affectum ſe fuiſſe, conqueritur, & proinde inveſtigare cœpiſſe; anne certam quandam, circa animalium gene-

rationem rationem invenire posset; inveniſſe autem nullam: atque ideò omnes Philoſophos rogat, ut ſi quid veri invenerint, hoc citra invidiam ſecum communicent.

Ex iis verò, qui in tam mirando opere, quantum quidem humano ingenio conceſſum eſt, cognoſcendo, acutiſſimi ingenii ſui nervos intenderunt; quamvis fuerint, viri aliquot nunquam ſatis laudati, quorum induſtriâ & indefeſſis laboribus, maximæ circa hanc rem obſcuritates ſublatæ ſunt, quorum caput eſſe poteſt, incomparabile *illud & immortale Britanniæ decus HARVEJUS, cujus de Animalium generatione & circulatione ſanguinis, qui ſcripti ſunt libri, clarè ſatis loquuntur, quis quantusque fuerit.*

Virtutem tamen illam formatricem (aliorum ſalvis ſententiis) ſemen in utero explicantem, fœtum formantem, formatum & in lucem editum, in ſtatutæ magnitudinis, terminum extendentem, feliciſſimè omnium aſſecutus fuiſſe videtur *MARCUS MARCI*, in aureo illo *de Ideis Operatricibus libello*, Cujus ſaltem fragmentum quoddam, octo tantùm Capita continens, ad nos pervenit; cætera libri ſecundi capita, hominum invidia ac veritatis odium ſuppreſſit, ut lucem non viderint, digna cæteroquin quæ omnium Philoſophorum manibus dies noctesque tererentur. Quanquam & hodie ſint, qui de hac MARCI MARCI hypotheſi, admodum ſiniſtrè ſentiant, quam fortè ne intelligunt quidem, atque propterea vitio mihi, vertent, ſi è ſubſecuturis, *Marcianæ*, circa virtutem formatricem ſententiæ, me in aliquibus favere adverterint. Aſt de his parum ero ſollicitus, quid de me, vel de *Marco Marci* ſentiant. Adeòque cùm natura ſeminum mihi explicanda ſit, veſtigia ſequar & hypotheſin tanti viri, nobilemque illam de Ideis doctrinam, obſoletam ferè, & denſis tenebris obvolutam, in lucem producam, ſi fortè in aliorum animis, quoddam ulterius in illas inquirendi deſiderium, & ardor excitari poſſet.

Cum igitur in antecedentibus veſtigia quædam collegerimus; è quibus cognoſci poſſit, cuilibet corporis animalis particulæ, non organicæ ſolùm, verùm etiam ſimilari, propriam quandam virtutem ineſſe,

ineſſe, adductum alimentum commune, in propriam ſubſtantiæ partem commutandi; neque adeò diverſitatem partium, è principiis materialibus, ſeu alimentis, tam in utero quàm extra uterum conſtituium fœtum nutrientibus, petendam eſſe; *verùm ex virtute formæ Opificis*, quæ figuram, ſoliditatem, magnitudinem, & ordinem ac nexum, ſingulis à ſe formatis membris, tribuat; facilè nunc explicari poterit, quid per Ideas vel potiùs ſemen cujuslibet animati, propriiſſimè ac ſtrictiſſimè ſic dictum, intelligendum ſit.

Quemadmodum enim cunctorum animatorum organa, ventriculis ſuis abſcondunt ideam ſui corporis, ad cujus normam ſeu regulam alimenta apponantur, ut non poſſit figura alia membro accidere, quàm quæ ſit Idea membri, neque magnitudo etiam major vel minor, aut nexus alius; atque nutritio æquè competat fœtui intra carceres hactenus uterinos conſtituto quàm in lucem edito. *Nutritio enim generatio quædam eſt*, & Ideæ explicatio, & eadem quæ format virtus in utero, nutrit etiam, ita ſequetur, *quod ſemini, humano* v. g. *neceſſariò ineſſe debeant omnium illarum partium Ideæ quas poſtea in homine ex iſto ſemine humano producto, obſervaverimus.* Atque adeò ſi liceret nobis, corporis æquè ac mentis oculis, inſpicere ſemen Leonis vel alius animalis, videremus certè in illo ſenſibiles ſignaturas, radicales Ideas & eſſentiales adumbratas, ſeu integram Leonini corporis Ideam; ita ut ex hoc Leonis ſemine tale organicum corpus, quale Leoni & non bovi competat, neceſſariò debeat perfici.

Quare non ejusmodi intelligimus Ideas, quæ revera & realiter non exiſtant, & objectivè ſaltem in animo concipientis radicentur, extra hunc autem nullâ exiſtentia gaudeant, uno nomine Entia rationis dictas, verùm ejusmodi organicarum partium ſignaturas, quæ realiter citra ullius cogitationem in ſemine præexiſtunt. Neque enim à meo arbitrio vel ullius dependet cogitationibus, ut Leoni aliud organicum corpus contingat quàm bovi, vel equo, niſi realis Leonini corporis ſignatura præextiterit.

Atque hanc *rerum Ideam* alioquin *ſemen etiam appellare licebit*, cum ſemen v. g. hordei, propriè non habeat integrum, veram ſeminis

rationem, ſed capſula ſaltem quædam ejus eſt, quâ cuſtoditur verum ſemen, ne externis aëtis vel ventorum pateat injuriis; adeò ut omnium ritè Philoſophantium ſententiâ, ſemen 2800. ſaltem ſui corporis habeatur pars, de quibus in ſubſecuturis fortè pluribus.

Non immeritò quoque *Formæ* nomen ipſi competit, cùm quod Formali cauſæ communiter tribuitur; quòd nempe *unione ſui cum materia det eſſe rei, & rem à re diſtingui faciat*: huic jam dicto ſemini, vel etiam Ideæ competat, & ſoli quidem; ut nihil unquam in naturali corpore vel cogitatione etiam comprehendi queat, cui nomen iſtud potiori jure tribui debeat. Hæc enim Idea eſt & ſeminalis Virtus, quæ Unione ſui (partis formalis) cum aqua ſimplici, ceu parte materiali, dat eſſe rei; quâ deſtructâ & ſeparatâ, corpus naturale in aquam Elementalem denuò relabitur (uti in ſubſecuturis volente Deo demonſtraturi ſumus. Et eadem quoque, rem facit à re diſtingui. Quòd enim *roſam* v. g. *à lilio* diſtinguere nobis liceat, vel ex animalibus, *bovem* v. g. *ab equo*, præter propria interna, externi quoque explicatæ Ideæ termini faciunt. *Seminis igitur, Ideæ vel formæ* in poſterum ſi quæ mentio facta fuerit, *pro ſynonymis* hæc haberi velim. Cujus natura ſi paucis verbis ſit explicanda, non diſplicent illa *Severini* octavo capite quæ habet. Semen eſt *vitale principium, in ſe continens ſpiritus mechanicos, & Tincturas univerſæ anatomiæ propriæ ſpeciei, quibus ſuum ſibi fabricant corpus, colores, ſapores, qualitates, magnitudines, figuras & reliqua officiis conſentanea.*

Cujus Ideæ, tam in animalibus quàm vegetabilibus explicationem, antequam pluribus aggrediamur; de *Formæ* hujus origine, tribus ſaltem verbis monere liceat unde proficiſcatur; cùm inter celeberrimos quoque viros acerrimè ſuper hac re diſceptetur. Quorum ſententias recenſere omnes, & tædium tibi afferret Lector, & inutilis eſſet labor, quùm ab aliis hoc ipſum ſat præſtitum ſit. Neque tamen prætcrire hoc poſſum, quam non admittenda ſit ſententia illorum; qui cœlum ſine ullo ſemine, multas proferre tum animantes, tum ſtirpes; ſemen, gignendis rebus materiam concinnè duntaxat apparare, & inſtruere, Cœlum verò in apparatam illam ſpeciem,

ſpeciem, ſummam perfectionem immittere, vitamque ſuſcitare in omnibus, docent. Cujus ſententiæ Dux præcipuè ac Autor eſt, *Fernelius* in lib. *de abditis rerum cauſis*; qui clarius adhuc mentem ſuam alio in loco explicat, dicens: *Animantium ſtirpium lapidum & metallorum omnium, quæcunque & fuerunt & eſſe poſſunt formas, una Cœli forma poteſtate comprehendit, & innumerabilibus illa gravida formis, omnia gignit & fundit ex ſeſe.*

Verùm, ſi virtus iſta formatrix ab externo quodam, ſemini communicaretur, neque adeò in ſemine generantis revera exiſteret, ſequeretur, ſemina v. g. hominis, lupi; recipere ſaltem formas, adeòque potentiam illorum paſſivam eſſe; cùm ſoliùs formæ ſit agere. Unde manifeſtiſſimè colligeretur; corpus illud hominis, lupi, ſemen appellatum indifferens eſſe, ad cujuslibet animalis, bovis vel canis formatricem virtutem ſ. Ideam ſuſcipiendam. Adeòque quid impedit, quominus è ſemine quandoque humano, bos aut canis productus fuerit; aut contra è ſemine bovino, vel canino, homo prodierit? cùm cunctis his materialem ſaltem rationem habentibus, indifferenter quævis, non animalis tantùm ſed vegetabilis etiam Idea, à Cœlo imprimi potuiſſet. Quibus ſi quis regereret; obſtare aptitudinem materiæ, ad hanc potiùs, quam aliam formam ſuſcipiendam, ut hoc bovis ſemen, contineat quiddam præparans idem ad determinatam Ideam ſuſcipiendam; confiteretur hicce formam quandam, & virtutem formatricem reverâ in hominis ſemine præexiſtere, ante illam infundendam à Cœlo formam. Et cùm ſub infinitis ferè Cœli locis, innumerarum quotidiè ſpecierum, innumera individua producantur, neceſſe foret, aut univerſalem quandam cunctarum v. g. bovis vel canis formam, per terrarum orbem univerſum, ubi boves vel canes generantur, eſſe diffuſam, è qua ſingula harum ſpecierum individua ſemina, determinationem ſui & formam caperent; aut ſingulæ formæ ſingula quotidiè comitarentur individua.

Atque hoc quidem poſteriùs, ſi ita revera eſſet, formæq; extra individua exiſterent, quid ad hominis vel canis generationem opus eſſet homine vel cane (uti jam monui) cum formæ ſit ſolius agere & determinare

mate-

materiam, neque ullum contra materiæ in formam jus competat; neque homo generaret hominem, vel bos bovem, generatione univocâ vera & completa. Neuter n. produceret effectum ejuſdem ſpeciei, quòd formam, ſpeciem conſtituentem, non largiretur, ſed tantillum materiæ ſaltem, principium ad rerum generationem, incompletum. Si priùs verò, ſpecies totidem & univerſales formæ omni tempore in hunc inferiorem globum infundi per Aërem deberent, quòd immediatus agentis cum patiente debeat eſſe nexus, & ſingulis momentis prolificum ſemen effundatur; adeòque aër quem haurimus innumeris formis plenus eſſet. Quæ ſi ita ſint, non culpandus adeò erit *Pythagoras* à brutorum carnium eſu, diſcipulos ſuos dehortans, quòd defunctorum ſeparatas formas in illas emigrare crediderit, modo ab aëre quoque ipſos abſtinere docuiſſet, cui formæ nondum, cum materia conjunctæ inſint, ne cum aëre attracto, lupi vel vulpis forma ſimul attrahatur.

Superiorum quidem Cæleſtium corporum in hæc ſublunaria & inferiora, magnam vim eſſe, mirandumque conſenſum, negari non poteſt. Videmus enim quotidiè, *pro varia Lunaris corporis, ad ſolem facie*, non aëris ſaltem variare tempeſtates; maris item fluxus ac refluxus tardiores fieri aut celeriores; *verùm animalia etiam modò incrementum capere; modo detrimentum pati*, corpora item quædam in primam materiam reduci. Sole verno tempore ad nos redeunte, quæ prius ſopita & mortua videbantur, non vegetabilia ſolùm ſed animalia etiam, novam vitam accipiunt, novosque generationis motus, ſeminaliumque Idearum explicationes moliuntur. *Aſt verò propterea ipſas formas à Cælo rebus naturalibus infundi, dici non poterit.*

Cœlum, res ortas jam propriaque formâ & Idea imbutas promovet ſaltem, non verò ipſam ſpeciem conſtituit. Et ſi omnem Cœlorum in rerum generatione virtutem, paucis exhibere libuerit, dicendum eſt; *infundi ab iis, & conſervari motûs quoddam vitale inſtrumentum, quod torpeſcentes cæteroquin Ideas motu ſuo excitet, explicet, nutriat.* Cujus jam particulam quandam, cuncta prolifica & fœcunda ſemina poſſident, per traducem acceptam; quâ ſi eſſent deſtituta ſemina, ſterilia eſſent cuncta. Hoc à *Coſmopolita* vocatur occultus

occultus ille vitæ cibus quem (ſecundum *Hermetem* in Tabula ſmaragdina) *ventus portat in ventre ſuo*; *cujus Sol pater*, *Luna mater*, *Calidum innatum* uno nomine dictum. De hoc verò, quia in ſubſecuturis plura dicenda ſunt, ſufficiat hoc loco illud notaſſe unicum, non ipſas formas ſpecierum è Cœlo in hæc naturalia ſemina infundi, ſed illorum ſaltem motûs inſtrumentum. *Adeòque quod erat oſtendendum*, *formæ non ab extra ſive Cœlo infunduntur*, *ſed revera jam in ſemine proprio præexiſtunt.*

Et quòd formæ rerum non à Cœlo infundantur, aut extra ſemina exiſtant, ipſi non diffitentur Peripatetici, dum de Formarûm interrogati origine, reſpondent, educi illas è *potentia materiæ*; quanquam hoc ipſo rem nondum ſatis explicent, quin à verò longè aberrent. Cum enim in materia, quà tali, nulla præter paſſivam potentiam alia ſit, quomodo ex ejus potentia, produci poterit Forma, Principium purè activum, totâ eſſentia, à materia diſtans, ipsâque longè nobilius.

Et cùm hæc *Formæ* è potentia materiæ *eductio*, *abſque Efficiente cauſa externa fieri non poſſit*; explicare debebant Peripatetici, quomodo hæc in materiam, & in quas potiſſimùm materiæ partes agat: & deinde quid ſit in materia, quod determinet Efficientem cauſam, ad hanc & non aliam formam è materiæ potentia producendam. Cùm enim unius Cauſæ Efficientis, plures poſſint conſiſtere effectus eſſentialiter diverſi, quid impedit, quòd è ſemine humano nunquam poſſit produci Leo. *Idem calidum eſt*, *quod coquit in hepate*, *quàm quod in corde*, *vel muſculorum ventriculis*, &c. ſingulæ verò hæ partes, ſingulas & proprias habent *formas*, quibus à ſemet invicem differunt, quas ſi cum Peripateticis è potentia *materiæ* eductas ſupponamus (*quàm*, *prout cunctarum rerum*, *aquam eſſe Elementalem in ſubſecuturis demonſtraturus ſum*) quid in materia quâ tali fuit, quod calorem muſculorum, aut hepatis, ita determinaverit; ut alimentum, ad diverſas partes nutriendas indifferens, ad Hepar vel certos muſculos allatum, Hepatis vel muſculi formam induere debuerit? Quibus, per ſe ſatis apertis, diutiùs immorari neceſſarium non erit; cùm quòd *Peripatetici*, verâ DEI

Creatoris cognitione deſtituti, apprehendere non potuerunt, quin obſcura, & impoſſibili ferè ratione, formarum originem è materiæ potentia (mundum exiſtimantes fuiſſe ab æterno) repeterent; hoc nobis, de naturalium rerum initiis longè meliùs edoctis, ab alio Principio arceſſendum erit.

Statuendum itaque omninò erit, quòd, quemadmodum *Creator* hujus univerſi *in principio, varias non Animalium tantùm, ſed vegetabilium etiam produxit ſpecies; ita idem quoque creatis à ſe ſpeciebus, ſemina indiderit propria*, quibus eædem conſervari poſſent, individuis licet intereuntibus. Atque hoc quidem, virtute verbi ſui omnipotentis *Multiplicamini.* it. *Germinet Terra Germen, herbam producentem ſemen* &c. Atque ab illo temporis momento, factum eſt, ut cuncta generantia individua, poſtquam juſtam & definitam, corporis ſui figuræ extenſionem, aſſecuta eſſent; in circulum quaſi rediirent, & quàm à parentibus acceperant, ſeminalis Ideæ particulam, hanc & poſteris ſuis communicarent. Quod in animalibus æquè ac vegetabilibus toto die obſervamus, quæ tum demum ab *Ariſtotele* perfecta dicuntur, cum ſemen illorum aptum eſt, ſimili ſubſtantiæ producendæ.

Quæ igitur ſpecies cunctæ ab univerſi hujus creatore creatæ in principio ſunt, illæ hodie per Ideärum ſeminalium traducem, in individua, conſervantur. Rationalis verò *animæ propagationem, an ſit ex traduce, an verò creetur quotidiè*, tot ſunt non Philoſophorum tantum, ſed Thologorum quoque Excellentium, à ſe invicem diſſidentium opiniones; tot utrorumque non ſpernendæ rationes, ut cujus in ſententiam deſcendendum ſit, non adeò facilè ſit, judicatu; utatur hîc quisque ſuo ſenſu, modô divino verbo non contrario; cùm hæc diſceptatio non ſit hujus loci, ubi Formatricem ſaltem, non humani tantum, ſed brutorum quoque corporum, & vegetabilium, virtutem, explicare animus eſt. Atque hæc de Natura ſeminalis Ideæ in genere dicta ſufficiant, videamus igitur his præſuppoſitis eandem paulò intimùs, accedendo propiùs, ad tria iſta diverſa Regna, *Animalium* nempe *Vegetabilium*, *Mineralium*.

Ex

Ex *Animalium* igitur ordine unicum nobis proponemus *Hominem* tanquam cunctorum nobiliſſimum. Cujus in utero generationem, & in lucem editi nutritionem, ſi rectè oſtenderimus, Ideamque ſeminalem humani corporis, clarè explicuerimus, quid de cæterorum, animantium generatione dicendum ſit, obſcurum eſſe non poterit. Brevitati verò, quantum citra obſcuritatem fieri poterit ſtudebimus, ut B. Lectori anſam ſaltem concedamus, intimius ac penitùs hæc inſpiciendi.

Quemadmodum itaque cunctæ animalium ſpecies, peculiarem, ſibique propriam, ac ſpecificam Ideam ſeminalem poſſident, à cæterarum ſpecierum ſeminalibus Ideis eſſentialiter differentem; ita quoque in Hominis ſemine, talem ſpecificam Ideam, ſoli homini generando aptam agnoſcemus. *Cùm verò ad humanum fœtum producendum*, (quemadmodum nec ad reliquorum animalium generationem) *unius ſexûs, vel maſculini vel fœminini opera non ſufficit, ſed conjunctio requiritur maris & fœminæ*; operæ pretium, imô neceſſarium erit hîc inquirere, quid quantumque uterque ſexus maris & fœminæ, ad humani fœtus formationem conferat.

Mari quidem, *in generatione*, *vim activam*, nemo hactenus quod ſciam adeò audax fuit, ut denegare auſus fuerit. Quid verò activi fœmina ad generationem conferat, acriter hactenus diſputatum eſt ab iis, qui patientis inſtar & recipientis ad agens illam ſe habere, ſeu ut *Ariſt.* dicit, inſtar materiæ ſaltem ad formam contenderunt, ita ut fœmina præter locum calidum ſ. uterum, & ſanguinem fœtui nutriendo aptum, nihil ampliùs largiretur. Verùm injurii iſti ſunt in ſexum fœmineum licet ſequiorem, cùm & Activa ad generandum vis ipſis non deſit. Quamvis enim fœminæ, ad fœtûs nutritionem in utero, ſanguinem afferant; malè exinde concludunt adverſarii; nihil ipſas ad generationem quoque ejuſdem conferre poſſe. Nulla enim in his contradictio, aut dubium ullum, quin in fœmina ſimul ſtare poſſint; quanquam, quæ Efficientis rationem habent particulæ, eædem materialis cauſæ vicem non ſuſtinere, ultrò largiendum ſit.

Neque ullius roboris argumentum eſt illud, quòd eodem tempore quo mas pubeſcit, ſemenque poſſidet, prolificum, in fœminis etiam menſtrua ſolvantur, tanquam virili ſemini reſpondentia, adeòque hæc fœminea menſtrua tanquam materia, cum maſculino ſemine tanquam formali cauſa ad generationem ſufficiant, neque fœmininum ſemen adſit aut requiratur; cùm menſtruus iſte in juvenculis ſolutus ſanguis, ſignum ſaltem quoddam ſit fœcunditatis, quo innoteſcit nobis, viro maturam eſſe virginem, non quòd præter hoc materiale, nullum in fœmina & formale generationis principium, ſ. ſeminalis Idea reperiatur. Hæc enim ſeminalis ſui ſexus Idea, quamvis revera ante menſium quoque fluxum fœminis reverà inſit, (uti ſtatim patebit) ad ſui tamen pro fœtu generando explicationem, hactenus planè inepta eſt, niſi à maſculini ſeminis ejuſque Ideæ motore (de quo poſtea) moveatur ſ. fœcundetur; & præter hoc menſtruus ſanguis verſus uterum rapi obſervetur.

Cum enim ad fœtus productionem non ſufficiat Ideam ejusdem ſeminalem utero concepiſſe, niſi nutrimentum quoque adfuerit, quod trinam ipſi dimenſionem *Longitudinem*, *Latitudinem* largiatur & *Profunditatem*, quam ex ſe Idea non habet. *Soluti in juvenculis menſes maturitatis indices ſunt, eâ ratione, quòd ſignificent præter Ideam fœminei ſexûs, nutrimentum quoque fœtus adeſſe, adeòque maſculino ſemine accedente fœcundo, perfectè fœtum nutriri poſſe.*

Sed relictis his diſputatiunculis oſtendamus; *fœminas præter nutrimentum, ceû materiam fœtus reverà virtutem quandam plaſticam & activam, ad generationem conferre, haud ſecus ac mares.* Plurimæ quamvis partes ſint fœminini corporis, quarum ſitus, nexus, & conformatio à maſculini corporis partibus nihil ferè omninò differat, multæ tamen nihilominus ſunt, quarum cum maſculini corporis membris, nulla ferè convenientia. Organa enim generationi dicata fœminini ſexûs, haud parum à virilis ſexus organis, differunt, docente illorum anatome. An verò credi poterit, harum à virilibus differentium partium Ideas, in maſculino ſemine præexiſtere potuiſſe?

Quo-

Quomodo ſemina partialia membrorum genitalium v. g. *viri* & Ideæ, aptæ eſſe poterunt, utero cæterisque partibus fæminei ſexus formandis. An ex quolibet fieri poterit quodlibet? Ponamus verò infuiſſe, quid tum fuit infœtus formatione, quod ſexus diverſitatem effeciſſet aut quare non in omni viro utriusque ſexus organa generationis comparent, quod aut ſemper, aut certè, plurimum fieri deberet, ſi utriusque ſexus organorum Ideæ in maſculino ſemine exiſterent. Quare omninò dicendum erit, differentium horum Organorum Ideas in fœminino ſexu delituiſſe, adeòque & hunc activè ad generationem concurrere, ſive ſemen poſſidere.

Fœminam partis quadam deformitate laborantem, nonne videmus vitium hocce partis in fœtum transferre? Anne Arthritica generat Arthriticum, Epileptica Epilepticum? quod quæſo quomodo fieri poſſet, ſi nulla fœminarum, in generatione plaſtica & activa vis adeſſet? Neq; enim in maſculini ſeminis unquam poteſtate erit, quæ vitioſæ fuerint in fœminis membrorum conformationes, easdem in fœtum transferre, cùm nullum agens excedat potentiam ſuam adæquatam. Aſini ſemen in uterum equæ delapſum, mixtam producit ſpeciem. Quod ſi ergò fœmina, uterum ſaltem ſ. locum fœtui concedit & nutrimentum ſanguineum; qui fit quòd è ſemine Aſini non unica & ſimplex Aſini ſpecies prodierit? quomodo, quæſo locus fœtus ſeu uterus, & nutrimentum, ad nutriendum fœtum merè paſſivè ſe habens, ſpecificam corporis Aſinini Ideam mutare potuerit? Quare & ultrò hîc concedendum erit, & in equa non minùs ac ſemine Aſini, formatricem quandam ſui corporis ideam ſeminalem præextitiſſe, quæ cum aſini ſemine Ideali conjuncta in mixtam ſpeciem abierit.

Fortiſſimum verò pro fœminino ſemine demonſtrando argumentum, peti poſſet è bovis v. g vel alterius bruti, cum fœmella alius ſpeciei congreſſu, ſi tam deteſtandæ ac planè nefariæ Veneris mentionem, pace tua, B. L. afferre licitum fuerit. Obſervatum enim quandoque eſt, ſceleſtiſſimos homines mares eo proceſſiſſe nequitiæ, ac nefandæ libidinis; ut cum fœmellis alius ſpeciei coirent, fœtumque monſtroſum generarent ex utraque ſpecie miſtum.

Quale narrat exemplum M. M. c. 8 propè oppidum *Bitterfeld* accidisse. Repertum ibi fuisse Vitulum in agro *ait*, oculis, auribus, & naribus humanis instructum, rictu & pectore vitulino, cruribus anterioribus vitulinis, posterioribus humanis. Idem eodem capite ex *Erasmo Roderodamo* refert, *Mulierem quandoque in* locis desertis, à sociis abeuntibus derelictam, lamentis ac ejulatibus omnia compleviſſe quibus, latebris suis excitatum inusitatæ magnitudinis Simium, ad mulierem accessiſſe, illamque non reluctantem, quod vitæ potiorem quàm pudicitiæ curam haberet compressiſſe; mulieremque sobolem enixam, patri quamvis magis similem (unde tamen constat; quandam etiam matris similitudinem, minorem quamvis, in fœtu observatam) Idem ex *Plutarchi sympoſio ſapientum* refert, in ædes *Periandri* illatum infantem, ex homine & Equa natum, cujus Caput, collum & manus hominis essent, cætera equi, ejulatus infantis. Cui Similis est illa, quam de adolescente narrat Caprario ex *Æliano*, qui cum elegantiori capræ se commiscuisset, monstrum inde editum caprina habens crura, & faciem humanam.

E quibus omnibus haud obscurè patet, *& fœminino ſexui, ſeminales ineſſe Ideas*, Si enim solis hæ inessent maribus, quomodo ex humano semine, in Equæ, Capræ vel vaccæ uterum delapso, fœtus prodire posset, & humanis & caprinis equinisve membris instructus; aut dicendum foret, humanum semen ad diversas species producendas, indifferens esse; aut in solius caloris uterini capræ vel equæ potestate esse, membris figuram dare: quod utrumque, quàm contra omnem rationem est ac experientiam, tam erit verissimum, fœminas non secus ac mares activè ad fœtus formationem concurrere.

Quæ cum ita ſint, ſolùm virile ſemen, ad utriusque ſexus propagationem non ſufficit, ſed fœmininum quoque requiritur. In masculino quidem semine, omnium organorum, quæ ad perfectum hominem requiruntur, *Ideæ continentur*, sed nonnisi proprii sexus, uti in antecedentibus jam monitum, quemadmodum pariter in fœminino semine cunctorum perfecti hominis organorum Ideæ includuntur, sed fœminini sexûs

Harum

Harum verò ſeminalium Idearum proprìa loca, ſi in utroque ſexu inquirantur, utrobique eundem videntur tenere locum proprium, teſticulos nempe, quamvis externa capſula ſ. folliculo, quo ſe nobis videndas præbent, non parùm diſcrepent. Virile equidem ſemen liquidum eſt ſ. fluidum, teſtantibus iis, qui pollutionibus tentantur nocturnis. *Quæ forma ipſi conceſſa videtur, ut ad locum generationis remotiorem, ſe uterum tantò faciliùs penetrare poſſit*; quod in fœminis neceſſarium non erat; utpote quæ intra ſe generant adeoque quod ad fœtus generationem conferunt ſemen, in alium extra ſe locum ejaculandum non ſit. Non deſunt, tamen, è viri etiam doctis, qui & fœmininum ſemen, liquidi inſtar ac ſeroſioris humoris fluidi eſſe hactenus arbitrati ſunt.

Perſuaſum hoc ipſis eſt; ab humore illo, in fœminarum teſticulis reperto, quem coëuntes mulieres, in uterum non ſine inſigni voluptate deſcendere fatentur, atque hunc pro vero ſemine habuerunt, cùm virili in utero conjungendo. Quam ſententiam ſecutus quoque eſt Celeb. *Veslingius*, fœmininum ſemen aquoſo lacti conferens; & *Riolanus* idem ſero lactis paulò craſſiori comparandum eſſe docens. Alii inter quos *Guintherius*, cùm inter diſſecandum humorem huncce, copioſiùs prorumpere ac fundi conſpicerent, ut copiâ ſuâ ſectionem impediret, verum ſemen fœmininum ſe obſervaſſe rati ſunt. *Aſt verò, quod tantorum virorum pace dixerim, fœminini ſeminis longè alia ratio eſt.* Humor namque dictus ſeroſus, non circa teſticulos ſaltem fœmineos reperitur, ſed in ipſa quoque Vagina uteri; cujus glanduloſæ partes, perpetuo liquore madent, tùm congreſſus tempore præcipuè; ut quandoque uxoratos audierim, liquorem hunc copioſiùs prorumpentem, pro fœminino ſemine, à ſe in coitu percepto, habuiſſe. *Tantum verò hunc à veri ſeminis natura abeſſe exiſtimo, ut ſaltem pro lympha quadam, membranoſas uteri partes humectante, habendus ſit, eaſdemque ad extenſionem aptas reddente*; quod propter varias rationes, tùm verò præcipuè faciliorem fœtûs in lucem editionem, neceſſarium erat.

Neque alium uſum eſſe putem illius liquoris, in ipſis teſticulis reperti, quàm ut *ova humana, teſticulis, tanquam capſulis* (de quibus ſtatim

ſtatim) *contenta, integrique fœminini corporis organici Ideam continentia*, perpetuò humectet, illorumque vigorem conſervet, ne continuo internarum partium ac præcipuè uteri calore tandem arefacta, ad generationem inidonea reddantur, quin loco moveri nequeant. Quem uſum ipſa oſtendit. Natura nil fruſtra agens, dum ſatis copioſa vaſa lymphatica, per uterum, Teſtes & Tubas uterinas errantia fecit.

Quare fœminini ſeminis ſi veram aliquam deſideramus cognitionem, alia via incedendum erit. Recentiorum namque Anatomicorum induſtria, ac inter illos Cl. *Regneri* de *Graaff* in fœminini corporis organorum penetralibus perſcrutandis ſedulitas, docuit nos, *muliebres teſticulos, nil niſi Ovaria eſſe, maximam ovorum copiam complectentia*, ad ſingulos fœtus formandos deſtinatorum, *adeò ut vivipara non minus ab ovo originem ducere, quàm ovipara dicenda ſint. Teſticulorum horum muliebrium ſeu ovorum*, qui plenam anatomen deſiderat, legat anatomicos recentiores: neque enim hujus loci eſt hæc recenſere, quæ toties ab aliis dicta ſint.

Hoc ſaltem hîc notabimus unicum, non reperiri in fœminis ſemen aliud, quàm quòd in veſiculis illarum ſeu ovis continetur Teſticulorum. Hæ enim liquorem quendam continent limpidum, & ſperma, quod theca quædam eſt, ac proprius veri ſeminis locus. *Hic limpidus liquor, Ideam in ſe continet, organorum fœminini corporis omnium, integram.* Quod profectò vix fidem mereri videretur, poſſe tam anguſtis ſpatiolis, tot partium integras ſignaturas contineri, niſi ſatis conſtaret; verum & genuinum ſemen, minimam ſaltem particulam eſſe ſui corporis ac omni ferè corporea mole carere.

Quibus probè conſideratis, facilè erit explicatu, quid quantumque, uterque ſexus ad fœtus generationem conferat, & quomodo utriusque ſeminis conjunctio ſ. fœtus conceptio fiat. *Fœmina nempe verùm & genuinum largitur ſemen ovo contentum. Mas autem ſemen confert nullis externis tunicis munitum, ſed fluidum terminisque ſolutum, inſtar lactis candidum.*

Conjun-

Conjunctio verò ac *fœtus conceptio hoc modo fit.* Masculinum semen in muliebrem uterum delapsum seminalem suam ac vitalem auram, cunctarum partium Ideam continentem per Tubas Fallopianas ad Ovaria sive Testes muliebres mittit, quæ cum ovo, uno vel pluribus conjuncta, eadem fœcunda reddit. Ovum hoc fœcundatum Testiculis excluſum, Tubarum extremitate excipitur, ac per internam earum cavitatem, in uteri cavum deducitur. De quibus ovorum ductibus plura videri possunt apud *Regn. de Graaff* Anatomicum Præclaris.

Antequam verò explicemus, quâ ratione hæc conjuncta semina, illorumque Ideæ evolvantur, paucis saltem investigare liceat, ortum illarum, non primùm quidem quem in antecedentibus à solo hujus universi creatore petendum esse dixi; sed è quibus potissimum humani corporis partibus, Ideæ seminales decerpantur; *neque hæ creantur hodiè, sed per traducem propagantur.* Et deinde paucis quoque videamus, quare neutrum semen, neque fœmininum, neque masculinum sibi soli ad generationem sufficiat, sed utriusque conjunctio requiratur.

Quod itaque prius attinet, fuerunt quandoque; qui semen è cerebro in spinalem medullam secundùm aures deferri dicerent, quos inter fuit ipse *Hippocrates*; propterea meretricum aures amputari docens, ut lascivia earum exstinguatur, pessimorumque hominum posteritas deleatur meatibus circa aurem cicatrice obductis, & transitu semini præcluso. Verum hoc quicquid est à Cl. *Sennerto* jam tum rejectum, neque ulteriori refutatione indiget, cui quotidiana experientia contradicit. Alii; ultimi alimenti superfluam, utilem tamen quandam portionem, in genitalibus partibus collectam, Semen dixêre. Alii aliter dixerunt; quorum quidem hîc sententias recensere omnes, non constitui. Hoc certè, vero quam simillimum quin verissimum est, non ab unâ, sed omnibus ac singulis humani corporis partibus, decerpi semen, adeò; ut nulla etiam organica pars reperiri possit, cujus non integra Idea & signatura in semine contineatur. *Quod quidem nemini mirum videbitur, qui consideraverit, parentum morbosas constitutiones tanquam per traducem in fœtum transferri.* Ita quotidiè videmus parentes,

Epilepticis motibus obnoxios & proles iisdem laborantes generare; Arthriticos, Calculosos Phthisicos, hæreditate quadam in posteros, suum morbum transferre. *Et quod majori admiratione dignum est, ipsæ externæ parentum maculæ, certis partibus corporis inhærentes, in eandem fœtus partem propagantur, veluti Olera, Pisa, Lentes, à quibus* integræ familiæ Ciceroncs, Pisones, Lentuli, nomina sua mutuatæ sunt, quod fieri nunquam posset, nisi partis ejus cui macula affixa, Idea simul in fœtum derivaretur.

Inopinato fœdioris rei adspectu perterrita prægnans, si quod sui corporis membrum percusserit, maculam inde quandam in fœtum transfert; & quidem non promiscuè in quamvis partem, sed illam quæ percussæ matris parti exactè respondet. Ita si tetigerit, luculentiori & inopinatâ flamma perterrita mater, partem quandam faciei, fœtum dabit, cujus facies rubra quadam macula imbuta sit. *Eandem* si fortè mus terruerit, fœtus in lucem prodibit, notam possidens, muris cuticulam exactè referentem, pilis quoque vestitam, eâ quam mater imprudenter etiam tetigerit parte. In quibus similibusque quamvis fortissimæ matris Ideatum impressioni s. imaginationi multum tribuendum sit (cujus ratio deinde afferetur) quod tamen certa quædam fœtus pars, hæc & non alia afficiatur, non aliunde repetendum videtur, quàm quòd Ideæ membrorum fœtûs, particulæ sint, Idearum partium matris, unde fit, ut quæ prægnanti exteriùs contingunt, eadem & fœtus sentiat.

Cùm enim semen humanum omnium partium signaturas continens, in homine generetur, neque verò Idea v.g brachii; Cordi, vel alii membro formando, apta sit, sequetur; non esse proinde, è qua humani corporis parte semen cujuslibet partis generetur; sed necesse erit, ut seminis particula, è qua brachium v.g. in fœtu formatur, sit particula Ideæ & seminis habitantis in brachio parentis, & Idea cordis in fœtu, particula sit Ideæ cordis parentis & sic deinceps.

Existimem verò, has singularum partium particulares Ideas, per universum corpus perreptanti sanguini imprimi, atque hujus auxilio, tanquam vehiculo quodam ad generationum organa testiculos deferri.

Cui

Cui fidem facit, quòd in humano ſanguine, reverâ ejuſmodi Ideas exiſtere aliquoties deprehenſum ſit, ab iis præcipuè, qui eundem recentem & calentem ſpiritibusque adhuc turgidum, cucurbitâ exceperant, ad ſpiritum aliudve medicaminis genus inde parandum. Obſervarunt namque in eo varias humani corporis ineſſe Ideas, ac tandem quoque phantaſma quoddam humanum, mugitum quendam edens non ſine terrore adſtantium, *quale Exemplum in Borelli Obſerv. legi poterit, aliorumque. Neque verò fieri hoc unquam potuiſſet, niſi hæ Ideæ revera in ſanguine exſtitiſſent; niſi quis præſtigiis Dæmonum hæc accepta referre malit.* Quod quotidiè ab ignara naturalium plebecula, fieri videmus, ut quorum rationes ac cauſas non ſtatim aſſequuntur, hæc Diabolo tribuant; cum tamen reverà naturales Cauſæ adſint. Injurii certè in univerſi Creatorem, cujus opera quæ nobis in ſui cognitionem inveſtiganda dedit, turpi quâdam deſidiâ, aut negligunt omninò, aut ſuperficies ſaltem externas, nulla interiorum penetralium ratione habitâ, contemplantur.

Eaſdem in ſanguine exiſtentes Ideas demonſtrant & alia. Memoriâ namque digna eſt hiſtoria, quam refert *Beckerus in Microc.* ex *VVeinrichio, de puella quadam Uratislavienſi*; quæ mollior & Junior, cum à carnifice latronem publicè capite truncari ſpectaret, rei fœdirate territa, in Epilepſiam incidit; cui tollendæ cùm plurima hinc inde comportata remedia non eſſent, *quiſpiam ex vulgo autor erat*, ut felinum ſanguinem biberet: bibit miſera; aſt in feliciſſimo eventu: felis enim naturam ac mores, ſimul cum ſanguine hauſiſſe viſa eſt, ut paroxyſmo ingruente, voce, ſaltu, geſtu feles imitaretur, mures in ſilentio venaretur, anguſtiſſimisque foraminibus murium adſtaret. *Quod quidem ſolis Ideis felini ſanguinis tribuendum erit.* Quamvis enim in hac puella, mores ſaltem felini obſervati ſint, nullâ cæteroquin partium mutatione factâ (unde quis colligere poſſet, non ab Ideis & ſignaturis corpus formantibus, hujus rei cauſam repetendam eſſe, ſed anima potius quadam in felino ſanguine latente) conſtat tamen, omnium, quæ ab animalibus ratione carentibus fiunt, rationes, ab organorum varia formatione & diſpoſitione fluere: *ita ut ſi feles eadem cum canibus reſpirationis ac oris organa*

haberent, latraturæ eſſent canum inſtar, aliasque canum actiones imitaturæ. Quorum organorum, cum formatrices cauſas Ideas eſſe demonſtraverimus, rectè me facere confido, ſi operationum, organorum beneficio peractarum cauſam, in ipſas Ideas referam tanquam priorem ſeu mediatam cauſam. Præſertim, cùm & tale & quid obſervemus in hominibus, quorum mores & ingenia mirum in modum à ſe invicem diſcrepant, ut alii planè ſtupidi ſint, alii contrà ingenio valeant. Non quod hujus aut illius anima rationalis perfectior ſit aut ſapientior cæterorum animabus (minimè gentium) ſed propter ſolam organorum perfectionem aut vitium. *Si enim ſeni ejuſdem eſſent perfectionis Visûs* v. g. *& auditûs organa, non minùs accuratè videret & audiret ac juvenis*: quod quidem adeò verum eſt, ut & ipſos hominis mores ac ingenium è vultu quis legere poſſit.

Quæ cum ita ſint reverâ, & organorum Ideæ in ipſo ſanguine obſerventur, probabilis ratio reddi poterit, quare *Fauſtinas M. Antonii* Philoſophi uxor, filium enixa ſit in omnem ferociam ac crudelitatem proclivem. Cum enim gladiatoris cujuſdam hominis crudelis quem deperibat, ſanguine calido hauſto, ſtatim cum marito concubuiſſet, *Commodum* peperit, crudelis ac gladiatorii animi hominem, qui gladiatoriis cruentisque pugnis Romanam Rempublicam ferè attrivit. Neque alia erat *ratio Caligulæ Imperatoris*, ſcelerum crudelitatisque immanitate nulli ſecundi, cujus morum nil à patre, nil à matre profectum erat, ſed à ſola quæ ipſum lactaverat, Nutrice.

Hæc enim præterquam quod ipſa crudelis eſſet & barbara, ſæpiſſimè oras mammillarum ſanguine tingebat, infantemque exſugere permittebat, quo ipſo tantam in illo ſanguinis ſitim excitaverat, ut ætate provectior, ne infinitâ quidem multorum hominum cæde expleri poſſet, quin de ſicca etiam & gladio, ſanguinem lamberet, ſæpiusque optaret, ut unum toti orbi Caput eſſet, ut ſic unico ictu truncari poſſet.

Quare non omni periculo carere videtur Chirurgia illa Transfuſoria dicta (quod obiter hîc ſaltem adverti poteſt) *quòd metuendum ſit, ne præter occultorum, morborum ſemina, peſſimorum ſimul morum veſtigia*

gia

gia imprimantur. Neque fruſtra certè eſt, quod DEUS ipſe adeò ſeverè prohibuerit populo Iſraelitico commeſtionem ſanguinis brutorum. Hæc enim Lex per *Moyſen* lata eſt, ut *quicunque ſanguinem guſtaverit, eradicetur.* Levit. cap. VII. verſ. 27. Quod repetitur cap. XVII. ejusdem v. 10. additâ hâc ratione, quod *vita animalis ſit in ſanguine.* Item Act. XV. v. 29.

Certum itaque eſt & indubitæ veritatis; *ejusmodi Ideas reverà in ſanguine exiſtere, adeò ut ſanguis vehiculum quoddam videatur*, cujus beneficio, particulares organorum Ideæ ſeminales, ad teſtes deferantur, ibi colligantur & ſpiritu quodam calido motore imbuantur, qui fœcundet illas & in utero explicet (de quo in ſubſecuturis volente Deo pluribus.) Neque obſtat huic, prout opinatur Ingeniosiſſ. M. *Marci*, quòd tamen claudi, & parte quadam mutilati, perfectos habeant fœtus: quod fieri non poſſet, ſi ſeminales particulæ à propriis ſibi, ſingulisque partibus decerperentur. Carere enim & fœtus debebat illa corporis parte, quâ patet, quòd quæ non adeſt corporis pars, illa Ideam ſui communicare non poſſit. Regeri enim adhæc poteſt, quòd ad fœtus productionem, non maris tantum, ſed fæminæ quoque ſemen requiratur (de quibus jam in antecedentibus monitum) quod utrumque tam maſculinum quam fœminum, perfectam & integram, totius organici corporis ſignaturam contineat & Ideam ſui ſexus. *Ponamus igitur Patrem dextro eſſe truncarum brachio; non tamen inde neceſſariò generabitur fœtus dextro deſtitutus brachio.* Quia quæ Idea partis, in maſculino ſemine deſiderari poterat, non ſtatim in fœminino quoque ſemine deſideratur; adeoque hujus beneficio qui propter maſculini ſeminis defectum mutilis in lucem proditurus erat fœtus, perfectus prodit. *Quod ſi verò uterque Pater & Mater dextro brachio carerent, quid tum de fœtu fieret, anne tum & hic dextro brachio cariturus eſſet? Quod certè futurum puto*; quanquam non omninò hoc neceſſarium ſit, quia fieri poteſt, ut uterque parens, ante dextri brachii amputationem, omnibus numeris perfectum ſemen, loculis ſuis reconditum poſſideant, ex quo nonniſi perfectus fœtus: *quemadmodum*

nonnunquam obſervatum eſt, exſectis teſtibus Eunuchos tamen prolifico ſemine ſibi concreditas fœminas impregnaſſe, fortè in veſiculis ſeminalibus reſiduo, ante teſtium exſectionem generato.

Aſt verò, ſi, prout diximus, in utroque ſemine integra hominis Idea continetur, quare neutrum ſibi ſoli ad generationem ſufficit; ſed utriusque Conjunctio requiritur. Quod quidem ova illa fœminea, perfectum ſemen continentia, attinet; *accidit nonnunquam, ut ſtimulo quodam libidinis ad uterum delabantur, citra congreſſum cum mare*; quod idem quandoque etiam contingit, quibus menſtrua fluunt, ut foras excernantur ova. Hæc tamen quamvis ad uterum delapſa locum generationis proprium, intumeſcunt quidem & extenduntur ovi pelliculæ, Chorion & Amnios cæteroquin dictæ; fœtus tamen inde nus; *ſed tum in Gallinis ova fiunt ſubventanea*; *in fœminis Molæ.* Ratio verò, quare fœtus horum ovorum non perficiantur, hæc eſt; quòd hiſce Ideis deſit Motor explicans, & nutrimentum ſingulis partibus apponens, tantæ virtutis & actionis, quanta ad hoc negotium requiritur. Ideæ enim quamvis partibus figuram dimetiantur, ſemetipſas tamen evolvere non poſſunt, niſi externo quodam agente explicentur, *Calido* cæteroquin *Innato* dicto, cujus quæ ſit Natura, ac in rerum naturalium generationibus actio, in ſubſecuturis volente Deo pluribus dicetur.

Hoc verò Fœminini ſeminis innatum Calidum, per ſe debilius eſt, quàm ut Ideis illis evolvendis ſufficiat. Ideas cæteroquin humani corporis (quod fortiſſimum certè pro fœmineo ſemine demonſtrando argumentum eſt) integrique fœtûs rudimenta, in carnoſis Molis haud ratò eſſe obſervata, Anatomicorum docent teſtimonia, tum præcipuè Cl. KERKRINGII, qui infantem molâ circumdatum obſervavit. Quod verò in fœcundæ hæ fuerint Ideæ, defectu Calidi innati Motoris fœcundantis factum eſt.

Maſculinum verò ſemen, præterquam quod omnium ſui ſexûs organorum Ideam complectatur, *motorem continet ſpiritum (Calidumve innatum) multo robuſtiorem, quàm fœminæ; cujus ratione mulieres frigidioris temperamenti, mares calidioris dicuntur.* Idem ſpiritus motor,

tor, Cervum circa finem Septembr. in Venerem ruentem, adeò robuſtum reddit, & audacem ferè, ut aliàs timidior, non canes ſaltem, ſed & homines adoriatur. Ejusdem, unico ſaltem coitu, facta jactura, generoſiſſimum etiam Caballum adeò debilitat, ut largiori quoque cibo, vix amiſſas vires recipiat.

Ejus diſpendio Eunuchi maſculam vocem & naturam exuunt, & fœmininam induunt. *Hic inquam ſpiritus eſt, hoc Calidum, hic motor & explicator inertium alioquin & mortuarum Idearum.* Qui niſi ovum fœmininum fœcundarit, molæ potiùs & ova ſubventanea, quàm animalia naſcentur. Hujus ergò fœcundatoris, Calidi, in muliebri ſexu penuria fit, ut ova fœminina absque maſculino ſemine nunquam perfectum fœtum edere poſſint.

Cùm verò *maſculinum ſemen* tantâ Calidi hujus innati copiâ turgeat, ac præter id ipſum, *integri hominis Ideam maſculinam revera complectatur*, quî fit quòd mares non poſſint intra ſe generare, ſed ejaculatio ſeminis requiratur in uterum? aut quare nunquam, vel minimum formati fœtûs veſtigium, in vaſis ſeminalibus maſculinis inventum ſit, prout quandoque in Tubis Fallopianis extra uterum obſervatum? Cujus ratio præter loci anguſtias, explicandis ad juſtos ſibi terminos Ideis, nimis arctas, hæc potiſſima eſt; *quòd ideæ ſeminis Maſculini confuſæ ſint, neque eum intra ſe ordinem obſervent, quem Ideæ fœminini ſeminis*: Idque ob liquiditatem & fluiditatem, quâ nullum certum ordinem ſervare poſſunt; ſed hinc inde inter ſe fluctuant. Quod metuendum in *fœminino ſemine* non eſt. Hoc ſi quidem, *quamvis & ipſum humidum ſit, veſiculâ tamen ſeu teſtis ovorum ita munitum eſt*; ut quem in illo ſeminales Ideæ, naturalem ſitum nactæ ſunt; hunc retinere poſſint. Quare hæ Ideæ fœminini ſeminis, ovo ſuo incluſæ, ſe habent regulæ inſtar ad Ideas ſeminis maſculini, cujus beneficio, quæ confuſæ ibi omninò erant ideæ, in ordinem rediguntur, ut Ideæ capitis, diverſum ſortiantur locum, ab illo, ubi crurum Ideæ poni debebant.

Quæ quod ita ſint, & monſtra docent, nefandâ certè & Diabolica Venere è maſculini ſeminis humani & fœminini bruti cujusdam conjunctione,

ctione, nata. Quorum membra, etsi propter diversæ speciei Ideas commixtas, utriusque animalis corporis, mixtas signaturas possideant; ita tamen conjuncta sunt, ut quæ in masculino humano semine caput formare vel brachium debebant Ideæ, ad easdem in fœminino semine Caput vel brachium forturas applicitæ sint. Ita monstrum illud *Bitterfeldianum*, cujus in antecedentibus mentio facta est, oculos, aures & nares habebat hominis; rictus verò & pectus erant Vituli, anteriores pedes humani; posteriores Vituli. Nec facilè quis unquam viderit monstrum, specierum mixtione productum, cujus Ideæ Capitis fuerint conjunctæ cum ideis pedum alterius speciei & contra. *Masculinum itaque semen cùm ad seminis fœminini ideas tanquam normam applicetur, & hoc ipso in ordinem redigatur, facilè patet; quare solùm ad fœtus productionem inutile sit*: spiritus verò ille motor s. Calidum innatum seminis, explicare quidem potest Ideas ordinatas; confusas verò in ordinem redigere potis non est.

Atque hîc non satis possum mirari *Paracelsi* & audaciam & impietatem, *quod spermata maris & fœminæ, phiolæ indita, fimoque imposita, homunculum productura doceat*, menstruo sanguine usque dum perfectus sit, nutriendum. Ausim namque hoc dicere; *Paracelsum* talem homunculum naturaliter productum, nunquam nec feciſſe nec vidisse; quòd verum ignoraverit semen fœmininum, liquorem illum serosum (cujus jam facta mentio) falso cum sui temporis Philosophis, pro semine habens, *adeoque verum Fœmininum semen cum Masculino, nunquam conjungere potuerit.*

Et ponamus, conjunxisse illum vera & genuina semina, Motorem tamen spiritum s. *calidi innati* particulas, Ideas seminales explicantes, ita incarcerare non potuit, quin subjectum suum desererent, adeoque semina omnino infæcunda redderentur. Quid verò hujus fœtus, menstruo sanguine, nutritione ineptius? An verò extravasatus, adeoque ad putredinem proclivis sanguis, nutriendo & non potius exstinguendo fœtui aptus erit? Anne exsiccabitur sanguis colore fimi equini? *Sed fabulæ sunt & quidem impiæ & absurdæ*, præsertim cùm hosce homunculos omnia scire docet, quæ alii homines ignorant.

ignorant. Cùm enim arte vitam & corpus acceperint, artem & ſcientias ipſas illi connatas eſſe abitratur, in quibus refutandis, non eſt, ut bonas horas malè collocemus, cùm nemo non rem falſiſſimam manibus palpet. Atque adeò (ut revertamur unde digreſſi ſumus) ad hominis generationem, humanarum idearum, ab omnibus partibus decerptarum, utriusque ſexus, intra cancellos uterinos conjunctio requiritur.

Quibus præſuppoſitis, videamus nunc paucis ; *quomodo conjunctarum harum Idearum in utero Explicatio fiat & nutritio.* Hoc verò fit unice à Calido illo innato ſ. cunctis fœcundis ſeminibus connato (de quo deinde pluribus) Quàm primum enim hæc ſeminalium Idearum conjunctio facta eſt ; externus *uteri calor, innatum ſeminum calidum excitat* : hoc excitatum, ſingulis particularibus Ideis alimentum apponit. Quibus alimenti particulis, quæ aliàs in corporeæ, videbantur, & viſum fugiebant, Ideæ, corpoream molem ſeu trinam dimenſionem nanciſcuntur ; *adeoque tùm ſtatim ipſa fœtus integri rudimenta conſpiciuntur, etiam in quatuor dierum fœtu.* Cujus exemplum narrat *Cl. Kerkringius*, de muliere, quarto poſt coitum die extincta. In cujus aperto utero, rotunda invenda eſt moles (ovum) magnitudine eâ, quæ eſt ceraſi acidi majoris ; quâ apertâ compertum eſt, Naturam (*calidum illud innatum*) fœtus humani ideam ac ſignaturam, tantillo quoque temporis ſpatio ita effinxiſſe ; ut Caput clarè à corporis mole diſtinctum, in capite per nebulam quaſi annotata organorum puncta conſpici poſſent, corporis autem reliqui rudis adhuc indigeſtaque eſſet moles.

Atque *hæc alimentorum appoſitio, uno nomine Nutritio dicitur*, quæ à primo formationis momento incipit, hominemque ſanum etiam extra uterum comitatur. Idem enim innatum calidum eſt, quod hominem tam in utero quàm extra uterum nutrit: eædem Ideæ ſunt quæ extra uterum hominem formant, quàm quæ in utero. *Quænam verò particulæ ſint nutriendis fœtûs partibus apponendæ immediatæ, ſanguineæ aut lacteæ* (quod aliquibus magis probabile videtur) quisque ſuo judicio decernat ; *fundamentaliter tamen aqueas eſſe* in ſubſecuturis demonſtrabitur.

De quo nutrimento fœtus, hoc ſingulariter notandum; quòd ad nutritionem planè ineptum ſit, ſi vel minimum manifeſti acidi veſtigium in illo deprehenſum fuerit; adeò ut ſtatim abortus fieri debeat. Cùm enim nutritio corporis noſtri fiat à Calido innato (quòd ipſum occultâ quadam aciditate præditum eſſe in ſubſecuturis demonſtrabitur) aciditate ſua occulta adductum alimentum coagulante, in ſubſtantiam pro Idearum diverſitate variam, *ſit*; *ut alimento, potentiori acido ſcatente advecto, ab hoc coaguletur & ſuffocetur.* Quemadmodum contingit grano hordei aperto igni injecto: quamvis enim granum hocce, particulam quandam innati calidi poſſideat, ſuffocatur tamen omninò hoc & moritur, potentiori manifeſti Ignis acido ſuperveniente. *Quare quotidiè videmus; has, impuro acidoque ſcorbutico ſale refertum ſanguinem habent, concipere quidem; conceptum tamen fœtum, manifeſtâ potentiorique alimenti aciditate, illicò ſuffocâri.* Quemadmodum *qui hecticâ febri laborant*, non nutriuntur ſed contabeſcunt, quòd ſingularum partium *calidum innatum*, nutritionis inſtrumentum, *à manifeſta quadam ſanguinis aciditate*, ſuppreſſum fuerit.

Atque hæc ratio eſſe videtur, quare Jud. XIII, 3. 4. uxorem *Manuah*, tum futuram *Samſonis* matrem, alioquin ſterilem, ſeqq. verbis à vini potu dehortatus fuerit Angelus Domini. *Sterilis es & absque liberis; ſed concipies & paries filium: Cavè ergò ne bibas vinum nec immundum quicquam comedas.* Vini namque aciditas (in antecedentibus ſatis jam demonſtrata) aciditate ſua alimentum fœtus corrumpit, ut acidius redditum Idearum explicans nutriensvè Calidum, omninò ſuffocet, adeoque abortus accidat. *Probatur hoc iis medicamentis, quæ abortum præcavent, ut matr. perlar. Corall. rubr.* Quæ abortus cauſæ, ſterilitatis item, ex ovi ductuum obſtipatione, aliisque cauſis profectæ, pluribus hîc explicari poſſent, niſi prolixum nimis futurum eſſet.

Hoc unicum ſaltem de nutritione hominis, extra uterum jam conſtituti, probè notandum eſt; *quod nulla ibi opus ſit facultate ſpecifica Attractrice, Retentrice aut Expultrice alimentorum, ſed totum nutritionis negotium ab innato partibus Calido dependeat.* Idem Calidum

dum eſt ; quod coquit in muſculis brachii quàm quod in pedibus: nec differt calidum Hepatis à calido Lienis, &c. Coctio verò & alimentorum appoſitio fit ; ratione coagulantis , Calidi innati, aciditatis (cujus rei veritas è ſubſecuturis Sole clariùs patebit) quæ, alimentum indifferens cæteroquin, ad varias ac diverſas partes nutriendas, mutat in ſubſtatiam certè partis, pro Idearum diverſitate. Quare rectè dicebat HIPPOCRATES , *quemlibet muſculum ſuum habere ventriculum.* Quemadmodum enim , in ventriculo cunctorum animalium, v. g. hominis *Calidum* quoddam reperitur *ſ. Acidum manifeſtum fermentum*; quò ritè conſtituto, appetitus naturaliter viget; deſtructô ſeu debilitatô appetitus petit, quod vulgus tum ventriculi frigiditati (Not. propter Acidi fermenti defectum) tribuit : Quod item calidum, ſemine jam proprio inſtructum, varia diverſæ naturæ alimenta, carnes varias, piſces, (& in canibus ipſa oſſa) ita coquit, ut in hujus animalis, hominis, non alius ſubſtantiam convertantur : Ita quilibet Muſculus, ſuo quoque ventriculo fermentum continet, quô ſanguini ad certum quidem animal nutriendum jam determinato; ad diverſas tamen animalis partes hactenus indifferenti, ſpecificum ſigillum ac Idea partis imprimitur, ut non poſſit aliam niſi hanc nutrire partem.

Sanguis igitur ad os advectus, oſſeam duritiem ac figuram capit à calore loci ; quemadmodum in Canibus idem Os in ſanguinem redit. Si idem pervenerit ad Hepar , Lienem, &c. utrobique in talem ſubſtantiam convertitur, quæ eſt Idea loci, unius tamen innati calidi beneficio. Atque hæc alimentorum appoſitio ſ. Nutritio provehit gradatim hominem, Ideas extendendo, ut definitam magnitudinem aſſequatur.

Habent enim non animalia tantùm, ſed vegetabilia etiam *certas quantitatis ſuæ, & magnitudinis leges*, quas naturaliter non impedita attingunt, neque transgrediuntur. Cujus ratio, etſi difficulter demonſtrari poſſe videatur, probabilis tamen admodum apparet illa Excell. M. *Marci, è virtute ſpeciei ſeu Idearum* quæ eſt peita ratio ; ita ut unicuique tanta moles convenire dicatur, quanta virtute con-

tinetur in confusa specie, ad quam sensim evoluta, ubi metam attigit perfectæ evolutionis, ulterius nequeat evolvi. Cùm enim species evolutione sua incrementum fœtui det primum, dabit & finem. Et cùm eadem det figuram, dabit & certam magnitudinem (sine qua non est figura) pro sua qua evolvi potest virtute. Deus quoque omnia fecit numero & mensura.

Ab hac tamen determinata mensura & perfectione humani corporis, interdum deficit magnitudo, servatâ specie humana, & *Pumiliones*, aut *Pygmæi* dicuntur? aut illam transgreditur & excedit, & *Gigantes* salutantur.

Pygmæos quidem reverà existere, recentiorum æquè ac Veterum relationes docent, *Causa* verò justâ *minoris magnitudinis* nulla est alia, quàm *speciei evolutio impedita*, ut debitam mensuram assequi non valeat. Quod quidem duplici ratione contingere posse, autumat magni ingenii *Marcus Marci*; vel ratione *nutrimenti*, vel ratione *speciei*. *Ratione nutrimenti*, cùm impurum est, & v.g. manifestâ quadam peregrina & hostili aciditate depravatum. Tum enim ab hoc innatum, illud cunctarum partium *Calidum*, *Acidumque*, quod Ideam hominis, speciemque universalem, ad justam mensuram explicare debebat & evolvere, ab actione impeditur & feriari cogitur. Quemadmodum enim in utero materno, primis fœtûs apparentibus, signaturis, nutrimento vitiô, evolutionis Organum *innatum Calidum* omninò ita suffocari potest & supprimi, ut tota hominis Idea simul deleatur, *& abortus fiat*; aut si certam saltem fœtûs partem afficiat, affecta partis Idea deleatur, ut mutilus prodeat fœtus; quidni à simili alimenti vitio, in homine jam extra uterum constituto, Idearum explicator, simulque ipsa Idea ita impediri possint, ut progredi amplius non liceat.

Ratione speciei verò incrementum impediri potest, *quando Idea imaginationi impressa*, miscetur cum virtute fœtûs formativa, cumque ea ita coalescit, ut determinet illam, non ratione figuræ saltem, sed molis etiam ita ut, quæ ad majorem evolutionem apta erat Idea, propter arctam cum Imaginativa colligationem, infra justos

magni-

magnitudinis terminos ſubſiſtere cogatur, hâc evoluta. Quæ ſpecies, ſi in uno ſaltem ſubjecto radices egerit, in poſteros quoque propagatur, & *Pygmæi Pygmæos generant*, donec ab alia ſpecie ſuperveniente, prior hæc extinguatur.

Quemadmodum igitur à ſpecie infra juſtos evolutionis terminos ſubſiſtente, Pygmæorum ratio deſumpta; ita ab eadem quoque ultra definitas metas evoluta, *Gigantum* ratio petenda videtur. Qui, *an dentur*, ipſa ſcriptura ſacra, nos dubitare non ſinit.

Quomodo verò Idea matris imaginatione concepta, fœtui communicari poſſit, digna res quæ conſideretur. Præter animam rationalem, à ſolo Deo creatam, hominique infuſam, aliam habemus, *animantium brutorum animæ ſimilem*, cum ſemine paterno fœtui per traducem impreſſam, quæ per ſe una eſt: numerum tamen è ſubjectorum pluralitate mutuatur (quæ certè nulla alia eſſe videtur, quàm Ignis ille ſ. Calidum nobis connatum) Cùm igitur ex antecedentibus pateat, utrumque ſexum, prolificum ſemen ad fœtum formandum concedere (quæ ſemina propter *calidum* ſuum *innatum*, *motorem*, *animam*, maris præcipuè, fœcunda eſſe monſtravi) animarum mutua fit conjunctio in unam, ita ut binarius animarum ceſſet numerus; quemadmodum, tribus vel quatuor lignis ſeparatim accenſis, per accidens Igni numerus tribuitur, qui lignis counitis, ad ſuam ſibi propriam unitatem redit.

Neque hæ ſeminum animæ, inter ſe ſaltem, in unam coaleſcunt, ſed cum anima matris etiam. Quanquam enim, *ſemina per ſe, calido quodam innato, motore & anima, inſtructa ſint*; nunquam tamen hoc ipſum quicquam operabitur, niſi uteri materni calidum, tum etiam nutrimenti fœtûs acceſſerit, à quo excitetur: *unde fit ut in unam veluti animam coaleſcant & mater & fœtus.* Atque inde eſt, quòd inſeparabiles ſint affectus utriuſque; atque adeò, ipſi actus imaginationis, omnesque motiones appetitus ſenſitivi, non fœtui minùs quàm matri inſint. Quibus non parva lux accedit ex antecedentibus, quando demonſtravimus, ſingulas particulares fœtus Ideas, decerptas quaſi particulas eſſe Idearum parentis utriuſque.

Unde facillimè ratio colligitur, quare determinatâ matris parte affectâ, reſpondens huic fœtûs pars, non verò alia afficiatur.

Atque huic imaginativæ Ideæ, ſemini impreſſæ, quantum *virium* tribuendum ſit, quotidie obſervamus. *Huic enim ſoli tribuendum eſt, quòd integras ſæpè nationes ſolo adſpectu à ſe invicem diſcernere valeamus: Italos nempe à Gallis, hos ab Hiſpanis, atque hos ab Hebræis.* Cùm enim ſingularum nationum prægnantes mulieres, quotidie nonniſi propriæ gentis, viros intueantur, horumque ſpeciem fortius hauſtam ſibi imaginentur; fœtus enituntur omninò ſimiles. *Ita Chriſtianos non eſt difficile à Judæis diſcernere.* Quod ſi verò Chriſtiana mulier uterum gerens, toto geſtationis tempore à Chriſtianorum adſpectu arceatur, ut neminem niſi Judæum conſpexerit, affirmare auſim, hâc imaginationis vi, fœtum proditurum, Judæo magis quàm Chriſtiano ſimilem. Quod idem contingeret candidiſſimæ etiam mulieri gravidæ, inter Æthiopes viventi.

Durat verò hæc Imaginativa Idea, uſque dum ſuperveniens alia potentior, illam ſuffocet. Cujus rei non poſſum non notatu dignum afferre exemplum, quod non ita pridem alicubi contigiſſe, ab amico fide digno, mihi communicatum. *Videbat fœmina quædam prægnans* primaria, *Æthiopem* inopinatò accedentem, & exhorreſcebat tàm inexpectatô acceſſu, ut animi ferè deliquium pateretur. Ex adſtantibus unus, quòd inſignem imaginationis vim probè perſpectam haberet, prudenter metuebat, ne fœtus aliquando edendus, nigrâ cute veſtitus prodiret: author itaque erat adſtantibus, ut lavarent fœminam totam, ſi forte impreſſa fœtui Idea, ſuperveniente aliâ deleri poſſet. Lavatur fœmina, ſecuraque redditur, nullum jam, poſt lotionem nigrorem, in fœtu obſervatum iri. Peracto geſtationis tempore, fœtum enixa eſt candidum quidem, aſt nihilominus aliquot in locis, impreſſi ſibi nigroris veſtigia oſtendentem. Obſervabantur enim omnia adhuc loca nigredine imbuta, quo diligens lavantis manus non pertigerat; interſtitia nempe digitorum, manuum æquè ac pedum, Inguinis, ac præter hæc, unus in dorſo locus, cæteræ partes omnes, omni nævo liberæ videbantur.

Hujus

Hujus itaque Æthiopis à prægnante fortiter concepta nigroris Idea, fœtui jam revera impreſſa erat; neque illum deſeruiſſet, niſi lotione iſta fœditatem certò ablui, fortiter apud ſe concepiſſet mater, adeòque iſta prior ab hac poſteriori ſuppreſſa fuiſſet; quod nigroris veſtigia docebant.

Neque hanc imaginativæ Ideæ vim, ignorant mulierculæ prægnantes ipſæ. Hinc à fœdarum rerum adſpectu, meritò oculos non tantùm & animum avertunt, ne ſpeciem illarum fortiori contemplatione & imaginatione conceptam, fœtui imprimant; *ſed & in ea quæ pulchra ſunt oculorum aciem ſæpiùs dirigunt, ut concepta pulchritudo in fœtum derivetur*: quare intuentur ſæpius aliarum pulchros infantes, conceptamque hanc Ideam tanquam ſigillum quoddam proprio fœtui imprimunt, non fruſtraneo eventu.

Actus verò imaginationis, motionesque appetitus ſenſitivi, & matri & fœtui imprimi, pulcherrimo exemplo ſuo demonſtravit *Patriarcha Jacob*; qui in fraudem ſoceri ſui *Laban, bacillos modò concolores, modò variegatos, ovium conſpectui opponendo, agnos impetrabat ejuſdem cum bacillis coloris.* Quem imitantur hodie illi, qui in magnorum Principum aulis equorum curam habent; qui ut equos adipiſcantur, elegantibus quibuſdam maculis, pilisque exoptati coloris ornatos, depictos, tali ratione equos, coëuntibus equarum oculis opponunt, & quæ hauſta imaginatione ac concepta ab equa idea eſt, fœtui quoque imprimitur, pullusque naſcitur optatis maculis coloribusque imbutus.

Quare cum tanta ſit in fœtus formatione Idearum conceptarum vis, quidni majoris cujuſdam Gigantis conceptæ Ideæ, ſeminique impreſſæ, aliquid tribuendum virium, eſſet. Cùm præterea conſtet, *tantam quoque imaginationis vim eſſe; ut non colores tantum varios fœtui imprimere poſſit; ſed monſtroſas quoque ac à ſpecie omninò diſſimiles alienasque figuras ſ. Ideas inducere.* Cujus quamvis aperta ſint apud varios auctores teſtimonia, notatu tamen digna admodum ſunt, *quæ recenſet M.M. de fœmina gravida*, inſigni deſiderio agreſtis pomi affecta: cujus cùm à marito aſſidente, illudque tanquam noxium

noxium reprobante, comeſtio interdiceretur, in mœrorem incidit inſignem, ut à continua & forti deſiderati pomi meditatione, nec ſibi temperare, nec ab aliis ſelectiſſima etiam poma offerentibus, revocari poſſet. Hæc demum enixa fœtum eſt, è cujus mala, pendebat pomum proprio petiolo adhærens, cùm creſcente fœtu incrementum ſumens, figurâ, colore, *pomum exactè referens.*

Alia mercenaria mulier gravida, accumbens menſæ, avidius comedebat de capite carpionis piſcis: accedens coqua, quòd hanc partem ſibi deſtinârat, graviter increpat fœminam, ut pudore ſuffuſa in patinam rejiceret ambeſum piſcem. Et quamvis ab adſtantibus, fœminam uterum gerere cogitantibus, ad caput carpionis comedendum, poſteà invitaretur; pudor tamen dolorisque acerbitas, ipſam de menſa ſurgere fecerunt; ſurrexit ergò incœnata, continuas lacrymas fundens, *cubitoque capiti admoto*, (*uti mœſti ſolent*) *nil niſi piſcem illum meditabatur*, in feliciſſimo certè eventu. Peperit namque infantem, cujus caput non prorſus humanum, ſed ex dimidio piſcem referebat: illâ parte, *quæ cubito matre innitente fuerat compreſſa*, ita ut ipſum quoque os in duo ſemiora, inque partes humano ori & quale carpioni eſt, aſſimiles, divideretur: quin & color Cyaneus, & ſquamarum ſimilitudo eidem ineſſent. *Tanta vis eſt conceptarum Idearum, quidni in magnitudine quoque determinanda?* Et hæc de *vi Imaginationis* obiter dicta ſufficiant.

Progrediamur ad alia, & quidem ad Fœtus pluralitatem explicandam. Cùm enim ad numeroſam prolem concipiendam, unicus ſæpè maris cum fœmina congreſſus ſufficiat, non immeritò *quæritur, quænam hujus pluralitatis Cauſa ſit?* An in maſculino ſemine, jam diſtinctæ reverà ſint plurium fœtuum Ideæ: *an verò, quod ad unicum fœtum generandum aliàs determinatum videbatur, ita in utero ab extrinſeco quodam dividatur, ut pluribus ſufficere poſſit:* quod quidem poſterius, verò ſimilius videtur. Neque tamen ex ſeptenis in uteri cavitate loculis diſcretis, fœtus pluralitatis ratio petenda eſt, ut totidem fœtus, non plures fæminam concipere poſſe, credendum ſit, cùm tales loculi nullibi reperiantur. Ingenioſiſſ. M. *Marci* plurimum hîc *radiorum Idealium*, propter materiæ inæqualitatem, *refractioni* tribuit; quæ

ſenten-

ſententia ejus c. 4. pluribus legi poterit. Exiſtimat verò V. Cl. Si duo ſemini inſint corda (quacunque ratione habeat) binos inde fœtûs prodituros. *Cum enim cor ſit Centrum evolutionis, quot corda tot evolutionis centra; adeoque neceſſariò, quoque plures fœtus inde expectandos eſſe autumat.* Quæ ſententia quamvis ſubtiliter excogitata videatur; vereor tamen, ne cum modernorum Anatomicorum inventis conſiſtere queat, quibus conſtat; ad viviparorum æquè ac oviparorum generationem, ovum concurrere, fœminini ſeminis, ad unicum fœtum ſui ſexus determinati habitaculum, quod à virilis ſeminis *innato calido* fœcundetur, ſ. Ideæ ſeminis fœminini torpeſcentes aliàs, ad motum excitentur ac explicentur, ut in antecedentibus jam ſatis ut opinor demonſtratum eſt.

Quare his præſuppoſitis, aliorum ſalvis ſententiis, pluralitatem fœtus ex ovorum, à maſculino ſemine fœcundandorum, loculisque ſuis excluſorum, & per tubos uterinos in ſe ipſum uterum, delatorum pluralitate dependere, exiſtimamus: ita ut tot concipiantur fœtus, quot ova fœcundata delapſa fuerint. Cùm itaque in ovariis muliebribus, ingens ſatis ovorum numerus contineatur, fieri poteſt naturaliter, ut non ſeptem ſaltem fœtus, uno tempore in utero materno concipiantur, ſed plures etiam. Ita de *Comitiſſa* quadam refertur, quòd unico partu trecentorum & ſexaginta infantum mater exſtiterit; non alia ratione, quàm quòd totidem ova, à maſculino ſemine fœcundata fuerint; quod etſi rariſſimum ſit, ſecundùm cauſas tamen naturales, quin fieri potuerit, nullum eſt dubium.

Aſt verò, quamvis plura ova concurrant, quomodo maſculinum ſemen pluribus ovis fœcundandis ſufficere poſſit, non incommodè dubitatur. Cùm enim in illo integram ideam ac ſignaturam fœtûs proprii ſexus, contineri dixerimus, quomodo hæc unica idea ita dividi potetit, ut plures inde fœtus oriantur? *Hoc verò facillimum vadet, ſi duo hîc præcipuè conſiderentur.* *Primò* quidem quòd Maſculinum ſemen, propter ſuam liquiditatem aliàs confuſum, cum fœminino ſemine conjunctum, in ordinem reducatur, uti in antecedentibus explicatum eſt. *Deinde*, quòd *ſemen maſculinum*, licet propriè trinam dimenſionnm non habeat, ita tamen *diviſibile*

ſit, ut quæ particularis cæteroquin v. g. Capitis Idea, caput formare debebat, diviſa, pluribus capitibus formandis idonea ſit: & ita in reliquis quoque particularibus Ideis, adeoque univerſalis illa hominis Idea diviſa, plures fœtus formare poſſit: præcipuè cùm conſtet, minimam ſaltem ſui corporis particulam eſſe, cui vis formandi tribuenda ſit.

Quare in plurium ovorum fœcundatione, ita res ſe habet; ut ſingulis Ideis fœminini ſeminis, convenientes maſculini ſeminis applicentur, adeoque maſculinum ſemen, alioquin unum, propter ovorum pluralitatem multiplex fiat & numeroſum. *Manifeſtiſſimum hujus rei exemplum videmus in ſemine Galli. Gallus enim ſi ſemel ſaltem gallinam compreſſerit, plura ejus ova fœcunda reddit, adeò ut integrum ſæpè annum fœcunda ova pariat, diverſi ſexûs*: quod fieri non poſſet, niſi galli ſemen in tot divideretur particulas, quot ova, & exinde pulli naſcerentur. Atque hæc breviter de fœtûs pluralitatis cauſis dicta ſufficiant.

Quàm antequam deſeramus doctrinam, *paucis quoque pluralitatem partium, in fœtu præter naturam nonnunquam obſervatam, conſideremus*. Contingit enim quandoque, fœtum eſſe natum bicipitem, quatuorve brachiis, ac totidem pedibus inſtructum. *Cujus cauſam* etſi ſæpè laudatus M. M. itidem radiorum Idealium refractioni tribuat, pace tamen tanti viri, fieri poſſe exiſtimo, ut & alia hujus rei ratio ſubſit. *Quare breviſſimè ſequenti modo hancce rem ſe habere arbitror*: In conceptione fœtûs maſculinum ſemen, confuſum alioquin à fœminino ſemine tanquam regula in ordinem reduci jam ſuperiùs dictum eſt, ita ut Idea Capitis ſeminis maſculini, applicetur Ideæ capitis fœminini ſeminis, brachia brachiis, crura pedesque, cruribus pedibusque. *Quod ſi ergò contigerit, Ideam v. g. capitis, maſculini ſeminis, non ritè appplicari Ideæ capitis fœminini ſeminis, aut in partem aliquam dextram vel ſiniſtram declinare, fit; ut bina capita humeris extantia cernamus*; aut amborum ſeminum Ideis cruralibus, haud juſto ſibi invicem applicatis, quaterna crura prodeant. *Ita* enim quæ conjunctæ particulares Ideæ unicam ſaltem partem formare debuiſſent, nunc diviſæ, ſingulæ explicantur, numerusque partium præter

naturam

naturam augetur ; quale quidem non in homine ſaltem, ſed brutis quoque obſervatur. *Ita non ita pridem hîc Hamburgi equus oſtendebatur, octo pedibus inſtructus, cujus præter jam dictam, nulla videtur ratio eſſe alia.*

Hæc de numero partium fœtus aucto: *quid de imminuto dicemus?* Neque enim rariùs contingit deficere interdum partem, quam eandem excedere. Quod itidem hîc loci, ante paucos dies videre licuit. *Adoleſcens nempe erat Gallus, utroque brachio à nativitate deſtitutus, pedibus tamen omnia illa obiens munia, quæ manuum miniſterio naturaliter fieri ſolent.* Cujus defectus, quæ ſint Cauſæ, paucis expediet explicare. Magnam quidem imaginationis, conceptarumque Idearum vimeſſe, in antecedentibus demonſtratum eſt; quibus iisdem quoque, in partium defectu non parvam efficaciam tribuendam eſſe exiſtimamus; ita ut ſi fœmina uterum gerens viderit, fortiterque conceperit objectum hominem aliqua parte mutilum, Ideæ conceptæ partis mutilatæ, in fœtu quoque deleatur: nihilominus tamen præter hanc, potiores cauſæ aliæ ſunt, è quibus hæc res commodius explicari poſſit.

Cùm enim Ideæ fœtus non aliter explicentur, quàm ſi beneficio *Calidi* ejus *innati*, *motoris* ac *coagulatoris*, advectæ alimentorum particulæ, iisdem apponantur, atque trinam dimenſionem largiantur. Contingere poteſt, ut alimentum, ad certam partem non deferatur, adeoque Idea illius partis, propter alimenti defectum non explicetur, ſed emarceſcat. *Vel etiam alimenti vitio, tale quid accidere poteſt.* Quemadmodum enim manifeſto acore imbutum alimentum, integram humani corporis formandi Ideam omninò extinguere potis eſt, unde abortûs cauſam in antecedentibus *derivavimus.* Ita fieri poteſt, ut particulæ quædam nutrimenti vel ex ſe, vel loci ſeu uteri ratione impuræ, acidæ atque ad nutritionem ineptæ, tenelli fœtûs certam partem afficiant, Ideam ejus nec dum plenè efformatam ſuffocent, *ſuppreſſo* ejus *explicatore*; *unde deleta idea, ſuffocatoque motore, neceſſariò parti moriendum eſt.* Quæ, an revera eo ut dixi modo, ſe habere poſſint; tuo L. B. judicio ac arbitrio, uti omnia, committo.

Quare ab his tandem ad aliam properemus quæſtionem, & quidem ad *Cauſas differentiæ ſexus* cujus paucis hæc reddi ratio poteſt ac demonſtratio. Ad fœtus generationem, utriusque ſexus ſemina ſ. Ideas concurrere, in antecedentibus demonſtravimus; modum item conjunctionis ac explicationis addidimus; quibus præſuppoſitis concludendum videtur; *ſexûs diverſitatem à prævalentibus Ideis ortum habere*, ita ut, ſi maſculini ſpermatis forma potentior fuerit, fœminium ſemen ſubjugetur, & fœtus maſculinus inde naſcatur: & *contra Fœminino ſemine, maſculinum ſubjugante, fœmina proles generetur.* Quod ſi verò contigerit, utriusque ſeminis parem eſſe potentiam, fœtus formetur ab utroque ſexu participans. *Quemadmodum quotidie hoc videmus, quomodo debilior forma à potentiori ſubjugetur.* Ovilla caro propriam ſuam poſſidet formam, quâ à cæteris carnibus omnibus realiter diſtinguitur; *comeſta tamen à lupo in hujus carnem transmutatur, adeoque propter formam potentiorem ſupervenientem ovilla caro eſſe deſinit.* Pari modo, ſi eadem ovilla caro comedatur ab homine, cujus potentior forma debiliorem ovillæ carnis formam ſubjugabit, inque ſuam humanam naturam eandem trahet; quod ipſum ſupra jam explicatum eſt.

Atque hæc, de Animalium ac præcipuè hominis ſemine ſeu Ideis, harumque in utero explicatione & nutritione dicta ſufficiant. Progrediendum nunc eſſet ad ſemina vegetabilium demonſtranda, niſi unicum adhuc circa animalia reliquum eſſet, quod non facilè, ſicco (ut dicitur) pede, prætereundem cenſeam. *Cum* enim cuncta animalia, eâ lege hanc mundi ſcenam intrent ut eadem aliquando exeant, ſ. morti ſuccumbant, cui cuncta viventium individua obnoxia ſunt, breviſſimè ſaltem lubet conſiderare, *quisnam ſit ſeminalium Idearum in morte ſtatus*, præcipuè cùm viventium generationes ex illarum evolutione jam repetierimus.

Quemadmodum verò ex antecedentibus patet, ſeminales Ideas, per ſe, ſuâq; ſponte nunquam iri explicatum, niſi motor quidem acceſſerit, torpentes illas alioquin, ac omnino ſteriles excitans & fœcun-

fæcundans, qui idem nutrimentum iis apponat per omnem vitam, vitamque ipſam ſeu motum (*neque enim aliter, niſi motu, viventes à mortuis diſcernimus*) largiatur, quem *Calidum innatum* nominavimus. Ita obſcurum ex iisdem eſſe non poteſt, quâ ratione mors ſ. interitus viventibus contingat. *Oppreſſô nempe*, à cauſa morbifica, *Calido* illo *innato*, *primò in Corde*; *ſecundò in ſanguine muſculorumque ventriculis habitante motore*, ac principe omnium actionum animalium; neceſſe eſt, ipſas actiones omnes ceſſare, adeòque animal mori. Cujus exemplum in antecedentibus jam attulimus ex Cauſis *abortus*, qui certè nihil n.ſi fœtûs mors eſt.

Diximus verò eundem potiſſimùm accidere, quando nutrimentum fœtus impurum exſtiterit, hoſtilique quodam fermento manifeſtoque imbutum. Quod quia manifeſtum, potentiùs; debilius, ſeminalium fœtus nondum planè formati, Idearum Calidum nativum ſupprimit & figit, adeoque actionibus abolitis ipſe fœtus moritur. *Atque eâdem hâc, neque ulla alia ratione, omnia quæ vitam habent, emori demonſtratu facillimum eſſet, ſi integram hîc Pathologiam afferre liceret, & oſtendere, quomodo in ſingulis morbis, Calido noſtro & motori innato, à Cauſa morbifica, ſuffocationis periculum immineat, & mors*; neque præterea hæcce aliis quandoque curis, ſi Deo ita viſum fuerit, ſervaremus.

Cùm adeoque, *Calidô innato idearum ſuppreſſo, animal moriatur*, quid de ipſis Ideis dicendum eſt, *an illæ conſervantur adhuc in cadavere, an verò omninò delentur, & in nihilum rediguntur?* Quod certè nullo modo dicendum videtur. Quamvis enim fœcunditatem omnem amiſerint, & ſteriles factæ dici poſſint, non tamen ideò omninò deſtructæ ſunt. Quod certè infallibilia in cadavere exiſtentia veſtigia loquuntur.

Serpentes in minima etiam fruſtula conciſi ac putrefacti, ut nullum amplius vitæ veſtigium adſit, Solis calore in novos ſerpentes abeunt. An vero hîc ſolam licebit accuſare putredinem. Uti plurimi faciunt? *Non certè.* Quomodo enim putredo ſ. mixti reſolutio diverſis animalium ſpeciebus quæ poteſt contingere, quandam ac certam

ſpecificam formam largiri poterit? *nonne deinde effectus nobilior eſſet ſua cauſa?* an vero deſuper infuſa eſt ſerpentis forma materiæ? *aſt quare tum hæc, & non alia infuſa forma eſt?* de quo jam in antecedentibus actum. *Quare veriſſimum erit, ipſas etiam ſerpentum formatrices Ideas, in putrefactis ſerpentibus revera etiam poſt mortem delituiſſe, atque adeò cum vita non deſtructas* eſſe. Solis verò calor, quieſcentibus his Ideis ſpiritum motorem infundit, quem per mortem aliôquin amiſerant, ut denuò nutriri poſſint ac vivere. *Eodem modò Ranæ contritæ, & in lutum reſolutæ, hyberno tempore; æſtivo ſole accedente, reviviſcunt.* Quas quidem è ſolo limo, Solis calore, nullo proprio præexiſtente ſemine aut Ideis, factas formatasque non pauci ex eruditis etiam opinantur, ita ut generationem hanc vocent Æquivocam, quod effectus diſſimilis ſpeciei producatur. *Sed pace aliter ſentientium, nunquam è ſolo limo, Solaris caloris beneficio producta rana eſt.* Quæ enim hæc foret in luto potentia ad ranam, & quidem ad hanc potiùs quàm aliud animal producendum? *Sed ſi quandoque contigerit, in luto ſolaribus radiis incubantibus ranam formari, peculiares ac propriæ, in luto latuerunt Ideæ ranarum formatrices, è contritis ac putrefactis, lutoque commiſtis ranis profectæ.* Quibus probè conſideratis, patet, Ranarum mortuarum Ideas ita non eſſe deſtructas, quin Sole motore reviviſcere poſſint. *Ægyptii* & Inſulæ *Madagaſcar* incolæ locuſtis véſci dicuntur, atque è carnibus ipſorum putrefactis denuò locuſtæ naſci: *at verò unde hoc?* anne ultrò largiendum erit, locuſtarum comeſtarum, atque ab Ideis ſeminalibus humanis, in ſubſtantiam humanæ carnis commutatarum Ideas, ne per tot quidem digeſtiones deletas omninò eſſe; ſed ſub jugo ſeminalium Idearum humanarum integras perſtitiſſe. *Cui non abſimile eſt, illud, quod de anatibus refertur. Hæ cum ſerpentibus ſæpiùs veſcantur, putrefactæ æſtivo tempore in ſerpentes reſolvuntur.* Cujus rei, præter aliorum teſtimonia, teſtem habeo Virum fide dignum oculatum, qui ab illo tempore quo hæc in anatibus fieri obſervavit, ſemper ab illarum carne abhorruit; *adeoque & hoc experimento innoteſcit, Ideas mortuorum animalium non deleri, ſed ſupereſſe adhuc vitâ extinctâ.* *Ardeæ* luciis nutritæ in lucios reſolvuntur;

Carpio-

Carpionibus in carpiones : *Anguillæ non aliter ac ſerpentes*, ad *putrilaginem etiam coctæ, locoque debito repoſitæ in plures alias anguillas abeunt.* Alia *Cancrorum*, aliorumque reſuſcitatorum animantium exempla, paſſim apud autores videri poſſunt.

Quæ cuncta, etſi apertiſſimum teſtimonium præbeant, *Ideas in mortuorum cadaveribus revera ſuperſtites eſſe*; maximè tamen hoc notatu dignum erit, in *defunctorum hominum* etiam *cadaveribus*, *Idearum ſuperſtitum* ſigna obſervari. De *ſanguine humano* in antecedentibus notavimus, quòd in ejus deſtillatione variæ interdum humanarum partium Ideæ viſæ ac obſervatæ ſint. Sed quid dicemus de his, quæ *Borellus* habet, poſſe nempe in phiolis licitâ Necromantia, patrem, avum, atavum, totamque proſapiam, imò antiquos Romanos, Hebræos & quemcunque volueris, umbratili quadam Reſurrectione in lucem revocari, cum propriis figuris, modo eorum cineres oſſaque ſervaris ? *Quæ certè adeò in Naturæ videntur poteſtate radicata eſſe, ut dubio circa hæc nullus locus eſſe poſſit.* Quod ſi enim ſeminales Ideæ animantium brutorum, aliis etiam potentioribus formis ſubjugatæ, ſalvæ perſiſtant, *quidni Ideæ humani corporis, ſolo motore Spiritu deſtitutæ, integræ in Cadavere quoque perſiſterent ?* Et ut dicam prout ſentio, Phantaſmata illa, in Cœmiteriis ſub noctem conſpecta, non ſemper pro *Spectris* Diabolicis, nec etiam Angelorum bonorum apparitionibus habenda videntur, cùm naturaliter quandoque contingere poſſit, Ideas corporis mortui, *beneficio centralis cujuſdam caloris elevari*, quæ non nocturnô ſaltem, ſed diurnô etiam tempore ibidem conſpicerentur, ſi per majorem Solis lucem liceret, quæ eadem & Sydera cœleſtia de die inconſpicua reddit. *Neque tamen & hoc negârim, Diaboli illuſionibus interdum tale quid contingere, ut hominum credulorum ſuperſtitionem augeat, tandemque miſerè decipiat, & in ſuos caſſes pelliciat.* Fieri namque poteſt, permittente Deo, ut Diabolus corporis cæteroquin oculis, quia Spiritus eſt, inviſibilis, demortui corporis ſeminalibus Ideis indutus, certam perſonam, *Samuelem* nempe aliumve referat, cujus ideas induerit.

Quæ, cùm ita ſint, quis non gaudeat, in nobis demortuis etiam, futuræ,

futuræ reſurrectionis luculentiſſima veſtigia reperiri? Non quòd exiſtimem; poſſe tantum ſummi Opificis miraculum, ex ullis cauſis naturalibus perfectè explicari aut perfici: *Abſit hoc.* Sed ut veræ Philoſophiæ naturalis hoſtes liquidò videant, *quantus ac quàm mirabilis hujus cum ſacris ſit conſenſus.* Deinde, *Athei propriis ſenſibus convicti, aliter ac ſolent de futura corporum reſurrectione ſentire diſcant.* Cùm enim hi, Scripturæ ſacræ autoritati, parùm aut nihil ferè tribuant (*quod dolendum ſanè!*) ac prætereà ipſam reſurrectionem, nunquam fieri poſſe arbitrentur: *obmuteſcent profectò, ſi ejus poſſibilitatem ac probabilitatem, è cauſis naturalibus demonſtrabilem oculis ſuis viderint.* Et quidni *poſſibilis* ut *mortuorum reſurrectio*, cùm idem numero ſemen, aut etiam Ideæ formatrices, quæ nos movente calido innato formârant in utero materno, in ipſis etiam de mortuorum cadaveribus reliquæ ſint, quieſcentes jam, quòd motore Spiritu deſtitutæ ſint; quem ſi ab omnipotenti Deo receperint, quidni novam vitam acciperent & è mortuis reſurgerent? Ita enim ipſe Deus apud Prophetam Ezechiel. c. XXVII. *Vaticinare fili hominis, dicens Spiritui; Sic ait Dominus Jehova: A quatuor ventis, adveni Spiritus & perflato interfectos iſtos ut vivant. Et ingreſſus eſt in illos Spiritus, & revixerunt, ſteteruntque ſuper pedes ſuos, copiæ magnæ quam plurium.*

Neque tum nova Idearum ſeminalium, à parva ſtatura ad majorem, evolutione opus erit, prout in utero materno fiebat; ſed evoluta jam integra Idea, *prout mortis tempore erat*, reſuſcitabitur. Atque adeò idem numero, qui cecidit Petrus, reſurget, & quod *Hiob* dicit, eadem numero cutis & caro hæc oſſa circumdabit; hi oculi videbunt Dominum. *Horum namque oculorum, horum oſſium, hujus cutis carnisque Ideæ ſeminales, in demortuorum cineribus latent.* Quare cùm viderimus, demortui hominis corpus Terræ viſceribus mandari, non aliter exiſtimandum eſt, quàm ſi ſemen quoddam Terræ concredatur, cui omnipotens Deus, motorem Spiritum aliquando afflando, fœcunditatem redditurus ſit: ut quemadmodum granum tritici v.g. proprio motore ſ. Calido innato præditum, Solisque Calore excitatum, verno tempore germinare incipit; ita & hoc noviſſimo die è Terra denuò reſurgere poſſit.

Atque

Atque hæc de Ideis in mortuorum corporibus ſuperſtitibus, ſalvis ideis, credo quòd ſufficiant quæ dicta ſunt. Qui plura hujus teſtimonia deſideraverit, facilè hæc inveniet, ſi naturalium rerum hiſtoriam conſulerit; præcipuè vero de *Hirundinibus*, quæ obſervantur, notatu digniſſima ſunt. *Hæ namque, hyberno frigore compulſæ, ad exteras regiones calidiores migrare, ab antiquis noſtris majoribus creditæ ſunt:* hodie verò compertum eſt, non diſcedere illas à noſtris oris, ſed aquis ſubmergi, ac ſub his hyberno ſæviente frigore, redeuntem ad nos ſolem expectare, (quod idem, notat *Luther.* T. X. Witt. 22.) Quô quidem tempore, nullum in ipſis obſervare licet motûs ac vitæ veſtigium, adeò mortuarum inſtar, ad maris littora jacentes deprehenduntur; his tamen, *æſtivo redeunte ſole, (quis credat, niſi ſenſibus ipſis convictus?) nova vita conceditur, ut è morte in vitam veluti revocentur ac reſurgant.* Quod non fruſtra à ſummo rerum opifice factum credendum eſt, ſed ut, præter admirandam ſuam potentiam, doceret nos, reſurrectionis quoddam certo futuræ non incertum documentum.

Verùm ſiſtamus tandem has, circa animalium formatricium Idearum meditationes ac Experimenta, cùm præter ſpem longius paulò his immorati ſimus: quod tamen æquo Te laturum animo, Lector, ſpero, ſi probè attenderis; quanta in animalium generatione conſiſtat dignitas, pariter ac difficultas, ut propter hanc non potuerim, propter illam certò non debuerim eſſe brevior.

Quare nunc tandem *ad Ideas VEGETABILIUM tranſeamus*; & quemadmodum animalium ſemina, perfectam ac integram ſui corporis Ideam continere diximus: ita ipſum hoc quoque in vegetabilibus liceat demonſtrare. Quanquam enim *Vegetabilia* tot non videantur organicis partibus ac diſſimilaribus inſtructa, prout animalia; nihilominus tamen & ipſa non paucas partes habent, diverſæ naturæ ac definitionis, quarum ſingulas, proprias ſibi ac peculiares Ideas ſeminales habere neceſſe eſt. *Quemadmodum enim in animalium generatione Ideæ ſeminales cordis, ſoli cordi formando, deſtinatæ ſunt ac determinatæ, neque ullam convolutionum inteſtinorum, vel alius partis formativam potentiam contineant:*

nent : Ita & *Vegetabilium* particulares Ideæ, foliorum nervis v. g. formandis dicatæ, non formabunt caulem aliamve partem, atque adeò quot erunt partes diverſæ in plantis, tot quoque erunt particulares Ideæ, quibus conjunctis unica tandem prodibit Idea, integram, integri vegetabilis ſignaturam, continens.

Quæ quidem Idea totuplex erit, quotuplicia ſunt ipſa vegetabilia. Cum enim *ſalviam* v. g. externâ quoque ſignatura à Rore marino, & hunc ab aliis diſcernere queamus, quod diverſa utrique ſit figura, diverſis terminis comprehenſa, *neceſſe quoque eſt : utrique proprias eſſe Ideas, à cæterorum vegetabilium omnium Ideis, ſpecificè differentes*, atque adeò tot eſſe ſeminalium formatriciumque Idearum ſpecies, quot ſunt vegetabilium.

Hæ ſpecificæ, ac integræ vegetabiles Ideæ, illo corpore, quod ſemen communiter vocamus, continentur, tanquam capſulâ quâdam. Neque enim (uti jam in antecedentibus monitum, & poſtea pluribus dicetur) integrum illud corpus pro vero ſemine habendum eſt ; *cum hoc ad corpus ſuum minimam ſaltem, quoad quantitatem, rationem habeat.* Indigebat verò tali thecâ ſemen, tum ut ab externis non adeò violari, tùm etiam, ut in illa commodè citra confuſionem recondi poſſet, prout in antecedentibus circa ova muliebria monui. Adeò ut ſi hanc internam ſeminis ſignaturam corporis ac mentis oculis cernere liceret, ſolo aſpectu judicare proclive futurum eſſet, qualis figuræ planta, è ſeminalibus iſtis Ideis quandoque evolutis, proditura ſit.

Evolutio *vero harum*, quomodo fiat, ſi quis ſcire volet, *præſupponat hic neceſſe eſt è ſubſecuturis, cunctis fœcundis ſeminibus connatam eſſe particulam aliquam lucis, ſulphuris vitalis, quod omnium vitalium actionum, motûs, nutritionisque ſit principium.* Vegetabile itaque ſemen in terram quando projicitur, aqueo humore madentem, externa Idearum ſeminalium capſula molleſcit, ut majus ſpatium Ideæ occupare poſſint ; atque tum externus Solis calor, ejuſdem cum motore ſeminum Spiritu, originis & naturæ, motu ſuo ad motum excitat, mobilem illam ſeminum particulam *lucis & ſulphuris,*

phuris, quæ mota, incipit, vi Sulphuris propria, propter aciditatem coagulativa, (de qua in ſubſecuturis) Aquam elementalem coagulare, in ſubſtantiam pro Idearum varietate variam: atque hanc, tanquam nutrimentum Idearum ſpatiolis interponit, *quô ipſo explicantur Ideæ, ut foras demum prodeant, & evolvantur ad certum quantitatis terminum.*

Ut verò uno intuitu quaſi, hanc *vegetabilis* ſeminis *Ideam* obſervare poſſis L. B. conſideres quæſo, è plantarum ſeminibus, artificioſa inſtitutâ vegetatione, quæ ad candelæ calorem inſtitui poſſit, illarum luculentiſſima demonſtratio.

Plantarum hæc ſeminumve vegetatio, à pleriſque Reſurrectio earundem appellatur: at pace illorum minùs commode & verè. *Reſurrectionem enim omnem, neceſſe eſt prægreſſam eſſe mortem*: ſequeretur itaque, è mortuis planè h. e. infœcundis ſterilibusque ſeminibus, talem Idearum productionem produci poſſe: *quod tamen naturæ vires ſuperat, ac contra Experientiam eſt.* Niſi enim Spiritus ille vivificans ac movens, fœcundationis etiam origo, reverà ſemina inhabitaret, nunquam profectò talis Idearum ſublimatio fieri poſſet. Sine illo enim omnis motûs expertes ſunt & ſteriles. *Hoc verò vitam largiente Spiritu, præſente ſeminibus, quomodo mortua dici poterunt?* Si verò non hoc, quomodo reſurrexiſſe dicentur? quare nonniſi *vegetatio* quædam *ſeminum* eſt, quâ innatum ſeminum calidum excitatum, externi caloris auxilio, *Ideas ſeminales vegetabiles* movet ac elevat. *Ipſa hujus vegetationis* ἐγχείρησις *hodie plurimis non ignota, cum publicis expreſſa typis extet. Omnes verò hujus deſcriptiones, ſequentem communem ferè habent rationem cum Cl. Tackio.*

Recipiunt maturum plantæ cujusdam ſemen, idque ſereno cœlo ſub diocollectum, & in mortario vitreo contuſum, Cucurbitæ vitreæ injiciunt, cujus longitudo plantæ longitudini reſpondeat, orificiumque habeat anguſtum, ut ſigillari poſſit. Cucurbitam obturatam ne quidquam evaporet, aſſervant, donec veſperâ ingruente, Cœlum diſpoſitum videant, ad fundendum iſtâ nocte rorem. Quibus obſervatis contuſum ſemen tabulæ vitreæ imponunt, & hac in

prato vel horto amæniſſimo, paropſidi impoſitam, ne quid perdatur ſub dio collocant, ut cadat ros ſuper ſemen, illudque humectet. Interea roris majalis aliquot menſuras colligunt; madidum verò rore ſemen, ante ſolis ortum recondunt, ne ſol oriens filium ſuum repetat. Rorem collectum filtrant, deſtillant, donec nullas amplius relinquat fæces; (è fæcibus verò calcinatis ſalem extrahunt, quem in rore deſtillato ſolutum ſemini affundunt, ad eminentia trium digitorum) ſic colliquatô vitri orificio, ne quid exſpirare poſſit, commodo quodam loco repido illud recondunt, & aliquot elapſis diebus, apparet ſemen inſtar glareæ vel mucilaginis: Spiritus verò ſupernatans ſtrias accipit, apparetque inſtar cuticulæ verſicoloris: intrà verò cutis & terræ glarealis ſpatium, ros ex natura ſeminis ſaturatè viridis videtur. Vitrum ſigillatum Solis Lunæque radiis exponunt; pluviali verò aëre, in hypocauſtis aſſervant, donec omnia ſigna fuerint completa. Ita tandem admoto vaſi calore effigies ac Idea quædam exſurget plantam exactè referens, cujus ſemen dicto modo diſpoſitum fuerit, eadem verò calore remoto iterum evaneſcet. *Talem, excitandi Ideas vegetabilium modum, tenent ferè omnes ut dixi, paucis ſaltem ab aliquibus mutatis.*

Neque verò potentiùs ullum excogitari poteſt experimentum, ad efficaciter demonſtrandum; in plantarum ſeminibus, verè ac realiter exiſtere, integram integræ plantæ ſignaturam. *Ratio verò operationis omnis, è natura Roris petenda eſt.* In hoc enim continetur particula quædam, ſpiritûs illius, univerſum hoc vivificantis, quem ventus portat in ventre ſuo, occultum, ſed abſolutè neceſſarium, vitæ cibum. Hic calidum illud ſemini innatum, fœcunditatis principium, excitat ad motum, occultamque fermentationem, quâ Idea ſeminis, ab externa terreaque mole ſ. capſula ſua liberatur, ut ab externi caloris particularum motu, terreis particulis relictis, elevari poſſit.

Plura ejusmodi experimenta, reperiuntur apud varios, ut illorum magnum cumulum huc afferre, neque gratum neque neceſſarium futurum

rum ſit. An verò ex incineratis etiam plantis, talis perfecta Idea impetrari poſſit, ac è ſeminibus, non omni dubio carere videtur. *Non deſunt quidem, qui è cineribus roſarum v. g. eandem promittunt; quo verò eventu,* non auſim *determinare.* Celeberr. ſaltem *Helmontius, Quercetanum* in lixivio urticarum congelato, earundem Ideas obſervantem, deluſum arbitratur; quòd glaciei incipientis ſtriæ acuminatim deſinant. *Neque rationes deſunt, quæ hoc confirment. Cum enim principium talis elevatæ Ideæ, ſit ſpiritus ille univerſi vivificans,* (de quo in ſubſecuturis dicetur, quod natura ſua acidus ſit, coagulans) *proximum ſeminalis Ideæ receptaculum, fit;* ut hujus jactura facta, nullus poſtea Ideæ motus aut elevatio eſſe poſſit. Quod certè in ſalis fixi præparatione contingit. Violenta namque illa calcinatione, maxima ſeminalis acidi pars in auras abit, tantillo ſaltem relicto, quod prohibet, ne in aquam elementalem ſponte ſolvantur Alcaliſata. In hoc verò tantillo Acidi relicto, quamvis reverà quiddam ſeminis contineatur, (quamprimùm enim cœleſtis ille ſpiritus, cum ſeminalibus Ideis conjunctus fuerit, inſeparabilia hæc à ſe invicem ſunt) minimum hoc ſaltem eſt, & minoris efficaciæ.

Neque adeò valet illa conſequentia *Cl. cujusdam Viri,* quam affert ex cinerum Ideis, conſtare nempe hoc ipſô, maximam partem eſſentialis ſubſtantiæ conſiſtere in Sale ſuo fixo Præterea enim, quod ipſe operationis ſucceſſus, ipſi dubius videatur *Helmontio,* à rei veritate alienum eſt, vel unicum granum Alcaliſati ſalis, quale cinerum eſt, in vegetabili ante Calcinationem formaliter præexſtitiſſe, uti pluribus jam demonſtratum eſt; quomodo igitur in illo pars eſſentialis ſubſtantiæ conſiſtet?

His itaque relictis ad *MINERALIUM ſemina* nos conferamus. *Neque enim hæc, ſuis particulis ſeminalibus carent.* Quanquam enim in *his* non reperiantur tot diſſimilares partes ac organicæ, quot in *animalibus* præcipuè ac *vegetabilibus* reperiri diximus, neque adeò, integralibus partibus conſtans Idea, in illis notari poſſit, *habent nihilominus Metalla ac continent formam quandam ſubſtantialem, convertentem commune alimentum, Mercurium nempe, cunctorum metal-*

lorum materiam, in ſuam propriam ſubſtantiam; quod certè ſeminalem quandam vim arguit.

Et, quod Metallicorum ſcriptorum autoritate & experientia confirmatum eſt; *Ferri* mineræ, omni ferè ferro exhauſtæ, certis annorum intervallis, denuò repletæ reperiuntur. *Neque verò hæc ferri regeneratio fieri unquam poſſet; niſi ſeminale quoddam ferri fermentum, in illo loco deliteſceret.* Idem in *ſtanno* obſervatur, nec non *Nitro.*

Atque ſi ullum ex mineralibus ſemen eſt, pro cujus poſſeſſione, indefeſſi, nocturni diurnique labores ſuſpiciuntur, *Auri certè ſemen eſt.* Ita enim *Augurellus*:

Semina ſunt auri, quamvis abſtruſa recedant
Longius, & multa nobis quærenda labore.

Hoc *auri ſemen* quamvis reverà ac realiter in auro vulgi contineatur; inhabile tamen hoc habetur à Philoſophis ad opus Philoſophicum, quod vulgi aurum mortuum ſit & infœcundum. Quamvis enim aurum vulgi, tantæ ſit ductilitatis *ſ. ſulphur ejus ſeminale*, adeò manum ducentis ſequatur: ut ſi per magna argenti maſſa deauretur, atque illa poſtmodum diſtrahatur in filum, crinis magnitudinem æmulum, inauratum, defuturum citiùs ſit filum attenuandi ingenium artifici, quam auro colorandi vis: ad alia tamen metalla, ſeminali ſuâ vi imprægnanda ineptum eſt, quòd ſulphur ejus ſemel coagulatum, motûs impoſterum potentiam amiſerit & fæcunditatem, adeòque mortuum ſit. Quare ex alio ſubjecto neceſſe eſt, ut ſemen hocce eliciatur, de quo videantur alii.

Semini huic tribuenda eſt, *vis aurifica* à Philoſophorum turba tantoperè deſiderata. *Quemadmodum enim tritici ſemen habet facultatem, aquam vegetabilem ſeu communem convertendi in ſuam ſubſtantiam*: ita quoque ſemini auri, ineſt facultas, commutandi aquam metallicam ſ. Mercurium in aurum.

Quod illis à rei veritate valde alienum videtur, qui naturam in omni re ſimilem ignorant: quare tanto ſtrepitu, veritatem Tincturæ Philoſophicæ in dubium vocant; Viri nominis alioquin celebritatem

quan-

quandam adepti : quanquam rationibus nitantur valdè leviculis, quas ſatius fuiſſet tacuiſſe : Philoſophi enim manſiſſent. *Vel enim dicunt Formas rerum eſſe immutabiles, ac unius Dei proprium formas dare rebus, & datas mutare & transformare.* Quo dubio ſemetipſos produnt, quàm omninò ſenſum non capiant Philoſophorum, cui tamen tanto conatu contradicunt. *Quis enim unquam hæc negavit Philoſophus? aut quis dixit, ipſas formas ſubſtantiales eſſe in alias transmutabiles, aut poſſe has ab hominibus produci?* contrarium potiùs illi docent, qui veræ Philoſophiæ præcepta hauſerunt. *Semina certè ipſa in alia ſemina mutari non poſſe, ipſi probè norunt*; eundemque ortum non à creaturis ſed ipſo Creatore proficiſci. Neque tamen illos fugit, ſemina debiliori motore innato Calido inſtructa; ab alio ſemine, potentiori motore prædito ſuperari, & ſub jugum mitti poſſe, quod ipſum variis ſimilibus Naturæ operationibus edocti ſciunt. Neque etiam ignorant; formas à Deo creatas, materiales præcipuè, artis auxilio, non tantum inactum duci poſſe, ſed ſeparabiles quoque ita eſſe, ut ſubjecto ſuo relicto in aliud migrare, illudque debiliori formâ ſuppreſsâ informare poſſint. Quod ipſum ex antecedentibus aliquo modo clarum eſſe poteſt. Certè Pythagoras formarum Metempſychiſin docens, alio ſenſu intelligi non debet. Sed hæc non adeò ſunt hujus loci.

Vel Synodorum objiciunt autoritatem, decernentium; *Infidelem eſſe hunc, & quovis pagano deteriorem, qui credat fieri poſſe, ut aliqua creatura in melius aut deterius transformetur, niſi ab ipſo Creatore, qui omnia fecit*, &c. Aſt verò quomodo transmutatio illa Philoſophica intelligenda ſit, jam dixi, ac præterea, haud rarò contigit; ea damnata eſſe falſitatis à conciliis, quæ ſequentibus annis veriſſima reperta ſunt, veluti expertus eſt is, qui Antipodes dari dixerat.

Vel etiam Diaboli oggerunt inſidias, quibus obnoxii fuerunt ſæpius, qui operi huic Philoſophico operam darent. *Hoc verò negandum quidem non eſt, Diabolum hujus mundi Principem, divitiarumque injuſtarum præſidem, avaris animis, haud intermiſſis inſidiis clandeſtinisque*, extremum exitium minitari, cum adverterit præcipuè non tam ad divini nominis gloriam teſtandam, ſed proprios avaros

oculos

loculos explendos, ſuſceptum hunc ab hominibus laborem eſſe; docente hoc Apoſtolo. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli, & deſideria inutilia multa, quæ mergunt homines in interitum & perditionem &c. tu autem ô homo Dei fuge hæc. An verò ipſi arti per ſe nobiliſſimæ, aliquis propterea nævus imprimitur? non certè.* Hic enim à condito mundo, hominibus conditis, Diabolo mos fuit & eſt, hic labor, hæc invidia, ut quæ ad operum Dei pleniorem cognitionem Divinique nominis gloriam aperiendam, profutura viderit, hæc quovis modo ac arte ſuſpecta hominibus reddat; ipſis primis parentibus noſtris, ſuo noſtroque malo, hoc ipſum expertis. *Quare dictus Apoſtolus cupiditatem ſaltem divitiarum, non ipſa media, primario fine ad Dei gloriam, ſecundario verò ad honeſtas divitias ordinata, procul à nobis eſſe voluit.* Alia, contra hanc artem nobiliſſimam afferri quæ ſolent, cuncta certè leviſſima ſunt, ac minimi momenti, neque adeò digna, ut in iis labefactandis bonæ horæ malè collocentur. Præterea verò ipſo philoſophorum ſecreto, ſecretum majus eſſet, horum tenebris obvolutum intellectum, hauſtam ſemel, citrà rationem etiam ſententiam, tenaciſſimè tenentem, neque ultra ſenſus ſapere cupientem, in melius transmutare ut diſcuſſis tenebris lucem videre queant. Hoc enim ſolus Dei opus eſt. *Quare & hæc de mineralium quoque ſeminibus dicta ſufficiant.*

Atque adeò in triplici iſto Naturæ Regno, *Animali vegetabili & Minerali, particulas quasdam reverâ ineſſe demonſtravimus, ſ. ſeminales Ideas, ad quarum normam ſ. regulam, cuilibet ſemini impreſſam, ea generantur, quæ quotidie generantur.* Hæc verò, quamvis (niſi plus juſto mea mihi placet cauſa) adeò evidentia ſint, ut de illis jure nemo dubitare poſſit, *plurimos tamen quotidiè videas ea ſaltem pro veris habere, quæ externis ſenſibus, proh! quàm fallacibus ſæpè nuntiis, percipiuntur*; illa verò quæ mentis oculis intueri debebant, ferè negligant contra *Scaligeri* monitum; ea *quæ longius ab externis ſenſibus recedunt, diviniora eſſe* docentis, qui adeoque his, parvam fidem habebunt. Quos tamen denuò monitos velim. Si fortè molis quandam quantitatem, verò ſemini hactenus tribuerunt, hanc ſuam mutent ſententiam, firmiterque teneant; molis quantitatem in ſemine,

juxta

juxta omnium Philoſophorum ſententiam, eſſe tantùm 2800. partem ſui corporis. Quô ipſo quidem non determinatam certamque ſeminis quantitatem dimenſi videntur, niſi quod notate ſaltem ſignificareque voluerint, verum in generationibus ſemen, ab omni fere externa quantitatis mole abhorrere. *Conſidera itaque rogo te, B. L. tantillum tritici granum, in quo tantillo corpore* 2800. *ſaltem pars pro vero ſemine habenda eſt.* Quis credat in tantillo, ſemine galli, tantam latere virtutem, quæ tot ovis fœcundandis ſufficiat, ut per integrum annum fœcunda ſit Gallina, quæ ſemel cum gallo coiit? *Quis credat in tantilla humani ſeminis particula, integram contineri omnium humani corporis partium Ideam, & tamen revera continetur?* Anatomicorum namque experientiâ variâ comprobatum eſt, embryonem nonnunquam repertum, formicæ majoris vel pini nuclei magnitudinem non excedentem, in quo microſcopii beneficio, obſervare licuit partes omnes diſtinctas, ut ſexûs etiam diverſitas notari potuerit. Cl. *Kerkringius* in utero fœminæ mortuæ, molem reperit rotundam, magnitudine eâ quæ eſt ceraſi acidi majoris, quâ diſſecta fœtum obſervavit, quatuor quamvis dierum, perfecti tamen hominis ſignaturas complectentem.

Cùm adeoque humani corporis Idea, æquè integra ſit, in tantillo embryone, ac poſtea in perfectæ magnitudinis homine, quota quæſo hæc pars erit ſeminis communiter dicti? Incomparab: *Harvejus, poſt fœcundum etiam coitum maſculinum ſemen utero iterum effluere, frequentiſſimâ caprarum ſectione edoctus, docet; ita ut nullam corpoream ſeminis molem in utero unquam offenderit, & tamen fœcundans cum Ideis ſeminalibus ſpiritus relictus ibi fuit, nullis externis ſenſibus perceptibilis.* De genitrice ſua Cl. narrat *Tackius*, quòd in ſummitate pectoris, à veſpa icta fuerit; ex ictu verò obſcuros ſemper ſenſerit dolores in longam ſectam uſque, ante obitum verò recrudeſcentibus doloribus, globulum quaſi ſub cute læſa volutari deprehenderit, ex hoc verò ſentiendo, pruritum aliquem, acu exploratura quid ibi lateret, granum tritici extraxerit. Hoc verò citra dubium à veſpa tritici granis paſta acceperat. Admiratione tamen dignum eſt, potuiſſe integri grani ſeminalem

virtutem, adeò parva veſpæ proboſcide capi, atque in tantillum foramen, quale ab ejuſmodi ictu eſſe ſolet, implantari. Quare hæc firma ſtabit theſis, quâ hanc tandem circa ſemina præter ſpem prolixiorem doctrinam claudemus: *Semina triplici Naturæ regno reverà ineſſe; propter molis tamen exiguitatem inviſibilia eſſe, oculis vulgi nempè, non ſapientum.* Quod ne quem terreat, audiat quæſo Illuſt. *Baconem*, nov. org. §. 50. ita dicentem; *Longe maximum impedimentum, & aberratio intellectus humani, provenit à ſtupore & incompetentia & fallaciis ſenſuum; ut ea quæ ſenſum feriant, illis quæ ſenſum immediatè non feriunt, licet potioribus præponderent. Itaque contemplatio ferè deſinit, cum adſpectu, adeò ut rerum inviſibilium exigua aut nulla ſit obſervatio. Itaque omnis operatio ſpirituum in corporibus tangibilibus incluſorum, latet & homines fugit.*

Explicatâ igitur ſeminum natura duo adhuc nobis facienda ſunt & demonſtranda. *Primò enim oſtendendæ erunt particulæ iſtæ, quarum appoſitione Ideæ nutriantur, ac molis quandam quantitatem nanciſcantur, itemque viſibiles fiant.* Per ſe enim hæcce omnia ipſis ſeminalibus Ideis non inſunt, ſed alimenti demum auxilio eidem accedunt. *Demonſtrabimus verò; unum ac Catholicum cunctorum vegetabilium, animalium, mineralium eſſe nutrimentum, AQUAM nempe Elementalem, in quam etiam ſingula corpora ultimatò reducibilia eſſe, oſtendemus.*

Deinde verò, cum Aqua Elementalis, ſemetipſam in tot formas transmutare non poſſit; neque etiam ipſæ ſeminales Ideæ, ſuoptè auxilio præſtare hæc poſſint, cùm eædem ipſæ, omnis motûs actionisque expertes ſint, *ac motorem quendam deſiderent* (ſine quo ſteriles omninò eſſent) *fœcundantem illas ac evolventem: explicabimus motorem huncce, coagulantem Aquam in corpora, pro Idearum varietate ſpecificè differentia, qualisque naturæ ſit, clarè oſtendemus.* Cujus veritatem invictis trademus rationibus ac Experimentis, demonſtrando; quòd, quemadmodum hujus coagulatoris beneficio, *cuncta corpora materialiter, ex aqua nativitatem ſuam habent:* ita eodem coagulatore ſeparato, à corporibus, eadem cuncta denuò in aquam relabantur. Quibus, ut ſpero, feliciter peractis, noſtris

circa

circa naturalium rerum Principia meditationibus, finem imponemus.

Quod igitur primum attinet membrum, demonſtremus primô locô, *vegetabilia materialiter nihil niſi aquam eſſe, & aquâ enutriri.* Ad vegetabilium quidem conſervandum vigorem, aquam non commodam tantùm ſed neceſſariam quoque eſſe, etiam illi norunt, qui extra rerum naturalium ſolidam cognitionem conſtituti, agrorum curam habent. *Quemadmodum enim, gratos inter ſolis calores quæ cadit pluvia, cunctas plantas flaccidas alioquin, mirificè reficit ac erigit*; ita contra æſtivo urente ſole, deficiente verò aquâ pluviali, emoriuntur gramina, cunctaque vegetabilia, propter nutrimenti defectum. *Homini ſano, & cujus ventriculi, ſingularumque partium fermenta integra ſunt, ſi per aliquot dies cibus ſubtractus fuerit; tandem moriendum ipſi certò erit, propter fermentum acidum.* Non aliter accidit in plantis in quibus fermentum illud *Calidum, acidum, ſolis filius* (de quo in ſubſecuturis plura dicentur) quamvis integris planè viribus deprehendatur, aquæ tamen velut nutrimenti defectu emarceſcunt. Cui morbo ipſi medicinam afferre ſolemus, quando æſtivo tempore, hortulos noſtros irrigamus aquâ, quô ipſo nutrimus plantas & à marcore præſervamus. Sed afferamus alia hujus rei ac potiora teſtimonia.

Egregia certè mechanica eſt, quam Incompar. habet *Helmontius Compl. & miſtion. Elem. figm.* §. 30. *quâ demonſtrat, omnia vegetabilia immediatè & materialiter è ſolo aquæ elemento prodire.* Cœpit enim vas terreum, in quo poſuit, terræ in clibano arefactæ libras ducentas, quam madefecit aqua pluviâ, illique implantavit truncum ſalicis, ponderantem lib. 5. ac tandem exacto quinquennio, arbor inde prognata eſt pendens 169. libras & circiter uncias tres. Vas autem terreum, ſolâ aquâ pluviâ vel deſtillatâ ſemper ut opus erat maduit. Ac ne quidem computavit pondus Foliorum quaterno autumno deciduorum. Tandem iterum ſiccavit terram vaſis, & repertæ ſunt eædem libræ ducentæ, duabus circiter unciis minus. Libræ ergò 164. *Ligni, corticum, radicum, è ſola aqua* ſurrexerunt. Quod quidem reverâ ita eſſe debuit. Præter aquam enim & ter-

ram, nihil hic fuit, quod materia Salicis esse posset. Terra verò non est mutata in salicem, quia eodem planè pondere & quantitate perstitit. Quare affusa *aqua* fuit quæ à fermento seminis in lignum, corticem, radices, folia, mutata; tantum salici incrementum & pondus materialiter dedit.

Cui Helmontiano omninò fere simile est illud ab *Illust.* ac *Incomp. Boyleo* notatum, *Chymist. scept.* p. 52. Jussit ipse, hortulanum suum convenientem bonæ terræ quantitatem effodere, & in fornace exsiccare, ponderare, immittere ollæ fictili, quæ ferè æquam cum fundo haberet superficiem, eique selectum semen, Indicum Peponis genus, quod festinanter crescit, inserere, nonnisi aqua pluvia s. fontanâ quotidie irrigandum. Neque sine delectatione incrementum plantæ, licet intempestivè consitæ; humani corporis crassitiem tum æquantis se observasse dicit. Curavit igitur effodiendam ab hortulano plantam ac ponderandam, & peponi cum pediculo & foliis, trium librarum pondus fuisse compertum est: Excoctæ Terræ uti antea, æqua planè priori quantitas deprehensa est. Hocce experimentum *subjungit Vir Illust.* æstivo tempore à se reiteratum, atque tum peponum pondus decem librarum cum semisse repertum esse, ramusculos cum radicibus habuisse quatuor libras, duabus unciis subtractis, Terram exsiccatam verò, nihil ferè de priori suo pondere amisisse. Unde verò quæso te L. B. tantum peponi pondus? *annon è sola aqua?* Si verò non; affer velim tertium quoddam præter aquam & terram, cui pondus ejus ac incrementum accepta ferri debeant. *Ex nihilo enim Negativo tale quiddam generari non potuit*: præter aquam verò nihil hîc fuit, quod frequenter additum consumptum fuisset. *Terræ enim quantitas, imminuta non est deprehensa.* Quare *Aqua* sola, fuit materialis peponis causa; *ac pepo materialiter nihil aliud quàm Aqua ab Ideis ejus seminalibus in talem substantiam commutata.*

Quæ cùm ita sint, facilè patet, quid de cæteris dicendum sit vegetabilibus. Cuncta nempe hæc, ne unico quidem excepto, *solâ aquâ* nutriuntur, & materialiter nil nisi aqua sunt *Aqua* vero s. pluvia s. fontana in terram delapsa, juxta Celeb. *Helmontium*

primò,

primò, à fermento ſeminis Vegetabilis, mutatur in ſuccum *Leffas* ipſi dictum, qui proxima deinde materia plantæ eſt; aliàs indifferens *Aqua* eſt, ad hanc, vel aliam plantam producendam. Stent enim juxta ſe in uno ſolo diverſi ſeminis plantæ, Aconitum v. g. & Lavendula; utraque eodem nutritur alimento, *Aqua* enim pluvia in utrumque cadit, neque illa, quæ Aconitum nutrit *aqua* magis ad hoc quàm ad Lavendulam nutriendam determinata eſt, & contra. Idea verò ſeminalis ſingulis propria, mediante *fermento* ſuo, *motore*, coagulat aquam in ſuam naturam, adeoque *Aqua* tum, in *aconito letiferam* vim, in *Lavendula* ſalutarem humanæ vitæ virtutem acquirit. Utraque tamen planta materialiter nonniſi *aqua* eſt.

Atque idem hoc de iis quoque, accipiendum eſt, quibus quotidie veſcimur, *Tritico* nempe *ſiligine*. Horum namque ſemina, dum terræ matrici inſeruntur, *fermenta* illorum (ſeu *Calidum innatum*) pluvialem *aquam* coagulat, in triticum & ſiliginem, quæ præparata *panem* appellamus, cibum nunquam non neceſſarium. Gramina item cuncta, quibus pecudes veſcuntur, ſola aqua nutriri, atque ex hoc nutrimento augmentum capere, quotidiè cernimus *ut nullibi lætius creſcere videantur, quàm ubi loca ſunt paluſtria, frequentibusque rivulis irrigata.*

Quare, & tantam pluviæ obſervamus neceſſitatem & præſtantiam, ut inter graviſſimas propter delicta pœnas, populo Judaico quas comminatus eſt *Deus*, non infima cenſeri debeat, Pluviæ defectus. Hâc enim deficiente, cunctis vegetabilibus certa mors imminet: *neque his ſaltem, ſed & ipſis pecudibus, quæ ſolo gramine & aquâ nutriuntur.* Quin homini ipſi intereundum eſſet, quod hujus nutrimentum è Vegetabilium æquè ac animalium cenſu depromptum ſit: Ipſis ergò Vegetabilibus ac pecudibus extinctis, propter nutrimenti defectum, homo ipſe extingueretur.

Ipſa verò *Animalia*, non minùs ac Vegetabilia *aquâ nutriri* in piſcibus videmus. Hi namque extra aquam non degunt; neq; tamen cibum aliunde accipiunt, neque ullum ejus rudimentum in ſtomachis illorum reperitur; diligenter hoc notante *Ingenioſiſſ. Helmontio*; & nihil-

ominùs tamen *aqua* in illis, virtute fœcundorum ſeminum, mutatur in Oſſeas particulas, pingues & ſanguineas etiam. Gramina cuncta materialiter nil niſi aquam eſſe, jam demonſtratum. His tamen Solis & potu *aquæ*, enutrita *vacca*, quot habet diſſimilares partes & eſſentialiter diverſas, oſſeas, carneas, membranoſas, pingues, lacteas, ſanguineas? Quas particularum ſpecies & ſeminales Ideas, etſi vacca jam in prima ſui formatione habuerit; nemo tamen dixerit, tantam ſingularum ſpecierum molem, vaccam in principio poſſediſſe: cùm conſtet, nutrimenti beneficio, tantum ipſi incrementum contigiſſe. Jam verò nutrimentum ejus *Gramen* eſt, ut & *aqua*. Gramen verò ipſum mera eſt *aqua* materialiter, quo ipſo ſequitur, nutrimentum vaccæ originaliter & materialiter meram *aquam* eſſe elementalem. *Aqua* ergò pro ſeminalium Idearum in ſingulis ſpecie differentibus partibus Vaccæ exiſtentium diverſitate, abit modò in oſſa, modo in carnem; hancque, pro fermentorum ſeminalium diverſitate variam, modò in lac, ſanguinem &c. *E quibus neceſſario ſequitur, oſſa vaccæ, carnem, lac, ſanguinem materialiter meram aquam eſſe.* Neque hoc, de vacca tantùm, exiſtimandum eſt, ſed cæteris quoque animalibus brutis.

Quanquam enim non omnia bruta animantia, ſolo *gramine* veſcantur & *aquis*, ſed ipſis etiam animalibus, quale eſt Leo, Lupus: Neque canes etiam, uti eſt in proverbio, graminibus delectentur; nec tamen deſinunt *ſola aquâ* nutriri. Oves, quibus inſidiatur Lupus, ſolo gramine ac aquis contentæ ſunt, his nutriuntur, ex his in iis partes ac præcipuè Lac generatur, quod certè quoad materiam *Aqua* eſſe non deſinit; atque adeò cum agni illarum ovillo lacte enutriantur, uſquedum gramina concoquere valeant, non minùs aquâ nutriuntur, quàm cùm majores facti graminibus veſcuntur.

Quare omninò dicendum eſt, & ipſam ovillarum *carnium, oſſium, membranarum, lactis, ſanguinis*, cæterarumque partium omnium ſubſtantiam, materialiter meram *Aquam* eſſe. *Hiſce ergò ſi nutritur Lupus, certè Aquâ nutritur, & ipſe materialiter aqua erit.* Ex iis enim conſtamus quibus nutrimur. Par ratio eſt in Canibus. Oſſa

enim

enim quibus nutriuntur, reverà aqua ſunt, uti jam Vaccarum exemplo ac ovium demonſtratum eſt; quanquam & aliis carnibus aquâ tamen & gramine enutritis veſcantur, unde & canes ipſos materialiter aquam eſſe neceſſarium eſt.

Quæ cum ita ſint, quid de *homine ipſo* dicendum erit? Veſcitur hic, & nutritur cibis è Vegetabilium ordine ac animalium deprompti, & in pluribus locis ſolius aquæ potu ſitim ſedat: Triticum & ſiligo panem ipſi præbent, *cibum profectò ad vitam noſtram ſuſtentandam adeò convenientem, ut ſi ſolus hic ac puræ aquæ elementalis copia, per omnem vitam cuipiam ſuppetat, nullam ex fame, mortis neceſſitatem metuendam habeat*, quin propter ſimplicem ejusmodi victum, vitâ fruiturus ſit, non tot corporis animique morbis obnoxiâ, ſed citra ægritudinem (ſi Deo ita viſum fuerit) definitum à Deo vitæ terminum, hilari animo expectare poſſit, quem pauci palato indulgentes attingunt. Neque tamen corpus noſtrum deſtitueretur, particulis carnoſis, oſſeis, cæterisque, quamvis animalium carnibus non veſceremur. Triticum verò, & ſiliginem ſolâ *aqua* nutriri & conſtare materialiter, in præcedentibus dictum eſt. Panis ergò ex his factus, *aqua* erit materialiter, quiin homine pro ventriculorum ac ſeminum in iis deliteſcentium diverſitate; variarum partium formam accipiet, non quod aqua eſſe deſinat; ſed quod ſingularum humani corporis partium *fermenta* (*motor*, *Calidum*) per *ſemina*, ſcenam ſuam ſub uno iſto *aquæ elemento* luſura ſint: Atque adeò homo ipſe quantus eſt, materialiter tamen nil niſi aqua futurus ſit.

Præter panem verò; & carnibus animalium veſcitur homo, quæcunque tamen illa tandem ſint, Vegetabilibus tamen enutrita fuerunt, gramine; cujus quæ natura ſit, jam dictum.

Nutrit verò *Aqua* cuncta nutrienda duplici ratione; vel *Immediatè* vel *mediatè*; *Immediatè aquâ nutriri diximus* cuncta *Vegetabilia*, uti & Mineralia, de quibus in ſeq. Item *Piſces*, quod quidem clarè ſatis explicatum arbitror. *Mediatè illa nutriuntur animalia terreſtria.* Antequam enim his dare alimentum commodum poſſet, graminis formam accepit, vel etiam in alius animalis ſubſtantiam jam transformata eſt.

Panis

Panis igitur (quod non possum non hîc monere, antequam ad Mineralia progrediar) non nutrit nos eo, quô *Paracelsus* falsissimè opinatus est modo; ac si in illo potentia quædam deliteſceret particularis, ordinata & determinata, ad carnem generandam, etiam extra animalia constituto. Minimè gentium. Ita verò docet idem. *Panem frumenti, si sub fimo equino calido, quis posuerit, per 9. vel 10. dies, generatum inde iri carnem commixtam sanguini*, quod ipsum anili certè fabulæ affinius, quàm verò experimento videtur; quæ nonnisi è seminalium virtutum proficiſci potuit ignorantia. Seminalium enim Idearum rationes, qui mediocriter saltem calluerit, facilè fatebitur, vim illam commutandi alimentum in substantiam humanæ carnis, non in alimento, utpote materiali causa, cujus per se ac propriè nulla activa potentia est, positam esse; sed in ipsis partibus hominis nutriendis sedem suam habere. Quod ipsum ex antecedentibus, de Natura seminis quæ dicta sunt, obscurum, esse non potest; atque adeò firma ista stat sententia; id ipsum quod ex pane nos nutrit, non magis in se continere potentiam ad carnis generationem determinatam, quàm ad ossis cæterarumque partium, sed esse indifferens ad cunctas nutriendas; determinari verò, à semine cuivis parti proprio, ac præterea nil nisi larvatam aquam esse.

Mineralia verò quod attinet, non levia certè sunt testimonia, quæ demonstrant, & hæc *non minus ac Vegetabilia & Animalia ex aquis nata esse.* Incomparabilis certè *Helmontius* tit. *de Elem.* ita inquit. *In terra fraceſcens aqua, semen locale vel insitum acquirit, ideòque vel in liquorem (Leffas) ad omnem plantam vel in succum (Bur) mineralem transit, juxta species per directionem seminum electas.* Cujus sensus breviter hic est, quòd aqua pro fermentorum seminumque diversitate, in diversa specie corpora coaguletur; à *Vegetabili* semine in sucum *Leffas* dictum, proximam cunctorum Vegetabilium materiam; à *Minerali* in *Bur*, Metallorum materiam proximam. *Bur* igitur hocce, cum è sententia *ingeniosiss. Viri*, Aquæ productum; materia sit metallorum, sequetur omninò; & ipsa metalla prima generationis suæ principia materialia, aquæ debere. *Bur* verò hocce, idem laudatiss. *Helmontius* alio in loco *Magno oportet*

nempe

nempe §.39.clarius explicat, quando dicit. *Non rarò nempe contingit, ut Metallario in fodinis ſaxa diffringente, dehiſcat paries & rimam det, unde tantillum aquæ ſubalbidæ vireſcentis manavit, quod mox concrevit inſtar ſaponis liquidi* (Bur voco) *mutatoque deinceps pallore ſubviridi, flaveſcit vel albeſcit, vel ſaturatiùs virideſcit.*

Aliàs proxima Metallorum materia, Mercurius dicitur. Mercurius autem revera *nihil aliud videtur eſſe, quàm Aqua Elementalis, virtute Sulphuris cujusdam metallici & arſenicalis, coagulata in talem aquam, quæ manus non madefacit*: quæ Sulphurum variorum auxilio ulterius coagulatur in Antimonium, metallaque varia, quorum tamen materialis cauſa prima, mera eſt *aqua* Elementalis. Neque novum eſt iis, qui metallorum materiam, cuniculos terræ ſollicitè perrependo, obſervarunt aquam, in calcem fixi & boni argenti coagulabilem. Cujus teſtimonium quoddam in Illuſtr. *Boyl. Chym. ſcept.* exſtare memini. *E Tagi verò ac Rheni fluviorum arenis, revera aurum elici*; non eſt *ignotum*; neque metallorum reperiuntur mineræ absque magno aquarum confluxu.

Neque *Lapides* aliud præter *Aquam* nutrimentum habent. *Hinc nullibi major arenarum quantitas quam juxta maris fluviorumque littora & ripas.* Lapides verò, ex arenularum congerie compacta corpora ſunt, de quibus in initio diſcurſus hujus; Quòd teſtimonio graviſſimi Philoſophi, in aquam reducibiles ſint, dictum eſt, quæ adeoque hîc nolim repetere, *cum crambe bis cocta mors ſit.* Quare & Rupium, terrarumque cunctarum, nulla præter *aquam* materialis cauſa alia eſt.

Quamvis ergò ex dictis obſcurum eſſe non poſſit, tam *Mineralia* quàm *Animalia* & *Vegetabilia* ex *aqua* primitus naſci, variis immutata Idearum ſeminalium fermentis; magnam tamen lucem his ipſis conferet, ſi demonſtraverimus; *cuncta hæc corpora ultimato in aquam eſſe reducibilia.*

Incomparabilis certè HELMONTIUS Tract. de El. §. 11. &c. aliisque in locis docet; omne *ſaxum, lapidem gemmam, Marcaſitam* &c. *transmutari poſſe in ſalem actualem*, æqui ponderantem ſuo corpori, *qui tandem in aquam inſipidam tranſeat.* Cui fidem, ut quis

habeat in principio circa *aquam* monuimus, neminem cogi posse. Illustriss. certè *Boylæus* propter incredibilem experimentorum Helmontii veracitatem non temere ipsi denegandam judicat. Metallicorum item corporum, materialem causam ipsum *Mercurium* vulgi esse, in antecedentibus diximus, quod ipsa salibus suis coagulativis orbata, in Mercurium denuò resolvantur. Cujus egregium quoddam experimentum non ita pridem demonstravit Clar. *Langelottus* ex Antimonio, & quidem Regulo ejus: Rei possibilitatem, rationibus ac causis operationis adductis, confirmavimus in fine Epist. ad Clar. D. *Langelottum*. Quare si cætera quoque metalla, in Mercurios suos redacta fuerint, separatis sulphuribus, atque iidem Mercurii per residuorum adhuc Sulphurum sequestrationem in *aquam* redigantur, habemus quod quærimus. Et certè ipsum *Mercurium* in aquam resolvi posse, celebrium Philosophorum experimenta ac testimonia dubitare nos non sinunt. Neque ignoti mihi sunt amici qui aurum ipsum in Mercurium possunt redigere per Mercurium, seu Latonem flavum albescere, quibus tamen omnibus quantum cuique placebit adhibere fidei; cuique integrum esto, neque cùm ullo super hac re digladiari animus est.

Sulphura itaque Mineralium omnia, si accendantur, in spiritum abeunt acidissimum, qui ab Alcalibus fixis s. alcalisatis salibus Tartari scil. abstracti, omni possunt aciditate ita exui, ut præter Elementalem *aquam* nihil relinquatur. Ipsum verò Alcalisatum sal, quod Acidum salem in se absorpsit, crebriùs per deliquium solutum, & phlegmaticâ parte, aliquot vicibus separata, tandem omninò in puram aquam Elementalem convertitur: quod ipsum de cunctis, uti dixi, Mineralium *Sulphuribus* intelligendum est.

Silices quoque in liquorem resolvi posse, in principio & quidem §. de *Terra* diximus. *Calx* item *viva* salia habet, per deliquium quæ solvi possunt, & in aquam resolvi.

Animalia quoque, quemadmodum ex *aqua* tanquam prima materiali causa, ortum suum traxisse, in antecedentibus demonstratum est; ita quoque eadem in aquam denuò convertibilia esse ultimatò ostendi-

oſtendendum erit. Mortua quidem animalia, quando putredinem concipere obſervantur, in aquoſam reſolvuntur materiam, quâ etiam ferè diffluunt. Notatu dignum tamen experimentum *Helmontii* eſt *de Formarum ortu* §. 56. quo Lunæ tribuit, ſingularem illam vim demortua animalium corpora in aquoſam mucilaginem reſolvendi. *Rana enim* dicit, *ſi ſub plenilunio atrociſſimo hyemis borea effodiatur, abluatur, & baculo alligetur in agro, ſequenti manè reperitur alba quædam & transparens mucilago, liquatum Tragacanthum referens, & figuram ranæ. Idem* affirmat §. 54. *de homine ac bruto demortuis; hæc ſi una ſaltem nocte pernoctarint* (dicit) *ſub Luna, ſequenti manè cadaver putrilagine diffluet*, quô ipſo patet; *animalia* poſtquam ex *aqua*, corporis ſui nutrimentum nacta ſunt; adeòque materialiter nil præter aquam ſunt, retrogradâ tandem viâ in eandem remigrare. Aquarum cæteroquin non parvam copiam in *animalibus* exiſtere, vel inde obſervare licet, quod illorum partes, citra aquarum additionem ſi Igni expoſitæ fuerint, in proprio ſucco ſufficienter bulliant. In quo ſucco, reverâ particulæ quædam ſunt meræ aqueæ, ad quas demonſtrandas, ſola pinguium ſeu oleoſarum partium ſeparatio requiritur facillima. *Aqueæ* verò particulæ ideò ſaltem *formaliter* ſuperſtites ſunt, quod ab Ideis ſeminalibus nondum determinatæ ſunt, ad certam partem, Excell. *Helmont.* phlegma hocce, prout etiam in vegetabilibus, *Mercurialem* partem vocat, nondum à ſemine maturatam. Oleoſæ verò ac pingues particulæ, arte in meram aquam priori ſimilem reducibiles ſunt. Quod ſi enim cum ſale conjungantur Alcaliſato, cum illo in ſaponem abeunt, & deſtillata phlegmatica prodeunt: aliquoties verò ab ejusmodi alcaliſato ſale abſtractæ in meram abeunt *aquam* Elementalem. Quod ipſum de omnibus animalium pinguedinibus notandum eſt; quòd crebrâ circulatione cum ſale Tartari in aquam convertantur.

Spiritus verò ille Urinoſus, è ſanguine animalium qui etiam impetrari poteſt, in antecedentibus dictum eſt, quòd naturâ ſuâ ſit Sal quoddam volatile in phlegmate reſolutum. Jam verò, ex ejusmodi Urinoſi Salis Volatilis cum acidis particulis colliquatione, Alcaliſatum Sal fixum prodire, pluribus experimentis demonſtratum eſt.

Quod Alcalisatum Sal facilè p. d. & tandem *in aquam* Elementalem resolvitur; quô ipso sequetur; & ipsum *Sal volatile*, materiam Alcalisati salis, simul revera in aquam converti. Alioquin Urinosum hocce Sal, evidenter satis è Sale Tartari separari potest, uti notum est; Non separatum verò, cum illo abit in aquam Elementalem: atque adeò ipsi etiam Urinosi animalium spiritus, seu Salia Volatilia essentialiter à Vegetabilibus non differentia, eodem modo in aquam redigi possunt. Evidens quoque testimonium est, è fuligine vegetabilium quod peti potest. In hac ingens satis deprehenditur Urinosorum salium copia, ut etiam Sal Ammoniacum, ope spiritus Salis, ex ea parari possit: calcinata tamen hæc, in Sal fixum abit, ac tandem *aquam* Elementalem.

Quæ *cum ita sint*, *Sanguis*, *Urina*, *Sudor*, &c. *cuncta in aquam reducibilia sunt*. Neque aliter se res habet in solidis substantiis. Ex his quæ eliciuntur cuncta, vel insipida sunt adeoque *aquea*; vel sapida s. *salina* & quidem vel volatilia *Alcalia*; vel *acida* pinguia &c. cuncta materialiter nil nisi aqua. *Terreæ* verò partes, è calcinatis durioribus partibus, ossibus v. g. residuæ, teste fide dign. *Helmontio*, in aquam non minùs reduci possunt, beneficio liquoris *Alkahest*.

Ipsa tandem *Vegetabilia*, quemadmodum solâ aquâ nutriuntur, adeòque materialiter nihil aliud sunt quàm *aqua*: ita & in *eandem* reduci possunt ultimatò. Partes enim præcipuè, in quas *vegetabilia* Ignis artisque ope dividi possunt, sunt *spiritus* vini, *Oleum*, *Sal fixum*, *Volatile*, *Tartarus*. Tartarus herbarum, in succis earundem deliteſcens, calcinatus, in sal abit alcalisatum; Hoc verò Alcalisatum, si Aëri expositum fuerit, p. d. solvitur. Liquorem huncce Tartari, Retortæ inditum, si destillaveris, phlegma quidem seu *aquam* impetrabis sale in fundo relicto, quem denuò si p. d. fluere permiseris, novam phlegmatis partem accipies, quod reiterari toties poterit, donec totum sal alcalisatum, in meram *aquam* elementalem conversum fuerit, *quam immeritò à Zvvelffero pro Sale Tartari Volatili haberi, in præcedentibus demonstravimus*.

Olea verò *Vegetabilium*, si cum Alcalibus fixis conjuncta fuerint, abeunt cùm iisdem in saponem, ac si tandem crebriùs abstracta fuerint,

rint, in meram reſolvuntur *aquam* elementalem. Quod ipſum de *ſpiritibus* omnibus verum eſt. Cum enim hi formaliter in Vegetabili non præexiſterint: ſed Olea ſaltem ſint, beneficio fermentationis in phlegmate reſoluta (uti in antecedentibus oſtenſum eſt) eâdem cum Oleis conditione gaudent.

Quare ſpiritus Vini, quamvis rectificatiſſimus fuerit, ut in ejus accenſione, ne tantillum quidem phlegmatis relinquatur, quod pyrium pulverem contra Ignis vim defendere poſſit, nihilominùs tamen, ſi ſemel ſaltem à Sale Tartari abſtractus fuerit, phlegmaticus factus deprehenditur, ſeminali acido in Sale Tartari relicto: quod ipſum ſi ſæpiùs reiteratum fuerit, in puram tantummodò *aquam*, ſpiritum Vini reſolutum videbimus: Sal Tartari verò relictum, ſi Aëri expoſitum fuerit, ſolvetur tandem p. d. in puram *aquam* Elementalem.

Salia *Vegetabilium Volatilia*, cum materia ſint Alcaliſati ſalis; hoc verò in *aquam* elementalem ultimatò reſolubile, & ipſa neceſſariò in *aquam* converti poterunt.

Atque adeò nihil eſt in triplici *Animalium Vegetabilium* & *Mineralium* Regno, quod non ex *aqua* natum, & in *aquam* ultimatò reducibile ſit. Unde firma ſtabit hæc & in concuſſa ſententia, *Aquam elementalem, materiale cunctorum ſublunarium & cæterorum eſſe principium.* Nititur hæc ſententia divinâ autoritate. *Moſes* enim ſacer Philoſophus, Univerſi hujus Creationem & productionem narraturus, ita inquit *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*: & poſtea pergit recenſere integrum rerum Creatarum ordinem, *Aquâ tanquam materiali cunctorum cauſa*, & *Spiritu Dei* formante corpora varia ſpecieque diverſa, *ex aquâ* juxta ſeminum eidem immerſorum proprietates. De quo incubante aquis *Spiritu* in ſubſecuris pluribus.

Atque hanc divini Philoſophi circa Naturalium rerum principia, ſententiam ſecuti ſunt poſtea plurimi. Ita enim *Hermes Trismegiſtus* in *Pimandro*; *Erant tenebræ infinitæ in abyſſo*, & *aquæ*, & *ſpiritus tenuis intelligibilis. Heſiodus* docuit primum omnium fuiſſe *Chaos*, tum ampliſſimam tellurem extitiſſe. Quod certè *Chaos Heſiodi*, grayiſſimo-

rum virorum judicio, nil nisi *aqua* fuit, è quâ primo Limus, & deinde solida *terra* ortum traxit. *Homerus*, *Oceanum* & *Thetin* primos facit Deorum parentes, & Deos inducit jurantes per *aquam* stygiam, quasi per rem omnium vetustissimam & honoratissimam.

Thales quoque, primus Philosophorum in Græcia, aquam dixit rerum omnium principium, docente hoc *Seneca*. Natural. Quæst. 13.1.3. his verbis. *Aqua ait Thales valentissimum elementum est, hoc fuisse primum putat, ex hoc surrexisse omnia.*

Neque docere voluerunt aliud Majores nostri veteres illi admodum & Antiqui fabula ista de *Proteo*. Huncce enim *Proteum* narrant Poëtæ *Neptuno pastorem* fuisse, eundemque *Senem* & *vatem*. Vatem sc. præstantissimum & veluti Ter. Maximum. Noverat enim non *futura* solummodo, sed *præterita* & *præsentia*, adeò, ut præter divinationem, etiam omnis *Antiquitatis* & omnium *secretorum Nuncius* atque interpres esset. Morabatur autem sub *ingenti specie* ibi ei mos erat sub meridiem gregem suum *Phocorum* numerare, atque deinde somno se dare. Qui autem opera ejus in aliqua re uti volebat; is non alio modo apud eum valere poterat, nisi eum manicis comprehensum *vinculis constringeret*. Ille contra ut se liberaret in omnes *formas* atque rerum miracula, *Ignem*, *Plantam*, *feras*, se convertere solebat, donec tandem in *pristinam formam* restitueretur. Egregia profectò fabula ad significandum; *aquam cunctarum visibilium rerum principium esse materiale* nempe. *Protei* enim *persona*, *aqua* significatur, omnium rerum post DEUM antiquissima. In Historia enim creationis mundi, sacer Philosophus & Historicus, post DEUM, æternum, Efficientem mundi causam, *aquarum* meminit, super quas spiritus Dei ferebatur. *Neptuni mancipium* dicitur Proteus; aquarum enim præsidem & Dominum Neptunum fingebant Poëtæ.

Ingens *specus* est cœlum. *Pecus* sive Grex *Protei* nihil videntur aliud, quam *Animalium*, *Plantarum*, & *Metallorum species*, quorum materialem causam, solam *aquam* esse, sufficienter satis in antecedentibus demonstratum est. *Protei* verò operâ, nemo uti poterat,

nisi

niſi *vinculis ante conſtrictus* fuiſſet; hoc eſt, non convertetur aqua in diverſas ſpecies, niſi Spiritus quidâm adfuerit univerſi, coagulans ipſam juxta ſeminalium Idearum diverſitatem in corpora ſpecie diverſa (de quo ſpiritu in ſubſecuturis.) Quibus ſpeciebus abſolutis, ſub *meridiem* nempe, quando altiùs pergi non poteſt, *ſomno* ſe dat *Proteus* ſeu quieſcit, donec tandem in *priſtinam formam* reducatur, hoc eſt, corpora ex *aqua* formata, in *eandem* denuò reſolvantur, quod in antecedentibus ſufficienter quoque à nobis præſtitum arbitramur.

Quare nunc tandem, non Experimentis ſaltem manifeſtiſſimis, oſtendimus, particulas illas ſive alimentum Ideis ſeminalibus appoſitas, quantitatemque molis quandam ipſis largientes, meram *aquam* eſſe; ſed autoritate etiam Divinâ hanc ſententiam niti, ex *Moſe* ſapientiſſimo Philoſopho attulimus. Neque Antiquos Philoſophos (forte ex *Moſe* edoctos) *Hermetem*, *Heſiodum*, *Homerum*, *Thaletem*, &c. aliter ſenſiſſe; neque *Poëtarum* veterum fabularum involucris; ſententiam aliam reconditam fuiſſe, luculentur demonſtravimus. Quibus tam Divinis quàm humanis teſtimoniis, ipſisque ſenſibus, ſi quis aſſenſum præbere dubitet, cum hoc non fruſtra litigabimus; qui enim tot Experimentis, graviſſimisque teſtimoniis ſe moveri paſſus non fuerit, hunc certè nihil movebit; aut enim Ratio ipſum deficiet, aut pertinax quoddam impiumque contradicendi ſtudium vexabit.

Ultimum igitur hoc reſtat *unicum*; *ut demonſtremus*, *virtutem illam*, *coagulantem aquam*, *in ſolida corpora*, & applicantem Ideis ſeminalibus, in antecedentibus demonſtratis. Cujus realem exiſtentiam, ortum, vires, determinationem docebimus.

Quemadmodum verò, præter experimenta, antiquorum Philoſophorum ac præcipuè Moſis autoritate, uſi ſumus ad oſtendendum; *aquam* cunctarum rerum materiale principium eſſe; ita non incongruè nos facturos confidimus, ſi breviter oſtenderimus; unanimem hunc præcipuorum Philoſophorum antiquorum conſenſum fuiſſe, „*dari Spiritum quendam cuncta procreantem* (DEUM verò tanquam

quam cunctarum causarum primam hic semper præsupponimus) *quo mediante cuncta vivant & conserventur, cujus item auxilio aqua coaguletur in solida corpora pro seminum varietate varia.*

Hermetem Trismegistum, præter aquam, Spiritus quoque cujusdam tenuis, intelligibilis meminisse in antecedentibus jam monuimus. *Anaxagoras* censuit omnia fuisse prius confusa & indigesta, deinde accessisse *mentem* quæ ea distinguendo & separando mundum effecit. *Homerus* præter *Oceanum* seu Aquam *Thetin* quoque sive Cœlum, primos Deorum parentes faciebat. *Stoici* asserebant omnia quæ sunt in mundo, uno Divino Spiritu procreari, regi atque contineri; quod idem *Virgilius* elegantissimis hisce versibus expressit:

Principio Cœlum, ac terras camposque liquentes
Lucentemque globum Lunæ Titaniaque astra
Spiritus intus alit: totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Hunc fortè Spiritum intelligendo *Hesiodus*, *Amorem* docuit mundi esse principium, quem eundem *Plato* Animam mundi vocavit. *Gentiles* ut est apud *Plutarchum*, Spiritum quendam esse universi, Igneum, non habentem formam, in quamcunque tamen se voluerit transmutantem (de quo etiam *Zoroaster* & *Heraclitus* loquentes, omnia ab unico *igne* genita esse docebant, contenderant. Hinc etiam *Orpheus*, cœlum medium Spiritus hujus ignei lumine illuminatum *Ætherem*. Dixit, quasi *Æthaërem*, seu ardentem Igneumque Spiritum) Præter hæc verò, notatu digniſſima est, ac jucundissima pariter fabula illa veterum Philosophorum de *Cupidine* excogitata, quâ certè, uti solent fabularum involucris, *ardua rerum naturalium mysteria tegere ne vulgo ac indignis pateant*; maximum circa Naturæ incunabula rerumque principia, secretum tacitè docuerunt; quod breviter non pigebit explicare; monendus tamen ante es B. L. per *Cupidinem* hoc loco non esse intelligendum juniorem illum, *Veneris* filium, Deorum natu minimum, sed majorem quendam, ante constitutas species existentem. Fabula ipsa sequenti modo se habet.

Nar-

Narrant ſapientiſſimi majores noſtri, *Amorem* omnium Deorum fuiſſe antiquiſſimum, atque adeò omnium rerum; excepto *Chao*, quod ei coævum perhibetur. *Chaos* verò à priſcis etiam *Cælum* appellatur, nunquam tamen Divino honore aut Dei nomine inſignitum reperitur. Atque *Amor* iſte prorſus ſine parente introducitur; Ipſe autem cum Cœlo vel *Chao* miſtus, & Deos & res univerſas progenuit. A, nonnullis tamen; ovo prognatus, incubante *Nocte* traditus eſt. Ejus autem attributa ponuntur; ut ſit *infans perpetuus*, *cæcus*, *Nudus*, *Alatus*, *Sagittarius*. Vis autem ejus præcipua & propria, ad corpora unienda valet, etiam claves Ætheris, Maris, & Terræ ei deferebantur. Ita narrant Philoſophi Antiqui, ſequenti aſt modo ſe intellectos volunt.

Per *Amorem* intellexerunt *ſpiritum* quendam univerſi, Mundi principium; affirmante idem *Heſiodo*, uti in proximè præcedentibus diximus, ita dictum, quod Spiritui huic inſatiabilis appetitus inſit, innumeris formis ſeu ſeminalibus Ideis ſe conjungendi, juxtaque illarum differentias ſpecificas, indifferens cæteroquin alimentum, Elementalem *aquam* coagulandi. *Sine parente* hic introducitur; quod ipſum ſignificat; nullam prorſus Spiritus hujus eſſe cauſam naturalem cùm naturalibus cauſis aut rebus omnibus prior ſit. (*Deum* verò tanquam cauſam omnium primam & *Naturam naturantem* ſemper hic excipimus) unde omnium rerum antiquiſſimus habebatur, excepto *Chao* quod ei coævum perhibebatur, hoc eſt, *aqua* excepta; hæc enim univerſi hujus ſpiritus coæva extitit, docente ita ſancto Philoſopho ſtatim in principio, ubi ante rerum creationem *ſpiritus & aquarum* meminit, dicens: *Spiritus Dei, ferebatur ſuper aquas*. Ipſe autem *cum Chao miſtus res univerſas progenuit, id* eſt, Aqua hujus coagulatoris ſpiritus beneficio, juxta ſeminum ſignaturas in omnis generis corpora, *Vegetabilia*, *Animalia*, *Mineralia* coagulata eſt, quod ipſum ex antecedentibus aliquomodo conſtare poteſt, ubi ſeminum ſignaturas ſeu Ideas fusè demonſtravimus, oſtendimusq; *componendo* ac *reſolvendo* res naturales; cunctarum materialem cauſam aquam, eſſe. Coagulatorem denique Spiritum explicandi, hic auſpicati ſumus initium. *Nocte tamen incubante ovo* natus *Cupido* dicitur. Nox enim ſeu *tenebræ* rerum creationem præceſſerunt. Ita enim *Moſes*: *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*; & deinde addit: *& Spiritus Dei, ferebatur ſuper aquas*.

Repetit hoc *Hermes* item ac præter hos *Thales Mileſius*; hic enim interrogatus; utra prior fuiſſet nox aut dies? reſpondit; priorem fuiſſe *Noctem*.

Eſt verò *infans perpetuus* ſeu puſillus, *Cupido*. Univerſi enim iſte *Spiritus*, particulis conſtat valde minutis, non adeò grandi corporis mole, qualis ætate provectis competit præditis. *Cæcus* eſt, ſpiritus enim dictus, non habet formarum delectum, cui potiſſimum ſe conjungi malit, ſed cœcorum more ruit in cuncta obvia. Ita in *Vegetabilia*, *Animalia* & *Mineralia* horumque ſemina, citra providentiam influit, movens cuncta ac explicans.

Nudus eſt; Neque enim Vegetabilium, Animalium aut Mineralium ſemina in illo latent; ſed tùm quando veſtitur demùm, & corpus aſſumit, coagulatus, ad normam ſeminalium Idearum, in varia corpora. Hinc eſt, quod aliquibus *informis* dictus ſit hic ſpiritus; & tamen *Omniformis*. *Informis* quidem quod actu nullam formam habeat; *Omniformis* autem, quod indifferens ſit & aptus, ad omnis generis formas, quieſcentes cæteroquin & ſteriles, movendas & fœcundandas. *Alatus*; velox enim eſt iſte ſpiritus, & celerrimè per aëra, alis quaſi ac pennis portatus, in hæc ſublunaria ac inferiora defertur. *Sagittarius* tandem; quia virtute ſua in diſtans agere cernitur; quemadmodum, qui ſagittam in diſtantia loca emittunt.

Hæc erat Gentilium Philoſophorum circa *univerſi ſpiritum*, cunctorum ſeminum motorem, & fœcundatorem ſententia, quem cum *Chao* miſtum cunctarum naturalium rerum efficientem cauſam Phyſicam dicebant. *Moſes* tamen ab ipſo univerſi Creatore ita edoctus, expreſſis verbis exſertoque digito hunc ſpiritum oſtendit, dicens: *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*.

Per hunc *Spiritum*, quid potiſſimum intellectum velit *ſacer Philoſophus* diverſiſſimæ ſane Doctiſſimorum virorum ſententiæ, quas ad tria potiſſimum capita, *Doctiſſimus* redegit *Pererius Comm.* in 1. *Cap. Gen.* §. 60. & ſeq. *Prima* erat *Tertulliani*; hic enim in libro, quem ſcripſit adverſus *Hermogenem*, contendit, per ſpiritum Domini hoc loco non Deum, ſed *ventum* ſignificari. Quæ interpretatio maximè proba-

probatur *Theodoreto*, qui in quæſtione 8. ſuper Geneſin putat, *Moſen* his verbis ſignificaſſe, Elementum *aëris* ſicut tradiderat Elementum *Terræ* & *Aquæ*. Illud autem *Ferebatur*, ait; *demonſtrare mobilitatem & agitationem naturalem ipſius Aëris ſeu venti vel naturalem Aëris ſitum, qui eſt, undique ſupereminere aquis, ipſas circumdando.*

Altera interpretatio eſt fermè omnium *Patrum* tam *Græcorum* quam *Latinorum*, per Spiritum Dei hoc loco, vel ſolum, vel præcipuè ac principaliter ſignificari *Spiritum ſanctum*. *Tertia* interpretatio eſt, per Spiritum Domini ſignificari non Ventum, nec Spiritum ſanctum ſed *vim & impetum, & efficatiam quandam vitalem, & fœcunditatis plenam, aquis impreſſam, à Deo*. Ita ſentit *Chryſoſtomus* homil. 3. in Geneſin. *Auguſtinus* autem in *libr.* ſuper *Geneſin* imperfecto c. 4. ait; *per Spiritum Dei tria poſſe intelligi*; vel *Spiritum Sanctum*, vel *ventum ſive Aërem*, vel *vitalem quandam creaturam*, qua univerſus orbis viſibilis movetur atque continetur. Hæc cum recenſuiſſet ſupra laudatus *Pererius*, lectoris quidem arbitrio exiſtimandum relinquit, in cujus ſententiam deſcendere malit; neque tamen *primam* & *tertiam*, ſecundum ſenſum literalem; *ſecundam* verò ſecundum ſenſum miſticum, maximè ſibi probari diffitetur.

Neque verò neceſſariam eſſe, ut per *Spiritum Domini* ſemper intelligatur *Spiritus Sanctus* ſive Ipſe *DEUS, Trinitatis Perſona*, quam plurima ſacra Scripturæ loca oſtendunt. Quando enim *David*, Pſalm. 147. dicit: Flabit *Spiritus* ejus (*Domini* nempe) & fluent aquæ; nemo profectò dixerit; Spiritum Sanctum dicto loco intelligendum eſſe. Frigore enim conglaciatæ aquæ immediatè non à Deo ſed Solis calore deliquantur & diffluunt. *Eſaias* c. 40. v. 7. ita habet: Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia *Spiritus Domini* ſufflavit in eo. Ubi *Spiritus* ille *Domini*; nullâ ratione accipiendus erit, pro Trinitatis Perſona ſed *vento* potiùs. In his ac pluribus aliis Scripturæ dictis, cum *Spiritus Domini*, uſurpetur; aut pro *vento*, aut *vitali quodam robore*, rebus certis creatis, quid impediet, quo minus locum illum *Geneſeos* c. 1. v. 2. cum *Chryſoſtomo* & *Auguſtino* intelligere liceat *de vi & impetu & efficacia quadam vitali ac fœcundante aquis impreſſa?* præcipuè quidem, cum manifeſtiſſimis pateat Experimentis; ejusmodi

vitalem vim, Elementalem aquam coagulantem, hodiernum etiam & in hunc usque diem reverà existere. Tum verò tantò potiori jure hoc licebit, quod *Moses* primo illo capite *Geneseos* historicè referat, Mundi, rerumque naturalium creationem, neque figurato locutionis genere, quale in Cantico Canticorum est, utatur, sed res gestas saltem referat; unde nulla *necessitas*, quare Spiritus ille Domini, pro ipsa Dei Persona accipi debeat. An non verò mystico sensu, pro Spiritu Sancto piè satis accipi possit; nullum quidem inter Theologos est dubium: modo qui ita sentiunt, non mordicus ac præfractè ita eam contendant Scripturæ esse propriam, ut aliam quamlibet, suæ, vel adversam vel diversam, contendant Scripturæ esse contrariam. Malè enim de Scriptura merentur certè (judicium est Doctissimi *Pererii*) qui loca, salvâ Christianâ fide, variarum sententiarum ac interpretationum capacia, ad suæ opinionis & ingenii angustias coarctare volunt, sæpiusque dimicant obstinatè pro sua potiùs, quàm Scripturæ sententiâ, cùm tamen monente Div. *Augustino* c. 18. l. 1. in Genesin; *non tam eam, quæ nostra est, quàm quæ Scripturarum esse comperta fuerit, nostram esse velle debeamus.*

Quemadmodum enim docente eodem *Augustino*, si ratio contra Divinarum scripturarum autoritatem redditur, quantumlibet acuta sit, fallitur verisimilitudine, nam vera esse non potest. Ita manifestæ certæque rationi, si velut sacrarum literarum opponitur authoritas, non intelligit, qui hoc facit: & non Scripturæ sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potiùs objicit veritati, nec quod in ea, sed quod in se ipso, velut pro ea invenit, opponit. Et in hoc certè cunctis elaborandum, circa Mosis historiam creationis occupatis, non Theologis minùs quàm Philosophis est, ut nihil constanter sentiant dicantve, quod repugnet manifestis Experimentis & Rationibus Philosophiæ vel aliarum disciplinarum. *Vero* enim *verum* semper *congruit*, nec potest veritas sacrarum literarum veris rationibus & Experimentis Naturalis Philosophiæ (cujus ipse DEUS non minus autor est) esse contraria. Quare & idem *Augustinus* autor nobis est, ut quicquid sapientes hujus mundi, veraciter de natura

rerum

rerum demonſtrare potuerint, oſtendamus: ſacris literis non eſſe contrarium.

Quod certè, ſi in loco ullo, ſacrarumque literarum explicatione obſervandum, in primi Capitis *Geneſeos* interpretatione, nulla ratione negligendum eſt. Eſt enim hocce *primum Geneſeos Caput, omnis naturalium rerum cognitionis fundamentum, è quo* unico *capite totius ſapientiæ Divinæ pariter ac humanæ, primordia & origines rectè depromuntur. Rabbini* ipſi in c. 1. Geneſeos Moſaicæ, plus agnoſcunt myſteriorum Naturalium, quàm in omni barbarica Philoſophia, tantum ſubtilitatis, ut nemini ſuorum ante annum ætatis trigeſimum lectionem ejus temerè judicent indulgendam.

Cum enim Dei Creatoris omnipotentiam Sapientiam, bonitatemque immenſam, non melius poſſimus cognoſcere, quam ex iis operibus, quæ ipſe, bonitatis ſuæ, Sapientiæ, omnipotentiæ teſtimonia eſſe voluit; ita quoque Divinorum operum nullam certiorem habere poterimus cognitionem, quam ex iis ipſis verbis, quibus creationis hiſtoriam ipſe DEUS à *Moſe* conſignari voluit: *Atque adeò in pietatem Chriſtianam peccare videntur illi*, qui rerum Origines & cauſas, ex puditis Gentilium lacunis, vel proprii cerebri labyrintho haurire malint, quam limpidiſſimâ illâ *Moſis*, *Prophetarum* ac *Pſalmorum*, ac præcipuè etiam *Hiobi* ſcaturigine, (quem librum ſunt, qui *Moſen* ſcripſiſſe velin) Quam nos voluptatem, ipſis libenter absque invidia ulla relinquimus, ſi modo honeſta quædam voluptas, animum explens dicenda eſt.

Tutiſſimâ certè viâ, ingredi videntur illi, qui manifeſtiſſimis inſtructi & *rationibus* & *Experimentis*, ſententiæ ſuæ veritatem in ipſa Creationis Hiſtoria radicatam eſſe, oſtendere poſſunt.

Sed ad rem ipſam accingamur, & cum invictiſſimis *Experimentis* ac *rationibus* veriſſimum ſit; dari quendam *Univerſi Spiritum*, cuncta Semina moventem & fœcundantem, & Aquam Elementalem in duram ac ſiccam ſubſtantiam coagulantem; nemo facilè vitio nobis vertet, ſi præeuntes *Chryſoſtomum*, *Auguſtinum*, alios-

aliosque secuti, *Spiritum illum Domini*, capit. illo primo Mosis, vers. 2. dictum: pro virtute quadam fœcundante semina, ac Aquis incumbante acceperimus, quem aliàs *Cœlestem Spiritum*, in hæc inferiora effusum, appellare consuevimus: Item *Ignem Universalem*; quæ, & plura ejus nomina alia, insubsecuturis videbimus.

Quatuor verò præcipuè sunt; *brevissimè* quantum citra obscuritatem fieri poterit, de hoc Spiritu dicenda: *Primò*, Origo ejus ostendenda, *Deinde* Nomina ejus varia explicanda; *Tertio*, ostendendum; eundem causam esse perfectionis, omnium rerum, & *Quarto* denique quomodo, quâve virtute corpus assumat, & aquam coagulet; quomodo idem specificetur; & quod ejus separatione factâ, corpora cuncta in Aquam Elementalem redeant.

Originem quidem quod attinet, non hîc quærimus primam, à solo Deo petendam; sed ex quo potissimum fonte, opere creationis absoluto ad hunc usque diem in sublunaria hæc, haud interrupte defluxerit. Atque hunc dicimus esse *Solem*. Hic enim nisi radios suos, & vitalem illorum vim, per totum orbem spargeret, cunctis viventibus necessariò & subito emoriendum esset. Quamvis enim cuncta, ex præexistentibus generentur seminibus, uti in antecedentibus fusè satis demonstratum est, *semina tamen nunquam in actum vegetationis deducerentur, sed æterno sopita somno quiescerent, nisi motore quodam Spiritu instructa essent explicante eadem.* Quæ motoris Spiritus particula per traducem propagatur, neque deserit semen, usque in extremam sui annihilationem, at verò non sufficeret Spiritûs hujus tantilla particula, vegetationis operi integrè absolvendo, nisi à *Solaribus* radiis incubantibus multiplicaretur.

Manifestum hujus rei testimonium præbet Hyems. *Sole* enim longiùs à nobis recedente, ut radii ejus non adeò directè ac perpendiculariter Terram, feriant, *omnia Semina Terræ visceribus concredita torpent ac dormiunt*? anne vegetabilia marcescunt; *folia, flores ipseque tandem vitalis succus arbores deserunt*? Anne Animalia

ipsa

ipſa vigorem ſuum amittunt? *aves, ac præcipuè hirundines, omni vitali Spiritu ſufflaminato, ad maris littora, ſenſus omnis motusque expertes quieſcunt?* Aſt verò redeunte iterum verno tempore, ad nos *Sole*, bone Deus! quæ quantaque mutatio rerum obſervàtur. Semina germinare incipiunt, & veternum excutiendo, ad motum ſe accingunt; Variique generis vegetabilia herbæ arbores foliis ſuis floribusque ornatæ, è tumulo reſurgunt. Animalia hirundines, motum ac ſenſum recuperant. Quicquid denique orbis habet vitæ capax, vita donatur.

Quæ certè omnia, abſente ac præſente *Sole* fieri videmus. *Unde inevitabilis nos cogit neceſſitas; tenuiſſimas, maximeque mobiles ſubſtantias, ſ. Spiritum quendam Univerſalem vitæ plenum, in ſolis radiis exiſtere, ut concludamus*; qui ejusdem cum illo, in fœcundis rerum Seminibus præexiſtente naturæ ſit, alioquin non poſſet hunc movere. Quod ipſum cum obſervarent Sapientiſſimi Majores noſtri, dicebant elegantiſſimè certè; *Solem verno tempore parentem ſuum ſenio aggravatum, & ex hyberno frigore admodum debilem, & ponè emortuum calefacere & vivificare.* Neque verò vis alia eſt & diverſa, quam *Aſtra* largiuntur, à Solarium radiorum virtute; cùm enim ipſa eandem à Sole acceperint, eandem reddunt.

Cùm itaque cuncta ſemina univerſali hoc motore orbata ſterilia eſſe viderent, iidem Majores noſtri, *ad hominis generationem non hominem tantum requiri* docebant; *Sed Solem quoque.* Non quòd hunc crederent ſemen humanum cœlitus ad nos deferre, ſed utſemina hoc ipſa fœcunda reddi docerent, ſterilia cœteroquin.

Poſuiſſe verò hunc *vivificantem & Igneum Spiritum* Summus rerum Creator ideo in *Solis* globo videtur, ut ex eo tanquam adſpectabilis mundi centro ſ. medio vivifica vis, tantò commodius in cœtera univerſi corpora dimanare poſſet. Eſt Igitur *Sol* in macrocoſmo, quod *Cor* in Microcoſmo, & virtus ab utroqe defluens, ſpecie eadem. Vis enim vitalis cordis ſ. *Innatum Calidum* communiter dictum, eſt tanquam rivulus ab univerſali fonte *Sole* emanans, omniaque

que illa in ſuo Microcoſmo analogicè operans, quæ pater ejus in Macrocoſmo operabatur.

At verò cum omnis agentis virtus immediatè debeat adeſſe patienti, *Sol verò* tot à nobis diſſitus paraſangis conſpiciatur, quodnam quæſo medium eſt per quod vitalis illa vis in hæc ſublunaria defertur? *Et certè præter Aërem nullum hoc eſt aliud.* Hinc enim tam neceſſarius nobis eſt *Aeris* uſus: & cum *Ventus* revera nihil aliud ſit, quam aër motus, idem utriusque commodum erit & venti & aëris. *Aer* enim vehiculum quoddam ac veſtimentum eſt, vitalis Spiritus, quem niſi ad nos continuo deferret, marceſcerent Plantæ, interirent animalia, univerſus denique mundus langueſceret.

Ventus certè, quam ſit ad vegetabilium vigorem & incrementum neceſſarius, & vulgò notum eſt, non item quare tanta ejus ſit neceſſitas. Nulla verò hæc eſt alia quam quod *ventus portet in ventre ſuo* (uti loquuntur Philoſophi) *Vitæ Spiritum, & calidum motorem, innatum* cuilibet ſemini *calidum* moventem. Neceſſitatem hancce Aëris elegantiſſimis certè Experimentis demonſtravit, Præ-nobilis Dn. *Otto* de *Guericke*, in *Experimentis* ut vocantur *Magdeburgicis*. *Uvas hic vaſi* vitreo immiſit, aëremque extraxit atque ita obſervavit, omnem ſaporem easdem amittere. *Idem, Paſſerem, aere* privato vaſi, incluſit, qui illicò, aperto noſtro Spiritum difficilius ducere viſus eſt, tandem verò ſine omni anhelitu diſtento noſtro ſtetit, hocque oris habitu immutato quietus omnino, vitali cordis flamma exſpirante, ipsâ vitâ privatus concidit. Quemadmodum enim, uti jam laudati Dn. de *Guericken alio experimento edocemur*, flamma candelæ excera alba factæ, ſimilique vaſi impoſitæ, pedetentim una cum exſucto aëre contrahitur & conglobatur; donec tandem cum cœruleo colore ad cacumen Ellychnii provecta extinguatur, propterea quod in locum extracti cum aere vitalis Spiritus, ejusdem ſubtilioris licet, cum flamma materiæ ac naturæ; flamma Ellychnii concedat: *Ita quoque flammula noſtra vitalis, certo certius ac ſubito quidem extingueretur, niſi à vitali Aeris Spiritu conſervaretur & multiplicaretur.*

Quare

Quare non ideo tantùm aëre indigemus, quod multis visum est Anatomicis circa Pulmonum usum occupatis, ut hoc ipso tanquam vehiculo quodam sylvestres è sanguine fervente particulæ, foràs eliminentur, in exspiratione aëris; Sed potissimum, ut occultus ille vitæ cibus aëre vestitus, à nobis inspiratione attrahi, cordi inspirari, adeoque *innatum* ejus *calidum*, *Ignisque particularis* ab hoc *universali* foveri, vitaque ipsa conservari possit.

Neque *Metalla* & *Mineralia* absque aëre universi hoc Spiritu insignito, augmentum aut multiplicationem capere possent, ut jure ac merito à majoribus nostris dictum sit: *Mineras rerum, radices suas in aëre habere, caput autem & verticem in terra. Ferri Nitri* v.g. mineræ, omninò ferè consumptæ, dierum cursu, insigne incrementum nactæ deprehenduntur, quarum cunctarum nutrimentum ac materiam, quamvis in antecedentibus ostenderimus *Elementalem Aquam* esse, nunquam tamen hæc ipsa, in duram solidamque *ferri Nitri*, substantiam, suâ sponte ac virtute propria, coagulari posset, nisi hic *universi motor* ipsam coagularet. *Sol igitur Parens est Spiritus hujus: Aër medium s. vehiculum ejus, quo ad hæc sublunaria deportatur.*

Quemadmodum verò *Sol* hujus Spiritus Pater dicitur à Philosophis, *ita Luna ejus mater* ab iisdem appellatur, *ideò* quidem *quod Luna humido ac aquis præesse credatur, in aquam verò potissimum hic universi Spiritus, vires suas exserat*; hic enim *Spiritus* est, qui Aquam in corpora pro seminum diversitate varia coagulavit, & se habet ad Aquam, ut Mas ad fœminam, forma ad materiam.

Etsi verò hic Spiritus natura sua unicus sit; varia tamen nomina (quod dilectissimis parentum liberis præ cæteris contingere proverbio dicitur) accepit. *Ita Mercurius appellatur*, quia cui se applicat ejus naturam suscipit, *informis* per se, *Omniformis* autem propter aptitudinem, quâ omnibus formis applicari, ac ab iis determinari potest. *Catena aurea* quia hoc mediante *Spiritu*, superiora cum inferioribus conjunguntur. *Ignis*, quod parens ejus *Sol* reverà ac formaliter *igneus sit, unde filius ejus non potest non esse igneus, ejusdem nempe cum patre naturæ.*

Solem quidem formaliter calorem non habere, aut Igneum esse, sed eminenter tantùm, acerrimè disputant *Peripatetici*, quo jure aut veritate ipsi videant. Longè certiora sunt Experimenta illorum, qui *Solem igneum esse* dicunt *formaliter talem*; quomodo enim quæso alioquin Solares radii concentrati, illa præstarent omnia, quæ Ignis culinaris? Et præterea manifestissimè hoc docent observationes Celeberrimorum Mathematicorum, *Ottonis* de *Guericken*, *Kircheri*, *Riccioli*. *Solem* nempe, circa proprium axem, incomprehensibili celeritate *motum*, *beneficio telescopiorum sæpius observatum esse vehementer ebullire, & ab hac vel altera parte in formam montis protuberare, interim autem se subito in ordinariam rotunditatem convertere*, haud aliter ac si intus concepta intrinsecus luce rumperetur, & in fulguris morem, effulgeret, jubare momentaneo subsultans, flammamque emittens; quibus quid potest esse manifestius? ac proinde, quidni universi Spiritus à Sole indesinenter, in & per cuncta diffusus Ignis appelletur.

Deinde etiam, omnes ac singulæ istæ misti particulæ; quæ ad velocissimum motum concitatæ, Ignem nostrum culinarem constituunt; olim hujus universi Spiritus particulæ fuêre, & à solari globo emanârunt; unde necessario sequitur; & ipsum Ignis fontem Igneum esse; quanquam in certo mixto, quæ sunt Ignis particulæ jam determinatæ sint, à proprio mixti semine, unde *Particularis hic Ignis* appellatur à Philosophis, quemadmodum ille nondum certo individuo insitus *Universalis* nominatur.

Hinc docebant sapientissimi majores nostri; *cuncta propter incluſum in se Calorem vivere & nutriri*; hic enim rebus cunctis, attactu etiam frigidissimis inest, & à vulgaris Ignis calore, solâ particularum quiete, aut potius motu tardiori discernitur, actionum cæteroquin naturalium autor unicus. Atque ex his quoque intelligitur; *quare idem Spiritus dicatur inextinguibile & incombustibile Sulphur*, hoc enim naturâ suâ est *Ignis* quidam *latens*, *motu* ad conflagrationem *excitandus*; illud verò universi *incombustibile* est, propter indesinens & ad diem novissimum usque, à *Sole* suppeditandum ali-

men-

mentum. In *animalibus* potiſſimum appellatur *Calidum innatum*, quod hujus Ignis particula, animalium ſeminales Ideas comitetur in ipſum animalium uterum usque, fœcundet illas, explicet, alimentum apponat, adeoque nobis connaſcatur, quod poſtea in homine lucem ingreſſo, alimentis commodis, tùm aëris præcipuè inſpiratione conſervatur & multiplicatur.

Atque ut rei compendium faciam, variaque nomina ac ferè innumera, quibus unicus hicce Spiritus inſignitur, aliis explicanda relinquam, qualia ſunt *Sol centralis*, *Avis Hermetis*, *Ignis Sapientiæ*, *Archæus*, *&c.* elegantiſſimè *appellatur Natura vel Leo viridis.* Hujus enim motoris beneficio, prata æſtivo tempore venuſtiſſimâ viriditate gaudent ac ſuperbiunt arbores; cuncta enim geminare facit. *Leo verò appellatur, propter robur, quo cuncta movere poteſt, & penetrare*: quod *Hermes Triſmegiſtus* docuit, appellando illum in *Tabula Smaragdina*; *Totius fortitudinis fortitudinem fortem.*

Hic itaque Spiritus, reverà omnium perfectionum corporis naturalium principium eſt ac autor, in triplici Naturæ Regno. *Hujus beneficio vivimus, nutrimur & ſimile nobis gignimus.* Sole quidem meridiano clariora ſunt, quæ demonſtravimus ante, de Ideis ac ſignaturis rerum ſeminalibus, quod nempe hæ ad omnium ſpecierum conſervationem radicaliter ſufficiant, & neceſſariæ ſint, cujus rei plurima quæ ibi videri poſſunt, adduximus & Rationis & ſenſuum teſtimonia. At verò ſteriles, eſſent in æternum Ideæ iſtæ ſeminales & infœcundæ, niſi motor quidam accederet ac eaſdem explicaret; quem non ignoravit certè *Ariſtoteles*, quando de animalium generatione ita differit. *Ineſt*, inquit, *in ſemine omnium, quod facit, ut fœcunda ſint ſemina, videlicet quod calor vocatur*; *Idque non ignis, nec talis aliqua facultas eſt*; *ſed Spiritus qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur*, & *natura quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondet elemento ſtellarum, nempe illud, cui anima & virtus plaſtica proximè inſunt, neque hic ſenſu deprehenditur, neque ejusmodi humor eſt qui in coitu prodire cernitur, verum quid ſpirituoſum & cœleſtis naturæ in eo latens.* Neque difficile foret innumeras alias graviſſimorum Philoſo-

phorum autoritates, Ariſtotelicæ addere, ſi in re propria luce clara hoc ipſum liceret.

In *Generatione* certè *animalium* res clariſſima eſt. Quod ſi enim animalium ſemina prolifica cæteroquin ac fœcunda, unicum ſaltem minimumque temporis momentum, aperto aëri exponerentur, eodem momento omni fœcunditate privarentur; propterea, *quod Univerſi iſte Spiritus in aere habitans, fratrem ſuum illicò ad ſe raperet, hic quoque quod nondum incorporatus facile ſequeretur.* Hinc provida mater natura, talem uteri formavit ſtructuram, *ut poſt conceptum prolificum*, internum ejus orificium arctiſſimè claudatur, neque ullus externo aeri aditus ad uteri penetralia pateat, *ſecus ſi fieret, fruſtra inde fœtus exſpectaretur.* Quando verò eo, quo naturaliter debet modo intra carceres uterinos conſervatur non torpet otio, ſed illicò Idearum, quibus deſtinatus, explicationem aggreditur, & cum à primo formationis puncto incipiat nutriri & creſcere fœtus, *hic ſpiritus ſingulis muſculis ac partibus aſſiſtens, alimentum fœtui apponit, usque dum adeò anguſti carceris pertæſus*, in lucem publicam prodeat.

Cum tamen tantilla hujus vitalis ignis particula, quæ humanis Seminibus inerat, non potuiſſet per ſe ſufficere, ad integram humani corporis Ideam evolvendam, & particulas alimenti apponendas, auxilio utebatur ſpiritus matris, à quo multiplicatus tantò reddebatur robuſtior. Quod ipſum ne cui obſcurius videatur, conſideret velim quæ in antecedentibus circa Idearum doctrinam aſſeruimus: *Vitalem* matris, ac fœtus in utero conſtituti animam, *revera unicam eſſe, propter* ſubjectorum tamen numerum adeòque per accidens tantum numeroſam dici, *quemadmodum diverſis ac ſeparatis lignis accenſis, igni numerus tribuitur, qui tamen conjunctis lignis, ſaltem unus eſt.* Homine itaque hanc lucem ingreſſo, idem ſpiritus eſt, qui alimentum aſſumtum in partium ſubſtantiam convertit, qui in utero (alimenta verò hæcce omnia quod materialiter nil nisi aqua ſint, in antecedentibus ſatis demonſtratum eſt) Conſervatur verò tum & multiplicatur haud interruptâ aëris inſpiratione uti in præcedentibus

bus diximus. Neque adeò vivimus ſaltem ac nutrimur hujus Ignis beneficio; ſed & ſimile nobis gignimus, quod enim ſæpius jam dictum; cuncta prolifica ſemina, hoc motore explicantur.

Harum verò actionum omnium, quemadmodum hic ſolus & unicus autor eſt, *individui nempe ac ſpeciei conſervator*; ita eodem labefactato aut ſuppreſſo, ipſæ vitales actiones labefactantur & ceſſant, ſive quod idem eſt morimur. *Mors enim nihil eſt aliud quam Calidi noſtri innati à cauſa morbifica ſuppreſſio*, quod cuilibet accuratius intuenti clarum erit. *Neque alia eſt opera Medici, in morbis ſanandis, quam ut hoſtilem, ſpiritui noſtro motori interitum minantem cauſam, aptis remediis tollat, ita Calidum noſtrum innatum, vitalis ſpiritus, Natura* hoc onere ſublevata *victoriam reportabit, cuncta heterogenea ac inimica ſubiget*, vel uti communiter dicitur humores coquet.

Quemadmodum talem *innati* partibus calidi, virtutem, in externis vulneribus ſanandis quotidie videmus. Cum enim vulnus fit, ſanguis extravaſatus ad contactum aëris aceſcere ac corrumpi incipit, unde inflammatio, quæ niſi tempeſtivè tolleretur tandem in gangrænam & ſphacelum abiret, ſ. *innatum* partis *calidum* ſupprimeret, quo ſuffocato, moriretur iſta pars. Quibus malis avertendis nullum auxilium afferre poteſt Chirurgus aliud, quam ut commodis medicaminibus, hoſtilem innato partis calido aciditatem, è ſanguine putrefacto profectam tollat, ita inflammatio, dolor, & quæ alias imminebant pericula procul arcebuntur, & ipſe ſpiritus partis, in libertatem aſſertus vulnus ſanabit, ac carnem (*quod in nullius medicamenti poteſtate eſt*) generabit. Sed de his alibi; nihil enim hic obſervandum aliud, quam, *quod Vivamus Nutriamur ac ſimile nobis gignamus, hoc unicè hujus Univerſi ſpiritui tribuendum* eſſe.

Vegetabilium deinde *Semina* non minus, quam Animalium, particulam hujus Spiritus deſuper immiſſi poſſident; quæ Solis actione calefacta, vitam acquirit, ac evolvit Idem vegetabilem ad

certum quantitatis terminum ; *quam molis quantitatem è Sola Aqua mutuantur vegetabilia*, uti pluribus in præcedentibus demonſtratum eſt ; Hæc verò, hujus Seminibus innati calidi ac ab univerſali ſpiritu conſervati & multiplicati beneficio, coagulatur in partes pro Idearum varietate varias. Neque aliter ſe res habet *in mineralibus, quorum incrementum ex Aqua eſt, ab univerſi ſpiritu coagulata*, uti ex præcedentibus non poteſt eſſe obſcurum.

Atque adeò *unicus* revera *Spiritus* eſt in omnibus tribus Naturæ Regnis qui dominatur. *Neque alius eſt ſpiritus quo vivimus, ab eo quo nutrimur & ſimile nobis gignimus.* Neque alius coquit Calor in *hepate*, alius in *Corde*, alius in *muſculorum* ſubſtantia. Neque natura ſua diverſus eſt ſpiritus Elementalem aquam in *Vegetabilia* coagulans, ab eo qui eandem aquam in *Mineralia* convertit. Atque hinc erat quod *Democritus Orpheus* & multi *Pythagoreorum*, quoniam hujus cœleſtis virtutis particulam omnibus creaturis inferioribus ineſſe percipiebant, omnia Diis plena eſſe opinati ſint. *Deos verò omnes ad unicum reducebant Jovem, ut docerent ; omnes vitæ actiones, ab unico univerſi ſpiritu regi ac conſervari.* Quamvis verò reverâ *unicus* ſit hic *ſpiritus* ; adeoque, *antequam incorporetur indifferens ad omnia tria Regna fœcundanda, ſpecificationem tamen acquirit ſ. determinatur pro ſeminum determinata natura.* Ita ſi conjunctus fuerit cum ſemine *Vegetabili ſit ipſe vegetabilis*, ſi cum ſemine *Animali* aut *Minerali* ſit *Animalis & Mineralis.*

Quare verò adeò facile cum ſeminibus conjungatur ; ratio aliquo modo patere poteſt ex antecedentibus ibi enim diximus ; ſingulis ac cunctis fœcundis ſeminibus, particulam hujus motoris ſpiritus connatam eſſe ; unde fit ; ut hicce univerſalis particulari iſti & determinato facilè conjungatur & ſimul determinetur. Et poſtquam rerum *Semina* verè & arctè cum hoc *ſpiritu* conjuncta fuerint, nullâ ratione naturaliter ſeparari poterunt, ſed perpetuo conjuncta manebunt, quod ipſum ſummo ſtudio tenendum erit, cum ad plurimarum rerum cognitionem perneceſſarium ſit. Atque hinc eſt quod *Vegetabilium ſulphura, toto cœlo differant à Mineralium, & hæc ab Anima-*

Animalium ſulphuribus, neque inter ſe invicem ulla humana induſtria transmutari poſſint.

Si cui verò hæc adeò arcta *ſeminum* cum *ſpiritu iſto* l. *ſulphure* (ſynonyma enim hæc eſſe jam ante oſtendimus & pluribus patebit è ſecuturis) conjunctio, paulò viſa fuerit obſcurior, *attendat quæſo quæ veriſſimè demonſtrata ſunt ab Experientiſſimo Tachenio, quod nempe cunctarum rerum Seminalis virtus Acida ſit, & quod propterea Acida ducant Alcalia pro ſuo arbitrio*, quod ipſum experimentis variis ex Acido *Silicis*, *Oleorum*, *Granorum Chermes*, *Vitrioli*, *Aluminis*, *Salis communis*, *Aceti deſtillati*, in unius generis Alcali regeneratorum pulchrè oſtendit; *tum verò ſenſibus aliquantò manifeſtius ex Nitro peti poteſt experimentum*, hujus enim *acido ſpiritui* quæcunque etiam conjunxeris *Alcalia* propria figura etiam inſtructa, omnia tamen à *Nitri Spiritu* ſ. Acido Sale mutabuntur in *Nitri formem* h. e. Cylindricam ſex facierum, formam. *Neque ratio alia eſt quare in fermentatione Salis Tartari cum Tartaro crudo bullæ, naturales uvas referentes, conſpiciantur; quam quod Acidus Tartari crudi ſpiritus, Seminalem adhuc Vitis proprietatem quandam, in ventre ſuo portet.* Quemadmodum enim dictus Tartari Acidus ſpiritus, *Solis filius*, cum adhuc in vite exiſteret, pro Seminis ſibi concrediti Ideis, uvas formabat ex aqua elementali; Ita idem ſpiritus coagulatus & corporeus factus, à vite ſeparatus etiam, oſtendit in dicta fermentatione cujus Naturæ Semini, determinationem ſui debeat, & quam arctè cum Semine vitis conjunctus ſit.

Horum verò, tum in præcedentibus quoque dictorum Veritas, non patebit clarius, quam ſi penetralia Spiritus hujus penitius adhuc rimati fuerimus, & oſtenderimus; qua præcipuè virtute aquam convertat induram ſolidamque ſubſtantiam, & quomodo ipſe corporeus fiat. Quod ipſum quidem non ita accipiendum eſt, ac ſi *Spiritus iſte Univerſi* omnis corporeæ molis, prout Spiritus propriè ſic dicti, exſpers ſit, & aliquando corpoream molem induat; nemini enim hoc in mentem veniat; Sed quod ſpirituoſæ iſtæ particulæ, corporeæ, minutiſſimæ, ac *Ignis* ille *inviſibilis à quo* Heraclitus *cuncta geneita docebat*, aqueis particulis incoagulatæ, viſibiles fiant. Alioquin

ipſos

ipſos Solares radios corporeos eſſe, illorum concentratio manifeſtè ſatis docet; *hâc enim verus producitur Ignis corpus noſtrum afficiens, urens, non ſecus ac Ignis culinaris.* Jam verò in antecedentibus, plurimis ſtabilitum eſt experimentis *Ignem nihil eſſe aliud quam velociſſimum motum particularum acidarum adeoque corporearum*, unde certiſſima colligi poterit conſequentia, *& ipſum Solarem Ignem acidarum particularum motum eſſe.*

Sed videamus hæc clarius, ac oſtendamus, ſubtiliſſimas Univerſi ſpiritus particulas corporeas, natura ſua *Acidas* eſſe, atque hâc *acida* virtute; Aquam in corpora ſolida & ſicca coagulari.

Rerum quidem concretiones ac coagulationes, cuinam potiſſimum principio acceptæ ferendæ ſint, diverſi diverſa ſentiunt. Potiſſimorum tamen eò tendunt ſententiæ, ut *Salino* cuidam principio easdem deberi profiteantur; *quanquam quod pace illorum dixerim*, hoc ipſo nondum expleantur curioſorum deſideria. Cum enim *Salium* non unicum genus ſit, explicari certe debebat, cui potiſſimum Salium generi coagulationes rerum tribuendæ ſint. Tria verò potiſſimum ſunt *Salium* genera. *Alcalia, Acida, Neutra*, è quibus unicum *Acidum* eſt, cui rerum coagulationes debentur, *Alcalia non tam coagulant quam coagulantur*: *Neutra* ſeu ex Acido & Alcali quæ conſtant, non tam coagulantur nec coagulant, quam ſolvendis corporibus apta ſunt. *Acida verò rodunt & rodendo* coagulantur.

Acidi Salis virtutes in *coagulandis* rebus ac volatilibus *figendis* quantæ ſint, qui ſcire deſideraverit, ſingularia ſaltem inſpiciat, atque experimenta obvia, nec dubitabit amplius.

Salia Cornu Cervi volatilia Ammoniaci, quamvis ſummè volatilia ſint, ab Acidis tamen ſpiritibus ſ. ſalibus adeò figuntur, ut apertum aliquamdiu ignem ſuſtinere poſſint: additione autem Alcaliſati Salis, quando *Acidum figens* denuo ſeparatum fuerit, in priſtinam volatilitatem redeunt fixata Salia.

Antimonii Sulphura, quæ acidis ſuis particulis volatilibus, ac tenuioribus, ventriculi ac inteſtinorum tunicas convellendo, vomitus excitare, ac per inferiora ad excretionem alvum incitare ſolebant,

bant, *Acidis Nitri Salibus adeò figuntur*, ut magnæ virtutis diaphoretica evadant. *Neque ullum absque acido coagulati corporis afferri potest exemplum.*

Acidum Sal & *Sulphur* est plumbi, quod mercurium *coagulat*, atque quadantenus *figit.*

Acidum Antimonii sulphur est, quod eundem mercurium in purpureum pulverem s. cinnabarim coagulat. Nec minus *acidum* sulphur est, quo semetipsum *coagulat* mercurius, digestis aliquandiu.

Acidum Sal est, quod impediet, nep. d. fluant Salia & dissolvantur in Aquam elementalem. Quod si enim violento nimis Igne calcinata fuerint *Alcalisata*, magnam *coagulantis acidi* volatilis jacturam facient, & exposita aëri, facillimè in aquam solventur; *quod ipsum præcavetur, si loco amissi acidi aliud reddatur. Alcalisatis* enim Salibus si in calcinatione tantillum saltem *Sulphuris* (Acidi) additum fuerit, non adeò facilè p. d. solventur. *Atque hinc est, quod Tartarus crudus vel cremor Tartari p. d. non solvantur, magnâ enim acidarum particularum copiâ, vel Solo gustu manifestè satis perceptibili, gaudent. Quod si verò Ignis & calcinationis auxilio hæ separentur* (hinc acidiusculus ille in spiritus Tartari præparatione liquor (*haud difficulter in aquam abibunt.*

Acidum item Sal est, quod Urinæ alcali coagulat in calculos. Hinc enim *Acida vina* tantum calculosis detrimentum afferunt, *Spiritus vini rectificatissimus si cum Urinæ Sale conjungatur, aliquot mensium leni digestione calculus inde prodit* (Lapis animalis aliquibus dictus) *punicei coloris; hujus quatuor partes, novam spiritus Urinæ partem unam, in suam substantiam convertunt; & denuò hujus partes quatuor aliæ, aliam spiritûs urinæ partem coagulabunt, & ita in infinitum.* Hæc verò *coagulandi* vis atque potestas, ex *acido* Spiritus vini proficiscitur, coagulante alcali Urinæ. *Neque aliter generatur calculus in corpore humano.* Hinc enim crebræ istæ calculosorum stranguriæ ab *acido* ortæ, ac oleosis, acidumque temperantibus tollendæ. Neque alius naturæ sunt, quibus ipsi Nephritici dolores sopiuntur.

Acidum Sal est, quod silices, lapidesque omnes coagulat. In calce

enim viva, non alcalia tantum latere Salia ſed *acida* quoque, actio illa ac reactio particularum aquâ affuſa docet, adeò ut *Ignem* quandoque emittat, hic autem ſine *acido* Sale nullus eſſe poteſt. *Atque hoc calcis vivæ acidum eſt, quod è parietibus recenter dealbatis, neque adhuc exſiccatis, per aërem vagatur, & cum aere ſimul attractum, vel pulmones exulcerat, vel vitalem noſtrum Ignem ſupprimendo ac figendo mortem affert*, quod aliquibus contigiſſe, dormientibus præſertim, experientia conſtat.

Acidum Spiritûs vini eſt, quod ſpiritus potantium *figendo*, ſoporem, ac nonnunquam mortem cauſatur.

Acidum Carbonum candentium ſulphur eſt, quod itidem *figendo* particularum ſubtilium ſ. ſpirituum noſtrorum motum, *ſuffocat*; cujus varia exempla ab aliis conſignata videri poſſunt.

Acidum Opii ſulphur eſt, quod figendo ſpirituum motum, ſomnum conciliat, tempeſtivè adhibitum; intempeſtivè verò mortem.

Acidum fulminis ſulphur eſt, quod ſpiritus *figendo* & *coagulando Catochen* quandoque attulit. *Et ominum certè ſoporoſorum melancholicorumque morborum cauſæ, in unico figente ac coagulante acido Sale quærendæ ſunt.* Sed mittamus illa quæ ad Pathologiam ſpectant, & revertamur in viam, unde digreſſi ſumus.

Lacti ſi Alcaliſatum Sal injectum fuerit, *Helmontio* atque experientia teſtibus, butyrum inde non impetratur, quia *Acidus coagulator ita abſumitur.*

Quæ cum ita ſint, neque ullum contrarium poſſit afferri exemplum; non dubito confidentiſſimè affirmare, & illum *Univerſi ſpiritum, aquam, in vegetabilia, animalia mineralia coagulantem, Acidum eſſe.* Atque ab hac ſententia majores noſtros ac ſapientes, non alienos fuiſſe, non pauca veſtigia docent. Hinc enim Univerſi *iſtum ſpiritum appellabant Sulphur incombuſtibile & inextinguibile, Ignem Calorem*; Sulphura verò omnia, natura ſua acida eſſe, atque in hatum acidarum particularum motu, *Ignis*, ac *caloris* rationem conſiſtere ad ſatietatem ferè ac nauſeam in præcedentibus demonſtratum eſt; Et cum haſce *Acidas ſulphureas* particulas, propria Seminum

minum habitacula cognoviſſent, atque præterea, ab iisdem, corpora coagulari omnia adverterent, *ſulphur* τὸ θεῖον appellarunt. Expreſſiùs verò docuit hæcce *Nobilis Polonus Coſmopolita*; cum à Sulphure (*Acido*) vegetabili (*vegetabilis ſemine determinato*) Aquam coagulari dixit in vegetabilia, à *Sulphure* animali in animalia, à ſulphure Minerali, in mineralia.

Acidus igitur *ſpiritus* iſte eſt, qui aquam in corpora pro Seminis diverſitate varia *coagulat*, & ſimul coagulatur. *Quemadmodum enim cuncta acida rodunt & coagulant*, coagulando verò, & ipſa coagulantur, ita & hic univerſi ſpiritus *acidus* coagulando coagulatur, & *corporeus* fit.

Atque adeò ab hoc *Acido* univerſi *ſpiritu* profectum eſt *Acidum* illud in cunctis vegetabilium ſuccis obſervandum, *quod ipſum principium eſt actionis ſ. fermentationis ſuccorum*, hinc ab *Helmontio*, *fermenti* nomine appellatur.

Si tamen in ullo vegetabili *Acidi* hujus *ſpiritûs*, *Solis filii*, in ſemine coagulati, aperta teſtimonia deprehenduntur, certe in uvarum ſucco ad Rhenum creſcentium, ſ. vino Rhenano, eadem manifeſta ſunt. *Grata enim illa Rhenani vini aciditas Solem habet patrem*; neque quicquam *aliud eſt quam Univerſi ſpiritus in ſemine vitis coagulatus*. Atque ex eo eſt; quod ex modico Vini Rhenani uſu *Ignis* noſter *vitalis*, *Calidum innatum*. (*Naturam* vulgus nominat) tantum roboris nanciſcatur, fratres enim ſunt unius parentis, diverſis quanquam ſominibus ad aliam familiam, illud quidem ad Vegetabilem, hoc verò ad animalem determinati.

Adeoque & noſtrum innatum calidum, cunctorumque animalium Acidum eſt; *Acidus ſpiritus* eſt, qui coquit in *Stomacho*; *Hepate*, *corde*, *muſculis* omnibus. Acido fermento mediante, Sanguis è fluida, in ſolidas ſubſtantias coagulatur, *quemadmodum elementalis aqua*, *ab acido vegetabili fermento*, *in ligna*, *cortices*, *folia*, *coagulatur*.

Neque alium coagulatorem *metalla* habent & *Mineralia*, præter Acidum. *Mercurium* certe vulgi, ex aqua elementali, beneficio metallici ſulphuris (*Acidi*) coagulata, profectum eſſe, conſtans ac vera eſt Philoſophorum ſententia. Idem vero *Mercurius* à diverſis ſul-

phuribus acidis, in metallica corpora varia poſtmodum coagulatur. Atque hæc ſunt *Sulphura* iſta *Metallica* ac *Auri* præcipuè, pro vera Tinctura exinde impetranda, quæ tanto ſtudio totque laboribus quæruntur, *Acida* verò ſunt & Univerſi ſpiritus particulæ.

Quare hæc tandem firmiſſima ſtabit concluſio, *Coagulatorem, & motorem rerum omnium (Deum tanquam cauſam primam, ſemper hîc excipimus) univerſalem, à Sole profectum, cunctis fœcundis ſeminibus innatum, acidum eſſe*, atque hâc aciditate, corporum ex *aqua* concretiones præſtare, quin etiam *coagulando* alia, ipſum *coagulari & corporeum fieri.*

Hæc verò, quamvis citra omnem dubitationem veriſſima ſint, unicum tamen adhuc reliquum eſt argumentum, adeò manifeſtum ac evidens, ut nullum magis. Ut enim uno intuitu videre poſſis Lector; *Dari revera univerſalem quendam cunctorum corporum coagulatorem, Acidum, proprium ſeminum domicilium, Aquam in varia corpora coagulantem*, ſeparabo denuò ſpiritum huncce à corporibus, & ipſa ſimul ſeparata erunt ſemina, migrabuntque corpora in *Aquam elementalem.*

Quamvis verò in antecedentibus mechanicè oſtenderimus, poſſe corpora ultimatò in aquam denuo reduci, fundamentum tamen ejus, operationumque rationes huc uſque ſtudio reticuimus, ut univerſi hujus coagulatoris natura tanto clarius pateret. Aggrediamur itaque rem ipſam, ita tamen ut quantum fieri poterit, breves ſimus, & quæ alibi jam dicta ſunt mittamus, neque enim crambe, bis cocta grata eſſe poteſt.

Tartarus vini, aliorumque vegetabilium, in *Aquam* redit, ſi calcinatus fuerit; calcinatione verò ſeparantur ab illo particulæ *acidæ (hinc phlegma illud Acidiuſculum officinarum, loco ſpiritus Tartari genuini alcalici amaricantis, quod vendunt)* aliquot tantum relictis, quæ cum *Alcali* volatili & *Terra* in Alcaliſatum Sal abeunt (uti pluribus in antecedentibus demonſtratum eſt) Calcinatus hicce Tartarus vel *Alcaliſatum* Sal, ſi aëri expoſitum fuerit in puram tandem aquam abit elementalem (modus ſeparationis in antecedentibus quoque allatus.

Ratio

Ratio verò operationis hæc eſt, quod *Alcaliſatum Tartari, maximæ coagulantis acidi portione privatum ſit.* Tartarus enim crudus p. d. non fluit.

Atque in hoc *Alcaliſato* Tartari Sale, ipſa poſtmodum *Olea* & *Spiritus vini* vegetabilium, *acidis* ſuis particulis privantur atque in *Aquam* abeunt.

Ita *Olea*, ſi ab Alcali Tartari crebrius abſtrahantur, in meram reſolvuntur *aquam*, propterea, quod *Oleorum Acidum* (*tot experimentis demonſtratum*) ope *Alcali* ſeparatum fuerit. Eodem modo reſoluta olea ſ. *ſpiritus Vini rectificatiſſimi* cæteroquin, ab Alcali fixo abſtracti *acidis ſuis particulis orbati*, Aqua fiunt.

Eâdem ratione, *Animalium Olea & pinguedines*, *in Sale Alcaliſato*, *acidas ſuas particulas amittunt*, atque in *Aquam* redeunt. Ipſa animalium Salia verò volatilia Urinoſa tantillum ſaltem *acidi* poſſident, & ad aërem facile in liquorem ſolvuntur; quemadmodum Urinoſa volatilia vegetabilium cum acidis pro Alcaliſato ſale conficiendo colliquata, p. d. ultimatò in meram *aquam* abeunt.

Ipſum verò Alcaliſatum Sal, quo mediante reductio illa corporum in *Aquam* peracta fuit, tandem p. d. ultimatò in *aquam elementalem* reſolvitur.

Mineralia tandem & *metalia* in Aquam reducuntur, reducta prius in ſuos mercurios. Quemadmodum verò *mercurius* à variis Sulphuribus *Acidis* in varia metalla coagulatus erat; ita per eorundem Sulphurum ſeparationem, denuo in lucem prodit. *Antimonii igitur mercurius* (docente idem Præcellentiſſimo. *Langelotto*) *impetratur*, *variorum Sulphurum*; *quibus illa metallorum matrix prægnans eſt*, *Separatione*, *Separatio vero Acidorum Sulphurum*, *alcaliſatorum Salium beneficio impetratur*; ab his enim primò in Regulum abit Antimonium (partem mercurialem) à quo, ſi Alcalium beneficio quæ reliqua ſunt *Sulphura* ſeparata fuerint, currens inde mercurius prodit. *Ipſum verò mercurium qui omni Sulphure privare noverit*, *Aquam inde habebit Elementalem.*

Neque alio modo agunt, qui ex *Auro* mercurium quærunt, *quam ut ſeminale Auri Sulphur acidum ab eo ſeparent.*

Atque adeò, quod breviter demonſtrandum fuit, Quemadmodum *Univerſi* hicce *ſpiritus, corporumque cunctorum coagulator, Solis filius, ſeminibus cunctis fœcundis incoagulatus, movens illa ac explicans, & ab iisdem determinatus, indifferens alioquin, Acidus ex Aqua* tanquam univerſali ac unico cunctorum corporum principio materiali, *auxilio ſeminum* omnia corpora coagulavit. Ita eodem *ſpiritu* à corporibus & cum illo virtute *ſeminali* tanquam formali & eſſentiali totius parte ſeparato, eadem in *Aquam* elementalem ſ. alteram & materialem partem reſolvuntur.

Quare hîc tandem Experimentis noſtris & meditationibus circa Naturalium rerum Principia, finem imponamus, quando hoc ſaltem tribus verbis monuerimus; Celebratiſſimam illam *Hermetis Tabulam Smaragdinam* præter jamjam oſtenſum univerſi mundi Spiritum, nihil docere aliud. *Hoc uno enim ſpiritu perpetrantur miracula totius mundi; ab hoc omnes res natæ adaptatione. Pater ejus eſt Sol, Luna mater, portavit illum ventus in ventre ſuo. Pater omnis Teleſmi totius mundi eſt hic &c. Vincit omnem rem ſubtilem, omniaque ſolida penetrat. Hic eſt totius fortitudinis fortitudo fortis. Ab hoc adaptationes fiunt mirabiles. Sic mundus creatus eſt.* Sic interibit mundus, hujus enim particulis acidis cuivis corpori inſitis, juſſu Omnipotentis Dei, ad motum excitatis, die noviſſimo conflagrabit mundus, & univerſi hujus finis erit.

O QUAM MIRABILES, SUNT TUÆ VIÆ DOMINE STULTUS NON CAPIT ILLA, NEC INSIPIENS INTELLIGIT.

(o)

INDEX.

Contentorum generalis.

A

Accidentia in rebus Naturalibus non alia dantur ac ſitus, Figura & Proportio Mathematica pag. 378
Acetum Deſtillatum quomodo fit 161
Ex Lignis 161
Ex Antimonio 295
Acidæ particulæ è Sole naſcuntur 12
Acidi proprietates 13
Varii effectus in rebus naturalibus 824. 825. &c.
Acidum triplex eſt 13
Acidum eſt movens, activum 12
Acidum eſt Peſtis Alexipharmacum 15
Acidum ſanguinem in pus convertit 688
Aër quid ſit 388
Aëris neceſſitatem demonſtrat Otto Guericke in ſuis Experimentis Magdeburgicis 816
Alcali Sal quod 9
Alcali quomodo fabricetur 10
Alcali Fixum fit ex ſale volatili 10
Alcaliſatorum ſalium volatiſatio conſiſtit in terreſtrium partium ſeparatione 726
Alcalium non eſt agere ſed pati 11
Alcali non agit niſi figuratum ab acido 11
Alcali proprium eſt, effervescere cum acidis ſivè manifeſtè ſive occultè 12
Alcalia plantarum non differunt ſpecie 12
Alcalia carent figuris 15
Alcehol vini Boylei 158
Glauberi 159
Alexipharmaca & Bezoardica quæ 426. 432
Alimentorum appoſitio, Nutritio eſt 769
Alvi fluoribus dicata medicamenta 943
Animal non generat formam internam, ſed ſaltem ſemen ad animal 5
Animalia non minus ac vegetabilia ſola nutriuntur Aqua 797
Animæ rationalis propagatio an ex traduce 754
Anodina quæ 442
Antimonii Calcinatio 291
Antimonium Diaphoreticum 301
Martiale *Ludovici* 301
Antimonii Vitrum 292
Antipathiæ & Symphatiæ cauſa 385
Aqua quid ſit 375
Nutrit 7
Omniſeminaria eſt, omniaque nutriens 18
Omnium Rerum Naturalium principium materiale eſt 668
Conſtat ex particulis cylindricè rotundis 17
Calcis vivæ 249
Cinnamomi 124
Florum Sambuci ſpirituoſa 147
Florum Tunicæ 148
ad Partum facilitandum 124

Reſi-

INDEX.

Refrigerans calore leni deſtillari debet 132
Roſarum refrigerans & calefaciens 146
Typhorum Cervi 81
Veronicæ Eſſentificata 140
Aquarum Inſolatio 150
Ardor Ventriculi unde 692
Aroma Philoſophorum 220
Arſenici fixatio 253
Arthritidi dicata Medicamenta 562
Aurum Aurea Balduni 205
Fulminans 331
Potabile. *Febur* 367
Vitæ 267
Azoth. Heslingii 267

B.

Balſamandi verior methodus 75
Balſamatio Corporum apud *Ægyptios* 73
Balſamum Antimonii 307
Apoplecticum 130
Arſenici *Thomſoni* 254
Samech 734
Sulfuris Cnöfelii 226
Simplex 227
Vitæ ſuccinatum 236
Bezoardicum Minerale 283
Butyrum Antimonii, quid in ejus elaboratione obſervandum 279. 280. 680

C.

Calcinatio humida 46
Sicca 46
Caloris cauſa in hordei præparatione ad cereviſiam conficiendam, quæ, 680. 682
Calx plumbi 312
Carnis deſtillatio 73
Catarrhi unde 471
Catilli cinerei, Capellen 32
Centaurium Minerale *Cardilucii* 297
Cephalica Medicamenta varia 447
Ceræ Oleum & Spiritus 114
Dealbatio 115
Chymiæ definitio 23
Chymia occupata eſt in principiis rerum naturalium ab invicem ſeparandis 9
Cingulum Mercuriale 261
Cinnabaris Antimonii 278
Nativa 285
Nativæ Cremor 288
Nativæ Sulfur 286
Coagulatio quæ & quotuplex 49
Cœlum conſtat ex atomis aquæ ſummè extenſis 388
Colicis doloribus dicata Medicamenta 538
Collyria ex Lacte 68
Contractturis inſerviunt olea pinguedinum deſt. 72
Corallorum regeneratio 240
Cordialia Medicamenta varia 482
Corpora omnia materialiter ex ſola Aqua 19
Corporum ſenſibilitas non in qualitatibus, ſed in particularum variata diſpoſitione & motu, conſiſtit 9
Creatio Rerum unde 1 743
Creaturarum omnium principium Authenticum eſt. Deus. T.O.M. 1
Croeus Martis ſacharinus 321
Metallorum 293
Cubus unde producatur 4
Cura Lactea ad curandam Podagram quomodo inſtituenda 64
Cryſtalli Montani calcinatio 244

Cryſtilli

INDEX.

Cryſtalli Nitri 207
Saturni 314

D.

Dentium nigredini dicata Medicamenta 481
Deſtillatio quid 43
quomodo differt 43
per deſcenſum ſingularis 149
Digeſtio quid ? In operationibus chymicis magni eſt momenti 45
Digeſtiva Medicamenta 396
Diuretica quæ 418
quibus morbis conducant 417
Dulcia male applicantur in Pulmonum vitiis 110

E.

Ebrietas unde 684
Effervescentia quid 43
Elixir cinamomi 125
Emplaſtrum Entis veneris *Polemanni* 325
Magnetis Arſenicalis. *Hoffmanni* 254
Eſſentia Alexipharmaca ex Fuligine *Clauderi* 180
Stomachica *Thomſoni* 99
Evaporatio quid 47
Extracta Radicum quomodo fiunt 133
quando fiunt, quid obſervandum 134
Extractum Aloes 175
Opii modo *VVedeliano* 173
Langelotti 173

F.

Febribus dicata Medicamenta 578
Fecula radicum 135
Fermentatio quid 42
Fermentationis fundamentum eſt acidum & alcali 42
Ferrum Solubile VVilliſii 321
Fila incombuſtibilia ex Amiantho 252
Flores Antimonii ſimplices 295
Rubri 295
Sulfuris 223
Florum Sal volatile 152
Tincturæ 152
Fœmina in generationis negotio non ſecus ac mares activum quid tribuunt 756
in generationis negotio ſemen contribuunt 760
Fœminarum imaginativæ Ideæ ſemini impreſſæ quid efficiunt 774
Fœminino ſexui inſunt ſeminales Ideæ 758
Forma cujuſque rei interna à Deo creata eſt 5
Eſſentialis eſt cujusque rei perfectio 5
Frigus & calor ſunt quid poſitivi 701
Fuliginis Salia quæ 719
Sal alcali quomodo conficiendum 720
Furnus chymicus 27
Digeſtioni dicatus 29
Univerſalis 28

G.

Gemmæ artificiales quomodo fabricandæ 156
Generationis principia non ſunt in omnibus eadem 744
Gingivarum exulceratio quomodo corrigenda 479
Gummitum deſtillatio in Olea 156

H.

anti *Hecticum* Poterii 318
Hepatica medicamenta quæ audiant 518
Herbarum deſtillatio in Aquam 139
Hydromel quomodo conficiendum 112
Aromaticum 113
Pectorale 113

INDEX.

I.

Ignis quid sit 678
Fit ex particulis acidis 8
quibus nutritur 695
Materia est acidum volatile 701.705
Est Instrumentũ activum chymiæ 35
Usus Medicus 699
Infantes quomodo educandi 610
Infantum morbi omnes gradu differunt 659
Pulsus quomodo se habet 661
Urina qualis 661
Infantilium morborum potissima causa est acidum 664
Infantum Aphtæ est ranula. 645
Ardor urinæ 658
Atrophia 642
Infantum Cardiaca 656
Crusta Lactea 638
Dentitio 644
Diarrhœa & vomitus 655
Dolor colicus 654
Epilepsia 650
Erysipelas 627
Fascinatio 652
Ganglia & verrucæ 658
Gibbus 659
Intertrigo 654
Lumbrici, & Crinones 647
Luxatio vertebrarum Colli 655
Ophthalmia 643
Scabies 638
Tabes 656
Tormina 629
Tussis 656
variolæ & morbilli 631

L.

Lac non largitur Sal volatile 63
Lactis destillatio 63
Sani proprietates 64
Usus externus in oculorum affectibus 68
Lampas vitæ & Mortis *Billichii* 58
Lapis Animalis Clauderi 363
Buttleri 325
Lapidis Lazuli Magisterum. Ultramarium 250
Lignorum destillatio in oleum & spit. 136
Linimentum ad spinam dorsi in calore Hectico temperando 70
Liquefactio Metallis & Mineralibus competit 45
Lui venereæ dicata medicamenta 594
Lutum ad lutanda vasa chymica 34
Lux quid 386
Est efficiens morborum causa 382

M.

Magisterium Corallorum. 240
Cosmeticum ex Marcasita 288
Lunæ 319
Magnes Arsenicalis 254
Mari in generationis negotio vis activa competit. 755
Materia Universalis prima Aqua est 3
Medicamenta quomodo debeant esse constituta. 395
Medicamenta & Morbi inter se conveniunt. 383
Medicamentorum Vires & effectus unde 370
Medicamentorum vires dependent à sola millies mille variata rerum textura 373
Medici nomine indignus qui chymiam ignorat 23
Medicina arcana ex sanguine ciconiæ &c. 58

Medi-

INDEX.

Medicina, Tincturæ Universali analoga. 359
Mellis destillatio 109
depuratio 112
Menstrua Aquea quæ 38
Salina 40
Sulfurea 39
Menstruum *Sendivogii* ex Marcasita 288
Mercurii effectus 7
Nomen unde 17
Nomine quid intelligendum in vegetabili & animali regno 708
Mercurius Antimonii 288
Mercurius Coagulatus 284
Diaphoreticus Cardilucii 270
Helmontis 272
Thomsoni 272
Dulcis 276
Fixus Rhenani 281
Præcipitatus ex sublimato 282
Vigonis 265
Viridis 266
Sublimatus 274
Vitæ Lunaris Solaris &c. 279. 280
Mineralia non carent suis seminalibus particulis 789
Nascuntur ex Aqua 800
Mixtura simplex 164
Morbi Ideales qui 383
Morbi Infantum 610
Spirtuum quibus remediis indigent 386
Morselli Alexipharmaci sive Bezoardici 135
Mumia Philosophica *Paracelsi* 77

N.

Naturalium Rerum principia quæ 667
Nephritica Medicamenta varia 553
Nitri Crystalli 207
Nitrum Nitratum 201
Præparatum 201
Nucis Moschatæ Aqua 128
Oleum 129

O.

Odontalgiæ dicata Medicamenta 476
Odor maximum habet consortium cum gustu 9
Odoratorum causa 21
Olea pinguia aciditate sua sorditiem ulceribus contrahunt 691
Pinguia nocent in clysteribus 691
Ratione sui acidi igni pabulum præbent 695
ex plantis quomodo destillari debent 140
ex Floribus quomodo destillantur 150
ex Radicibus destillare 133
Odorifera parandi modus *Italorum* 151
Oleum Camphoræ 177
Chamomillæ cœruleum 151
Cinnamomi 125
Corticum Citri 130
Fuliginis 180
Ligni Guajaci 137
Ligni Rhodii 137
Lini, Olivarum &c. quomodo aciditate sua spoliantur 694
Ovorum 83
Philosophorum 72
pinguedinis human. 71
Ramosis ex particulis constat 17
Seminis Anisi &c. 154
Opiata quibus conducunt 446
Ophthalmica Medicamenta varia 468
Ossium Sal volatile & Spiritus 79
Ortus & interitus rerum est perennis circu-

INDEX.

circulatio partium corpora constituentium 377
Otica Medicamenta varia 471

P.

Panacea Antimonii 295. 300.
Rothmahleri 271
Parentum morbosa constitutio in fœtum transfertur 761
Pectori dicata medicamenta 493
Peregrinus æther quid sit 381
unde advehitur 394
Phosphorus Boylei 103
ex Calce viva 190
Comierii 104
Lemerii 106
Pinguia Phtisicis noxia 72
Pinguium noxa unde 693
Pinguedinum destillatio 70
Plantæ quomodo regenerari queant 787
Si in Salia volatilia redigi debent quid observandum 142
Pleuritica Medicamenta quæ 503
Potus non fermentatus, pro conservanda sanitate fermentatis est præferendus 44
Tartarorum ex Lacte equino 67
Præcipitatio quomodo fieri solet 47
Principium Rerum Naturalium activum Sal est, Passivum Aqua 18
Pulvis contra casum 78
Purgantia electiva an dentur 400
an corporaliter ad partem affectam veniant 401
Medicamenta varia 399
Putrefactio unde 42. 45.
Pygmæi quomodo generentur 772

Q.

Qualia, ut acerbum, acidum, amarum, salsum & infinitæ horum texturæ, sunt morborum causæ 8
Qualitates non sunt morborum causæ 8

R.

Radices quomodo destillandæ. 132
Regulus Antimonii simplex 303
Martialis 304
Medicinalis 306
Requisita chymica 27
Resina Ligni Guajaci 137
Res omnes sensibiles ab invisibili duxerunt initium 1
Rosæ quomodo debeant asservari ad futuram destillationem 147

S.

Saccharum Saturni sive Plumbi 247. 312
Sal quid sit: 376. quid efficiat 7
Salium Alcalisatorum differentia in medendo non adeò attendenda 739
Salia Animalium saltem volatilia sunt 725
Salium effectus non à qualitatibus sed à figuris 14
Sal omne compositum ex acido & alcali enascitur 15
Salinæ particulæ duplices sunt acidæ & alcalinæ 9
Salis natura & differentia 711
Sal corallorum 240
Fixum quid 712
Fixum conficiendi modus 715
Fixum fit ex volatili 723
Fixũ non præexistit in mixto ante incinerationem 674. 713. 714. 723
Fixum non nisi combustione acquiritur 11
Fixum est vacuum corpus 11

INDEX

Fixum Plantarum quâ methodo legitimè & benè concifiendum. 141
Sal Jovis 316
Sal Mirabile *Glauberi* 198
Sal Plantarum Eſſentiale quomodo conficiendum 145
Tartari fixum 165
volatile 166
volatile *Helvvigii* 169
volatile cum aceto 732
Salia volatilia quomodo differunt 738
Volatilia figuras habent. 55
Volatilia impreſſionem obtinent ab oleo fœtido 56
Sal volatile ſanguinis humani an ſpecificè differat ab aliis ſalibus volatilibus 54. 55
Oleoſum ſanguinis humani 56
cinnamomi 127
quomodo ex plantis eliciatur 142
quomodo ex ſeminibus conficiatur 155
Sanguis humanus calidè potus an conducat in Epilepſia 61
Sanguinis deſtillatio 51. 52
Sanguinis fluoribus dicata Medicamenta 543
Color unde 687
Sapo Coſmeticus 119
ad maculas veſtium delendas 120
vulgaris quomodo conficitur 117
quomodo deſtillatur in oleum 118
Sol Lucis ſedes & Thronus eſt 388
eſt concentrata Lux 1. 387
eſt primarius motor rerum ſublunarium 20
in ſaporibus maximam habet energiam 12
Solvens Univerſale 37. 38
Spiritus Aluminis 203
Balſamicus *Clauderi* 182
eſt Humiditas incombuſtibilis 18
Liliorum convallium 149
Mundi quomodo capiendus 356
Nitri juxta *Cardilucium* 203
Dulcis 204
Nitri rubicundus quomodo capiendus 192
Roſarum ardens 148
Salis Armon. vol. 217
acidus 218
ex cap. mort 730
Salis communis 196
Glauberi 198
Dulcis 198
viridis 199
Saturni ardens 312
Sulfuris 224
Vini Tartariſatus 721
quomodo ex Vino eliciendus 157
Vitrioli communis 210
coagulatus 215
Helmontis 211
Nobilis de Mülinen 212
Tackii 213
volatilis 215
Univerſalis in radiis Solaribus conſiſtit 815
Splenetica quæ ſint 527
Stomacho dicata medicamenta 508
Succini Oleum & Sal volatile 234
Sudorifera quæ ſint 421
quibus malis opponi debeant 422
Sulfur ex quibus conſtat 15
Antimonii 296
Antimonii Boylei 298
Helmontis 298

INDEX.

Animalium 673
Fixum 229
Non eſt genuinum rerum naturalium principium 672
Sulfura vegetabilium 672
Mineralium & Metallorum 673

T.

Talci calçinatio 251
Tartarus efficaciam omnem acido debet 162
Emiticus 293
Solubilis 171
Vitriolatus 171
Tartari cryſtalliſatio & depuratio 163
Deſtillatio in ſpiritum & oleum 163
Sal 165
Terra quid ſit 645
Augmentat 7
ex particulis rigidis conſtat 17
Tartari foliata 167
Theriaca cœleſtis mea 426
Tinctura Auri. *Clauderi* 362.363.366.
Tinctura. Bezoardica mea 429
Corallorum 238
Jalappæ 176
Nephritica 190
Nephritica Solaris Amelungi 365
Nitri *Glauberi* 206
anti Phtiſica 315
Succini 236
Sulfuris 228
Univerſalis qua ratione elaborari queat juxta Clauderum 347. &c.

V.

Vari in facie quomodo generantur, & quibus curantur 689
Vaſa varia chymica 29
Vegetabilium Ideæ ſpecificæ in ſemine continentur 786
Vegetabilia omnia immediatè & materialiter ex ſola Aqua prodeunt 795
Veneris Dealbatio 256
Vini aciditas alimentum fœtus corrumpit 770
vis inebriativa unde 686
Vitri Antimonii correctio 292
Vitrificatio quomodo fit. 49
Vitrioli depuratio 209
Vitriolum Martis 322
Martis & Veneris 322
Vitrum unde pellucidum 10
Saturni 315
Vomitoria quæ ſint 416
quibus morbis opponantur 413.414
Urinæ Spiritus & Sal volatile 84
Uterina Medicamenta quæ 588

Cum

Cum pro more perverſo tanta errorum Typographicorum copia irrepſerit, non licuit ea hic reticere; ut ſi B. L. fortè ſenſum hinc inde aſſequi haud valeat, errratis illis denudatis, ſublevari queat.

Pagina 5. Linea 5. Lege propenſa unio p. 6. l. 25. l. Angelus propius p. 10. l. 13. l. planæ & lævia p. 13. l. 8. l. impingat p. 16. l. 9. l. reſolvendam p. 18. l. 1. l. minus attenuatus p. 27. l. 3. l. fruſtra tentari p. 27. l. 7. l. omninò infeſtum ibid. 27. l. 11. l. ruſpator indiget p. ibid. l. 24. l. fimo equino p. ibid. l. 25. l. aqua ſalſa p. 31. l. 5. l. longum eſto p. ibid. l. 6. l. ferruminatum ſit p. 36. l. 29. l. ſi vapor. p. 39. l. 5. l. ſemen cydoniorum p. 46. l. 1. l. requirit ſpicula ibid. l. 7. l. hoc vinculum p. 47. l. 10. l. aquam Regiam p. 48. l. 30. l. circulationem p. 50. l. 17. l. breviter luſtratis p. 52. l. 3 l. reddantur. p. ibid. l. 11. l. immitte p. 54. lin. 30. l. in tractatu p. 58. l. 23. l. reſidere p. 60. l. 12. l. deprehendatur p. ibid. l. 26. l. ſubponunt p. ibid. l. 27. l. putrefactio p. 61. l. 2. l. ovum ſeponit p. ibid. l. 19. l. afferat ſanguis p. ibid. l. 33. l. maximè commendata p. 71. l. 10. l. hæc ſpicula p. ibid. l. 27. l. oleum p. 86. l. 20. l. digerendum p. 88. l. 32. l. quid ni p. 96. l. 12. l. momento p. 97. l. 2. l. imprimi videtur p. ibid. l. 5. l. conſervationem p. ibid. l. 33. l. intimam p. 98. l. 1. l. propterea eaque p. 101. l. 5. l. ex p. 112. l. 9. l. cera vero p. 113. l. 12. l. conficiant morbo alicui p. 116. l. 29. l. lixivum ſaponis Sal p. 118. l. 1. l. fila ducere p. 125. l. 21. clarum p. 127. l. 18. l. ac citiſſimæ p. 132. lin. 10. l. fibris p. 138. l. 19. l. frigidæ vulgo p. ibid. l. 21. l. nimia dilutio p. 139. l. 10. l. pauca ſalis quantitate p. ibid. l. 29. l. exprimendo p. 140. l. 6 l. recentem p. 141. l. 17. l. lixivium p. 143. l. 22. l. teneræ p. 149. l. 23. l. artificium p. 150. l. 4. l. corruptioni p. 151. l. 17. l. laborem reitera p. ibid. l. 17. l. arrideat p. 152. l. 13. l. illorum copia p. 155. l. 16. l. vel clavellati p. ibid. l. 24. l. diuturnior p. 156. l. 16. l. condenſata p. 157. l. 7. l. quò indigeſtum p. 158. l. 17. l. patti adhæreſcens p. 159. l. S. l. abſtrahendo p. 166. l. 1. l. naturam p. 167. l. 3. l. cautiſſimè p. 169. l. 18. l. ſic ſal fixum p. 171. l. 18. l. cardialgia p. 172. l. 28. l. cum hâc læſio p. 173. l. 23. l. correctionum modis p. 183. l. 11. l. differentes eſſe p. 19. l. 30. l. ſabuloſa p. 193. l. 31. l. ſubtiliſatæ p. 194. l. 18. l. unica argenti vivi uncia p. ibid. l. 27. l. aut alteratione p. 196. l. 22. l. & ſalificantes. p. 197. l. 28. l. ex. ℔ j. materiæ p. 199. l. 8. l. viridem p. ibid. l. 22. l. centaurium p. 202. l. 4. l. alcalinas p. ibid. l. 10. l. ab acido p. ibid. l. 24. l. jungentes p. ibid. l. 29. l. ab invicem p. 206. l. 7. l. ſubſidat p. ibid. l. 32. l. vilipendendum p. 207. l. 16 l. ſaturni p. 209. l. 9. l. heterogeneitatum p. 214. l. 10. l. recluſio altera p. 219. l. 1. l. deſtillare jubet p. 223. l. 24. l. expetimus p. 224. l. 15. l. retentis. p. 238. l. 30. l. crudiori deſtitutum p. 239. l. 9. l. hæc præcipitetur p. 242. l. 10. l. acceſſione p. 243. l. 26. l. inſpiciendum docet p. 246. l. 13. ſuperfluæ p. 248. l. 25. l. eo potentior p. 262. l. 27. l. ceruſſæ ʒiſs. p. 265. l. 29. l. & crocea re mundetur p. 268. l. 11. l. quo peracto p. 272. l. 8. l. ſublimataque p. 283. l. 8. l. volatili p. 312. l. 17. l. conſtat p. ibid. l. 23. l. hæ natæ eſſent p. ibid. l. 26. Agricola p. 313 l. 13. l. ſpiritus p. ibid. l. 22. l. dependere. Deſtillatio p. 318. l. 12. l. candefactum p. 320 l. 11 l. ferro p. ibid. l. 12. ferrum p. ibid. l. 15. colore p. 326. l. 19. l. commixtione p. 330. l. 28. l. oleum tartari p. 331. l. 24. l. quanti rumores p. 371. l. 15. l. abdita, p. 374. l. 10. l. principiantia. p. 378. l. 24. l. proportio p. 382. l. 15. l. afficit ira, p. 385. l. 24 l. intelliguntur p. 389. l. 11. l. fieri p. 390. l. 1. l. particularium. p. 400. l. 29. l. excrementitium p. 407. l. 2. l. ℔ vj. p. 409. l. 11. l. magiſtrales Sylvii p. 410. l. 24. l. Si ſint. p. ibid. l. 31. l. diagridii gr. vj. p. 413. l. 18. l. caligant

gant oculi pag. 422. lin. 21. leg. ſtragulis p. 424. l. 12. l. ſpiritus p. 427. l. 31. l. Hæc eſt pag. 482. l. 9. l. hâc tamen cautelâ p. 493. l. 4 l. & tepidè applica p. 497. l. 3. l. ℥viiij. p. 521. l. 20. l. cœco p. 529. l. 20. l. exerunt p. 545. l. 1. l. bilis acris p. 547. l. 20 l. myvæ cydon. p. 616. l. 7 l. ordinare. p. 617. l. 14. l. per vitam ſervant p. ibid. l. 23. l. At, diligentes p. 623. l. 5. l. pertinent ad Medicinam p. 626. l. 19. l. Sic Matres p. 628. l. 4. l. & glandulas p. 640. l. 15. l. aliquoties ſe curaſſe aſſerit. p. 647. l. 24. l. pro ratione ætatis. p. 649. l. 3. ſanantur. p. ibid. l. 14. l. mox verò alibi p. 650. l. 22. l. tum clyſteres.

FINIS.